Digitized by Google

solt 2

P IV. 52

REGIA BIBLIOTECA DELL' UNIVERSITA' DI TORINO

Pag 72 manca[?] di un pezzo

HIERONYMI MERCVRIALIS

Variarum Lectionum,

IN MEDICINÆ SCRIPTORIBVS & alijs,

LIBRI SEX.

Ab auctore hac quoque poſtrema editione aucti & recogniti.

CVM INDICIBVS COPIOSISSIMIS.

VENETIIS, APVD IVNTAS.

M D XCVIII.

BALTHASARI GRANGERIO D. BARTOLOMEI APVD

Nouiodunenſes Coenobiarchae, cognato ſuo,

BONAVENTVRA GRANGERIVS. SALVTEM P. D.

QVoties animo meo illud occurrit (cognate clariſsime) quod Pythagoram dicere ſolitum legimus, duo eſſe hominum generi Deorum munere tributa longè pulcherrima, nimirum veritatem amplecti, & beneficum ſe in omnes gerere, atque horum vtrumque cùm Deorum immortalium operibus comparari poſſe, eorum ſtudium vehementer laudare ſoleo, qui cogitationes ſuas omnes eò referunt, vt publicam vtilitatem, quantum poſſunt, augeant. Ex quorum numero cùm illos omnibus anteponam, qui rebus illis quas ingenio perſequimur, ocium ſuum tranſmittētes, in diſciplinis tractandis, quas veteres excellentiore quadam conditione à natura ſubornati ſcriptis ſuis poſteritati reliquerūt, aſsiduè verſantur, obſcura illuſtrando, implicata explicādo, corrupta reſtituendo, cautionem illā in pleriſque deſidero, quam priuſquàm aliquid ſuſcipiatur memoria teneri neceſſe eſt, vt benè de omnibus merēdi voluntati prudentia cōiuncta ſit. Sic enim illorum permultos, qui hoc tempore cogitationes ſuas in luce atque oculis omnium verſari

volunt, Muſis & Apolline nullo (vt ait ille) litteris mandare animaduertimus, dum nominis et famae deſiderio indulgent, vt irritus omnino ſit illorum labor, in quo neque meritũ eius qui beneficium cõferre ſe putat, vllum agnoſcitur, neque gratia vlla ab eo in quẽ beneficium conferri putatur, rependitur. Tanta eſt ſcilicet quorundam φιλαυτία, *vt ſtolidi amatoris more, quem putidus amaſiae polypus etiam delectat, quicquid apud ſe commentati fuerint, quamuis nullũ ſolertis ingenij aut accuratae induſtriae ſpecimen in eo appareat, idipſum aliorum exquiſitiſsimis eruditiſsimisq; ſcriptis antepo- nant, nec ſi quid ab alijs rectè dictũ aut factũ fuerit, id vt probent adduci poſsint. Cuius mali vehemẽtia eo deterior eſt, & ab optima ſalutis ſpe remotior, quòd illi ferè qui eo iactantur (vt inquit Plato) nunquã de remedio comparãdo cogitant: etſi tantò magis in eius curam incumbẽdum ſit, quantò maiores animis calamitates infert perniciemq; ingenijs præſentiorem. Quæ non modò illos attingit, qui eo correpti ſunt, verùm etiam cæteros omnes, qui vel diſcendi cupiditate allecti ad illorum cõſuetudinem ſeſe applicant, vel ex illorum ſcriptis ea ex quibus doctiores fieri ſe putant, imprudenter hauriunt. Quemadmodum verò huic hominum generi honeſtæ mercedis loco ſempiternæ infamiæ pœna ſubeunda eſt, ita dici vix poteſt quàm magno doctorum omnium cõſenſu dulciſsimam nominis ſui cõmendationẽ audiãt, qui omnibus rebus inſtructi, quæ ad præclare eruditionis cumulũ cõſequẽdũ expeti poſſunt, ad maiores artes*

tractan-

tractandas, eaſdemque alijs impartiendas accedunt. In quibus ex permultis, quibus haec abundant tempora, Hieronymum Mercurialem collocare potiſsimùm ſoleo, quem ad faſtigium verae & ſolidae eruditionis, ſumma cum ſui nominis gloria, & totius Italiæ ſingulari ornamento, perueniſſe cùm multa confirment, quæ ex illius ore quotidie excipi audimus,

Παῦρα μὲν, ἀλλὰ μάλα λιγέως, ἐπεὶ οὐ πολύμυθος,

Οὐτ' ἀφαμαρτοεπὴς, *vt de Menelao ſcripſit Homerus, tũ verò multæ & variæ de Medicina commentationes quas è manibus dimiſit. Ex omnibus autem illis cum primas tenere, doctorum hominum conſenſum cõſpirare antea animaduerteret, quos variarum lectionum libros inſcripſit, in quibus ex immenſa ingenij ſui ſupellectile quaſi literarum delicias quaſdam nobis ſpectandas proponere voluit, collatis in vnum maximis grauiſſimisque ex omni artium genere quæſtionibus, ad priores quatuor libros quos ante duodecim annos in hominum luce verſari paſſus eſt, quintum librũ aliquot poſt annis adiecit. Cùmque in eo ſcribendi genere doctorum omnium approbatione ſtimulos admouente ſibi magnopere placeret, ſuperiore anno ſextum librum ad reliquorum numerũ accreſcere, eosque in tuo nomine apparere voluit, quaſi amoris mutui inter vos olim ſuſcepti ſempiternos teſtes? Fecit verò patris tui de me honeſta apud illum commemoratio cum Patauium veniſſet, quo illius conſilio frueretur, vt quæ editioni huic adiecerat in fide mea deponeret, meque eorum quæ in hac poſtrema edi-*

tione facienda eſſent procuratorem ſibi optaret. Quod onus eò libentiùs ſuſcepi, quòd & ſummam hominis, cui numquam cognitus fuiſſem erga me beneuolentiam literis ad me ſæpe ſcriptis expreſſam vidi, & ad laudem inter meos inueniendam profuturum exiſtimaui, ſi ab eo quem eruditionis numeros omnes expleuiſſe conſentiunt omnes, ſubſidia induſtriæ meæ, ſi qua eſt, expeterētur. Hos igitur libros authoris voluntati obſequutus, nomini tuo inſcriptos atque dicatos tibi offero, in his commendandis nihil operæ inſumens, quòd tibi ſummo iudicio, & in varijs variorum authorum lectionibus exercitatiſſimo, horum lectionem omnis commendationis vice facturam ſatis polliceor: extrema hac epiſtola id vnum à te petens, vt illius erga te ſtudium atque voluntatem tantò magis grata memoria proſequaris, quantò nominis tui gloriam cum illius perpetua commendatione duraturam tibi polliceri debes. Bene vale.

Lutetiæ Pariſ. Calend. Martijs. 1585.

AD HIERONYMVM MERCVRIALEM DE SVIS VARIIS LECTIONIBVS.

PHœbææ ſubiens laqueata palatia Circes
Fugit Dulychius mixta venena ſibi,
Tutus Atlantiadis ſacro medicamine, nigra
Cui radix, floris lactea forma fuit.
At tu præſidijs doctrinae arcana recludens,
Hic varia in varijs quæ latuere libris,
Sancta aperis Sophiæ longis erroribus actis
Auſoniæ & Graiæ limina clauſa priùs.
Sic tu Mercurij deductum à nomine, fati
Imperio impoſtum nomen & omen habes.

Bon. Grungerius Pariſ. Medicus.

CATALOGVS
AVCTORVM,
Quorum loca vel explicantur vel emendantur.

Aetius.
Aeſchylus.
Aelianus.
Aelius Promotus.
Aemilius Probus.
Aeſchines.
Agatarchides.
Albertus Magnus.
Alexander Trallianus.
Ammianus Marcellinus.
Amos.
Antigonus.
Apicius.
Apollonius.
Apſyrtus.
Apuleius.
Ariſtoteles.
Arrianus.
Ariſtophanes.
Ariſtophanis interpres.
Archigenes.
Archeſtratus.
Arceſilaus.
Arnobius.
Aſclepiades.
Athenodorus.
Athenaeus.
Aurelius Prudentius.
Auerroes.
Auſonius.
Auicenna.
Auenzoar.
Baſilius.
Cato.
C.Caeſar.
Caelius Aurelianus.
Callimachus.
Caſsius Medicus.
Caſſiodorus.
Catullus.
Chalcidius.
Cicero.
Claudianus.
Clemens Alexandrinus.
Coruelius Celſus.
Cornelius Tacitus.
Columella.
Cratinus.
Cyprianus.
Democritus.
Demoſthenes.
Dion Caſſius.
Dion Nicaeus.
Dionyſius Afer.
Dioſcorides.
Diphilus.
Diodes.
Diogenes Laertius.
Didymus.
Diodorus Siculus.
Empedocles.
Ennius.
Epiphanius.
Eraſiſtratus.
Erotianus.
Eradius.
Euſebius.
Fauorinus.
Galenus.
Gellius.
Gregorius. (Nazanz.
Halyabbas. (Nyſſen.
Heraclitus.
Herodotus.
Heraclides Tarentinus.
Heſiodus.

Hero-

Auctorum.

Herophilus.
Heſychius.
Hieronymus.
Hipparchus.
Hippocrates.
Homerus.
Horatius.
Hyginus.
Ioſephus.
Iſidorus.
Iſocrates.
Iulius Pollux.
Iuuenalis.
Lampridius.
Lucianus.
Lucilius.
Lucretius.
Machabeorum liber
Martialis.
Marcellus Burdegalenſis.
Macrobius.
Meſues.
Michael Epheſius.
Mneſitheus.
Moſcopulus.
Moyſes.
Nemeſius.
Nicephorus Calliſtus.
Nicander.
Nonius Marcellus.
Oribaſius.
Ouidius.
Palladius.
Pandectarum auctor.
Paterculus.
Paulus Aegineta.
Pauſanias.
Philoſtratus.
Philemon.
Plato.
Pindarus.
Plinius.
Plutarchus.
Plautus.
Porphyrius.
Polybus.
Praxagoras.
Proclus.
Procopius.
Q. Curtius.
Rabi Moyſes.
Rufus Epheſius.
Scribonius Largus.
Serenus.
Seruius.
Seneca.
Serapion.
Sextus empiricus.
Soranus.
Spartianus.
Stephanus.
Stephanus Athenienſis.
Stobaeus.
Strabo.
Strabonicus.
Suidas.
Syneſius.
Terentius.
Tertullianus.
Themiſon.
Theodorus Priſcianus.
Theopompus.
Tibullus.
Thucidides.
Valerius max.
Varro.
Vegetius.
Virgilius.
Vitruuius.
Vlpianus.
Xenophon.
Zonaras.

FINIS.

INDEX CAPITVM
LIBRI PRIMI.

DE Oeſophago & Stomacho locus Galeni emendatus, & Ariſtoteli conciliatus. Lucretius defenſus. Pollucis locus correctus, & alter Hipp. indicatus de Concoctione. cap. 1.

De Rabie, ſiue Hydrophobia & Elephantiaſi, loci Ariſtotelis & Medicorum explicati.

Reſtitutus Galeni & Plutarchi locus de Palmulis, & alter declaratus. Nonnulla de Oliuis. cap. 3.

Galeni locus emendatus in 12. Met. & alter in 13. meliùs quàm à Linacro interpretatus. cap. 4.

Archigenis locus emendatus apud Galenum: ac de Bulbis nonnulla non reſpuenda contexuntur. cap. 5.

Locus Galeni de Foecundis correctus, & nonnulla ad id ex Lucretio & Paulo. cap. 6.

Quid ſit Recentatum apud Alexandrum Trallianum, & quae antiquorum Propomata. cap. 7.

De varÿs antiquorum refrigerãdi vina & aquam modis. De Decocta, & quae fuerit Calda. quid apud Plautum thermopoliū & thermopotatio.

Loci Ariſt. emendati ex Theophraſto, & locus Platonis examinatus. cap. 9.

Loca Gal. & Caelÿ Aureliani expoſita de Angina, & Sono ſorbili. cap. 10.

De Iſicÿs, Itrÿs & Libis variae obſeruationes & explicationes. cap. 11.

De Pane furnacco error in Gal. interpretatione explicatus, & alter de Myrtidano Plinÿ deceptus. Quid ſit Tractae Plinio & Athenaeo. cap. 12.

De aquis veſicarÿs & Ceretanis. Galeni locus de templo pacis male à Gyraldo intellectus. cap. 13.

Error in Aetio correctus de Ficubus, & alia de ipſis. Columellae de Embammate locus emendatus. cap. 14.

Locus Plutarchi de Pithoegÿs emendatus, & de feſto primae Auguſti diei. cap. 15.

De Oleo & Butyro, & Aphrogala varia Galeni & aliorum explicata. Plinÿ locus correctus. cap. 16.

De Vino dulci, & de Coitu, Ariſt. & medicorum explicati loci. cap. 17.

De varÿs Vini antiquorum temperaturis pulchra quaedam. Locus Hippocratis illuſtratus, & alius Athenaei correctus, Heſiodique ſententia interpretata. cap. 18.

De

De Inſibulatione, de recutitis aliqua digna ſcitu, & quid ſit apud Galenũ. Dicere pedem. cap. 19.
Ramex quid ſit apud Plautum. Hiſtoria Domnini. Nonnulla de Varicibus, & de Hirudinibus. cap. 20.
Locus Athenaei correctus ex Ariſt. & nonnulla de Canicie, & de Capitibus Aegyptiorum, ex Herodoto. cap. 21.
De Menſuris potus antiquorum, & ordine eorundem. cap. 22.
Loca Hipp. de Aqua & Bile explicata. De bile Anaxagorae & Ariſt. ſententia examinata Gal. locus explicatus, & Ammiani Marcellini emendatus. cap. 23.
De aere Romano & morbis eius: de Athenienſi, Lucretij locus. De Moris, Serico, aliqua notatu digna. cap. 24.
Cur piſces medici antiqui facile concederent aegris. Piſces tintinnabulo vendi ſolitum fuiſſe. Quis fuerit Hoedus ex Ambracia apud Gellium: & nonnulla alia de Hoedo.

LIBRI SECVNDI.

Loca Gal. & Plinij emendata. Nonnulla de Mangonibus. cap. 1.
Morem Thuſcorum vrendi pueros fuiſſe antiquum. Herodoti locus notatus, & quaedam de Scythis, ex Hippoc. cap. 2.
Sententia Gal. ex Herodoto comprobata. De Syrmaea. De Partitione anni ſecundum Hippocratem. Error ſacerdotum Ammonis. cap. 3.
Theophraſti loca ex Athenaeo & Plutarcho correcta. De Sida, de Leguminib. de Pediculis. Theophraſti & Gal. cõtradictio de Scorpionib. cap. 4.
De varijs antiquorum edulijs. Ariſt. locus examinatus. De carne Camelina, de Sumine, de Turtae nomine. cap. 5.
Quae ſint apud Platonem Ficus & Vuae generoſae ex Galeno. De Pane fabaceo, & Faba Aegyptia. Locus Mneſithei de Ficubus. cap. 6.
De pulmonis carne, Gal. contradictio ex Aetio ſublata. De Carne leporina caprina, & de vulpina. De tenera carne locus Gal. reſtitutus. cap. 7.
Locus Hippocratis emendatus. Gal. locus defenſus de Opio. Plinij loci emendati, alter Herodoti de medicis Aegyptiorum examinatus & correctus. cap. 8.
De aquarum per plumbum ductarum prauitate, & quod Romae ex fontibus potarent. Locus Paterculi emendatus. cap. 9.
De Cicuta locus Lucretij explicatus. Ariſt. & Varronis de Capris loca examinata. Nonnulla de anatome. cap. 10.
Hippoc. locus emendatus. Locus Diogen. Laertij ex Galeno mutatus. Gal. de Vrinae ſedimentorũ nigredine, & de Lapide veſicae error. cap. 11.
Celſi locus ex Hipp. notatus & emendatus. Contradictio Gal. examinatur. Nonnulla de Pulſu, item de Herophilo & Aſclepiade. cap. 12.

De

Index.

De condituris Vinorum. De Vino picante. De vino Maſſilienſi. Locus Gal. emendatus. cap.13.

Defenditur Plinius in tractatione Argenti viui & Hydrargyri. Locus Theophraſti reſtitutus. cap.14.

De tempore coitus Plutarchi locus reſtitutus. Hippocrates & Ariſtot. collatus. Error Gazae detectus. De Situ corporis in ſomno. Error Alexandri contra Hippocr. cap.15.

De Vua taminia & Labruſca, Plinij & Scribonij locus examinatus, & emendatus. cap.16.

De Vua theriacae. De mulſo quaedam, & Plutarchi error de vino Maſſilico, & cur vinum percolaretur: Plin. locus reſtitutus, Theodori error. cap.17.

Medicinam einſq. regulas ab Aegypto manaſſe. Locus Hipp. Herodoti, Ariſtot. Plutarchi & Celſi in id de purgatione. Aeliani improbatio de lingua Hippocratis. Et de Acrone medico. cap.18.

De Vnguentis, & quid Hippoc. ſignificet Vnguentum Aegyptium. De Metopio locus Hippoc. emendatus. Quaedam ex Plutarcho de Vnguentis & Mirrha. cap.19.

Morborum rara quaedã genera ex Hipp. Agatharchide, Plutarcho & Galeno. Locus Hippoc. reſtitutus, & alter Platonis indicatus. cap.20.

De ijs qui ſemel in die cibos capiunt. cap.21.

De caryce & Carycia. De Apro & Lumbo. cap.22.

Quid ſit ὠμήλυσις. De Farre factitio Aetij locus emaculatus: & quod Far hordei. De Hordeo quaedam ex Ariſt. & Apollonio. cap.23.

Locus Ariſtotelis de Melle correctus & expoſitus. Quod mel conſeruet mortua corpora, & alia quaedam. cap.24.

Locus Theophraſti Apollonij collatus. De Helleboro quaedam. Alter Theophraſti locus non integre à Plinio expreſſus. cap.25.

Locus Hipp. de Hippace, Herodoto collatus. De Lactis coagulatione. Cteſiae locus de radice vinum coagulante. Muria dura, & Marinae vſus. cap.26.

Sententia Plinij defenditur de Lino viuo, & ex alijs comprobatur. Quid ſit Scribonio Foenicium. cap.27.

LIBRI TERTII.

Loca Oribaſij ex Stobaeo reſtituta. cap.1.

De Cyphoide, Cyphi, Galeni, Plutarchi, Herodoti loca collata, emẽdata, & explicata. De verbo ταριχεύειν in condiendis corporibus mortuis vſurpato.

De turdis Horatij & Martialis defenditur iudicium, & Galeni ſententia improbatur. Modus coquendi phaſianos. Locus Varronis emen-

emendatus. cap.3.

De Aconiti nomine ex Antigono. De eodem Athenaei locus emendatus. item alter Theophraſti melius quam à Gaza interpretatus. De Cicuta quaedam. Error Macrobij. cap.4.

Macrobij error ob imperitiam medicinae. Quod potus ad pulmonẽ pertingat, non vnum Platonem dixiſſe. Plutarchi locus ex Macrobio emendatus, alter Theophraſti ab errore Gazae vindicatus. cap.5.

Lucretij locus de Peſte Hippocrati collatus, & eius defenſio. cap.6.

Hippocratis & Herodoti loca de morbo Scytharum foemineo collata. De Amazonibus. cap.7.

Iecur anſerinum in precio fuiſſe antiquitùs. De Carne ſuilla locus Plutarchi. Caupones Italos ſolùm immeritò damnari à Plutarcho. cap.8.

De Meliloto. cratinus expoſitus. De Coronis. De Lemniſcis. cap.9.

Plinij & Galeni loca de Doloribus. Pro oculis vſtio Venarum temporaliũ. Lotio pedum. Origanus. Sordes aurium in morientibus quales. cap.10.

De Carbonibus, loca Galeni, Caſſij, Lucretij & Theophraſti. De Lumbricis, & grano Cnidio locus Plinij ex Theophraſto correctus. Error Gazae. cap.11.

Thucydidis locus à Lucretio expreſſus ac illuſtratus. cap.12.

Locus Virgilij, ſecus quam à Grammaticis ex Ariſt. declaratus: & cur ab ipſo medicina Ars muta vocata ſit. cap.13.

Loca Ariſt. & Strabonis de generatione Animalium in niue & igne collata atque examinata. Locus Ariſt. emendatus. cap.14.

Inſaniae genus ab Aretaeo medico deſcriptum & monſtratum. cap.15.

Defenditur Galeni Inſcriptio περὶ πεπονθότων τόπων. Loca Aretaei & Galeni collata de ijs qui corde patiuntur. cap.16.

Quid ſit apud Galenum Ellychnium Tarſicum. Error de fungis Cornarij & de Goſſypio. cap.17.

Morbus Deliorum ab Aeſchine deſcriptus. Locus Celſi notatus, & alter Non emendatus. Contradictio Herodoti & Plinij. cap.18.

Heracliti morbus. Eius & Aſclepiadis ſententia de Vrina, Galeni ad idẽ locus notatus. De Iberis dentes vrina lauantibus. cap.19.

Aetius redarguitur, cur caſtrati non fiant leproſi. Locus Ariſt. de Satyriaſi. De manu, Gregorij Nyſſeni ſententia noua. cap.20.

De Cretae generibus. Locus Plinij explicatus. Faſciae, Toga, Mappae cretatae. Error Cornarij. De Gypſo Tymphaico. Theophraſti loci correcti, & alter Plinij notatus.

Menecrates Medicus quis fuerit. Medici Clinici. Locus Plinij mutatus. De Poſca locus Suetonij.

Index.

LIBRI QVARTI.

Qvi fuerint apud veteres Archiatri, & Archiatrorum Cowites, quodve eorum munus. cap. 1.

De Cydni fluuij aqua. Loci Plutarchi, Galeni, & aliorum collati. Locus Plutarchi ex Galeno reſtitutus. Locus Hippo. emendatus. cap. 2.

Loci Ariſt. & Herod. collati. Darij luxatio à medico Graeco curata. cap. 3.

Hippocratis & Ariſto. loci collati. Galeni de Demonſtrationibus libri qui fuerint: & quae Symphonia a Nemeſio citata. cap. 4.

De putaminibus Fabarum, & quid ſit ὀσπριον Athenaeo. cap. 5.

In Acrothoracis ſignificatione, Clementis Alexandrini locus emaculatus. Cur Lauri folia poſt coenam adhiberentur. Ebrietatis precautiones. Plinij locus emendatus. cap. 6.

Tuberes apud Antiquos qui eſſent. Locus Plinij notatus. cap. 7.

De Menta, locus Ariſt. ex Hippoc. illuſtratus & correctus. Plinij alter ad idem notatus, & ex Lucretio explicatus. cap. 8.

Ariſt. error de Epilepſia. Hippoc. locus ad id notatus. Seruij error Ariſto, locus de Sale, & Nitro. Breuis adnotatio, de cauſis res duratas diſſoluentibus cap. 9.

Locus Hippoc. ex Gellio reſtitutus, & alter defenſus. cap. 10.

Quae ſint Paleales vuae & Fabriles, apud Caelium Aurelianum. Quae Menſae frigidae Plutarcho, & eius locus emendatus. cap. 11.

Qui ſint apud medicos Ichores. Locus Iulij pollucis de Morbis emendatus. Fauorini erratum. Sudor ſanguineus. cap. 12.

Galeni explicatus locus: alter Plutarchi mutatus, & ex Celſo atque Galeno explicatus. Hiſtoria Sabini vxoris, notatu digna. cap. 13.

Plutarchi locus reſtitutas de ſignis Peſtis. ex Heſiodo & Hippoc. Strabonis ad idem locus. Empedoclis hiſtoria diuerſo modo à Plutarcho, & Laertio relata. Quid fuerit ἄπνους Empedoclis & Laertio, & Galen. cap. 14.

Plinij locus emendatus. Hippo. locus à Plinio citatus & explicatus. cap. 15.

Loci Hippoc. reſtituti, & collati Lucretio. Ariſtotelis locus reſtitutus, & alter defenſus. cap. 16.

Quoties veteres in die manducarent. cap. 17.

De ptiſana & Aqua hordei Arabum. cap. 18.

LIBRI QVINTI.

Qvid Camum, acinaticium, Murrhina. cap. 1.

Quae ſint febres Statae, typhi, Quotidianae, Querquaerae. Horatij locus de Hydrope explicatus. cap. 2.

Locus Plinij de Mammis explicatus & defenſus. Quis morbu Solſtitialis. cap. 3.

Quaedam

Quaedam in Ariſt. notata de Menſtruis, & de Morbo pilari. cap. 4.
De Duplici ſicu, Locus Varronis emendatus. Plutarchi ſententia emendata & explicata de Salſis. cap. 5.
Quo morbo Pherecydes Syrus obierit. An cor vratur eorum qui morbo cardiaco, aut veneno interierunt. cap. 6.
Antipherontis caſus ex Ariſt. examinatus. Plinij locus de Peſte correctus & expenſus. Locus Celſi emendatus. cap. 7.
De Vitulo marino quaedam notata. De piſce Empyro & Thinno. Locus Lucilij emendatus. cap. 8.
Locus Ariſtot. & Plinij de Pilis palpebrarum expenſus. Locus Clementis Alex. ex Athenaeo reſtitutus. Locus Hippoc. de Veſte dorica. cap. 9.
Qui morbi ſint Oſcedo, Corcus. cap. 10.
Quis ſit morbus, qui inſputatur, quis morbus Senticus. An Colicus morbus Hipp. notus fuerit. Quis Canis morbus apud Gal. quis ἰωπος. cap. 11.
Locus Plinij emendatus. Locus Plutarchi explicatus. Quid ſit Coloſtru. c. 12
Quid ſit ruminatio, & quomodo fiat. cap. 13.
De Fine ruminationis. Locus Gal. examinatus & correctus. Cur ruminantia careant dentibus ſuperioribus, & plures ventres habeant. cap. 14.
Quae ruminent, Ariſtotelis locus expenſus. cap. 15.
Quando ruminent animalia, Error Alberti Magni. Locus Hipp. explicatus. Cur coagulum habeant ruminantia, & cur in tertio ventre. ca. 16.
Loca Hippocratis & Ariſtotelis de Riſu & Inſomnijs puerorum examinata. cap. 17.

LIBRI SEXTI.

Καῦσος, cauſſa, cauſſarij. Quis morbus Cardiacus. cap. 1.
Quid ſit ὠμόλινον apud Hipp. Heſychius gloſſarij auctor, & Fauorinus correcti, Nonnulla de Ficu ex Hipp. atq; de eadē, & ſanguine ex Ariſt. animaduerſa quaedam. cap. 2.
Loca Ariſt. expenſa, Gaza reprehenſus, loca Hippoc. examinata de Anthino unguento, & de Vino anthoſmia. cap. 3.
Ἰχθυοφάγοι qui apud Hippoc. loca ad id Ariſtotelis & Galeni conſiderata. Nonnulla de Demoſthene.
An veteres pane frigido, vel calido veſcerentur. Quid ſit imaginoſum apud Catullum. cap. 5.
Locus Plinij examinatus. Quid ſit ſumere aquam. cur mulieres nouiter nuptarum collum filo circundarent. cap. 6.
Quid ſit pauper ſici Tertulliano. Quid ſpica Cilissa Propertio, Nonnulla de Nardino unguento.
De cerebri membranis locus Macrobij correctus. locus Eraſiſtrati de Inedia. loca Hippoc. Ariſt. & Plinij de dentibus expenſa. cap. 8.

Locus

Locus Hippoc. correctus. Qui fuerint βλητοὶ ſenicti apud veteres: quod morbi genus telum. cap.9.

Gazae errores in Ariſt. detecti. de ſtrumis Ariſt. correctus. Varronis locus de faſcino interpretatus. cap.10.

Quid fuerit per circulos Methodicorũ curare: quae apud Hippocr. pituita antiqua, recens, & epidemia. quod ſalſamentum gaditanũ. cap.11.

De Arquato morbo, Eraſiſtrati locus de Scythis. quomodo homo poſsit diu ſine cibo viuere. Plinij locus explicatus. cap.12.

Locus Hippo. & Gal. examinatus. Qui brocci. loca Plinij expenſa. cap.13.

Locus Ariſt. explicatus de pinguibus corporibus. Tertulliani locus declaratus de fungo aurium, & emendatus. De fungo lucernario Cornarij error. cap.14.

De herba ad Venerem faciente. De quibuſdam venenis. Error Galeni de plumbi natura. Plumbum oculi vitium apud Plinium, quid ſit paralyſis & phthiſis Tertulliano.

De melancholia Cicero notatus. De veterno Plauti notata quaedam, quid fuerit ſuſpirium quo laborauit Seneca. cap.16.

Quis ſit panis lotus Galeno, & aquaticus Plinio. Quid Scribonio lorum vomitorium.

De ructu nonnulla notata. De vomitu Plinij error. De ſingultu Ariſtoteles notatus. cap.18.

An veteres habuerint ocularia: quid Galenus tractauerit in libro an Grammaticus poſsit eſſe criticus. Loca Plinij & Senecae dubia. cap.19.

Homines lupos, & ex foeminis mares fieri, quomodo verũ ſit. Quid ſit mori per ſapientiam apud Plinium. Alius Plinij locus indicatus. cap.20.

Nicander emendatus & explicatus. De tumoribus pedum prae fame iterũ Heſiodus, Ariſt. Plutarc. notati. Lex epheſiorũ de exponẽdis filijs. ca.21.

Cur hecticarum febrium nõ meminerint veteres. Error Gazae detectus. Aeſtates quid Plinio ſint: & de vlceribus rotundis. cap.22.

Locus Caeſaris de impubertate cognoſcenda examinatus. Alter Moyſis de virginitatis ſigno notatus. cap.23.

Quae ſit ſmyrna medicorum apud Ariſt. Alter ipſius locus notatus de auribus & de vlceribus. cap.24.

Pulcherrimus Plutarchi de purpura locus nunquam antea à quoquã examinatus, nunc diligenter explicatus. cap.25.

De Byſſo, & Serico nonnulla. cap.26.

An liceat aquae ſedes, Hippoc. locus explicatus. cap.27.

Locus D. Auguſtini de vxoris Loth in Salis ſtatuam conuerſione explicatus, & ex Hippocrate comprobatus. cap.28.

Quid ſit apud D. Gregoriũ Colatum, Iuritheum, & Cognidium. cap.29.

F I N I S.

HIER. MERCVRIALIS
VARIARVM IN MEDICINAE
Auctoribus, & alijs Lectionum.

Liber Primus.

De Oeſophago, & Stomacho locus Galeni emendatus, & Ariſtotelis conciliatus: Lucretius defenſus: Pollucis locus correctus, & alter Hippocratis indicatus de Concoctione. *CAP. I.*

ALENVS quinto de Locis affectis cap. 5. ſcriptum reliquit, veteres interſtitium illud, quod inter fauces, & ventriculum collocatur, οἰσοφάγον nominaſſe: poſteriores verò Ariſtotele idem ϛόμαχον dixiſſe: quamquam & Homerũ in 18. Iliados ſic locutum inuenio, vbi ſcribit:

Α᾿ψ δ' ἀναχαζόμενος κατὰ ϛομάχοιο θέμεθλα
Νύξ', ἐπὶ δ' αὐτὸς ἔρεισε βαρείῃ χειρὶ πιθήσας
Αντικρὺδ' ἁπαλοῖο δι' αὐχένος ἤλυθ' ἀκωκή.

Subiungit Galenus, Ariſtotelem ipſum eam partem ſemper antiquo nomine vocaſſe. Quae verba occaſionem multis dederunt, vt Galenum calumniarentur: ſiquidem Ariſt. infrequentiùs in ea parte nominanda οἰσοφάγου voce vſus reperitur, quàm ϛομάχου. Is enim primo de Hiſtor. animal. cap. 12. 15. 16. & vltimo: 2. de Hiſtor. cap. 17. item 4. de Hiſt. cap. 13. & ſæpiùs, totum illud ſpacium faucium & oris ventriculi, quod nos Gulam diximus, ϛόμαχον appellauit. At 1. de Hiſt. animal. cap. 6. tertio de Partibus animalium, cap. 11. in eadem parte nominanda, οἰσοφάγου nomen interſeruit: quod etiam ἀπὸ τοῦ μήκους, καὶ τῆς ϛενότητος, neſcio qua ratione, ita vocatum dixit. Vnde cuique perſpectum eſſe poteſt, aut Galenum erraſſe, aut illius philo-

ſophi ſcripta oſcitantér admodum perlegiſſe. Quorum vtrunque cùm ego à medicorum Principe, & in peripatetica doctrina maxime verſato, longè alienum putem: ad credendum potiùs inducor, textus omnes vulgatos vnius voculae οὐκ defectu fuiſſe deprauatos: & propterea ita legendos, αὐτοῦ τοῦ Ἀριστοτέλους οὐκ ἀεὶ τῷ παλαιῷ καλοῦντος ὀνόματι τὸ μόριον τοῦτο τοῦ ζώου, hoc eſt, Ariſtotele ipſo non ſemper antiquo vocabulo hanc animalis partem nominante. Ad hoc autem iudicandum primò ea ratione moueor, quòd veriſimile non videtur, Galenum ſcriptorem omnium fere poſt homines natos diligētiſſimum, in re adeò clara ita dormitaſſe: Deinde quòd ſi eius mentem attentiùs cōtemplari velimus, id innuere voluiſſe videtur, quòd veteres eam partem οἰσοφάγον, poſteriores Ariſtotele στόμαχον nominarint, Ariſtoteles verò tanquam inter hos tempore medius, vtroque nomine vſus ſit; niſi magis placeat totam Galeni ſententiam inuertere, vt dixerit, veteres eam partem vocaſſe στόμαχον. poſteriores verò Ariſtotele οἰσοφάγον, Nam, vt Homerum praeteream, in Hippocratis cōmmētarijs ſemel tantùm vocē οἰσοφάγος vſurpatam inuenio: in libro περὶ ἀνατομῆς: Semel in libro de locis in homine. στόμαχος verò vocata inuenitur in libro de Alim. de carnibus, de glandulis. 4. de morbis. Vnde neque ſatis intelligere poſſum, quomodo Galenus in linguis dicat, Oeſophagum Hippocrati ſignificare os ventriculi. niſi haec omnia concludamus cū ijs quae idem libro 4. de vſu partium cap. 1. ſcribit nēpe οἰσοφάγον eſſe nomen proprium illius viae, quae ab ore in ventrem ducit cibum, στόμαχον vero eſſe nomen commune. Illud interim non tacebo Latinos ferè omnes, qui ornatè & purè dicendi ſtudium amplexi ſunt, ſtomachi vocabulum pro ventriculo, quem Seneca epiſt. 91. & Vegetius lib. 1. Veter. cap. 40. Aqualiculum appellarunt, vt plurimum accepiſſe. Lucretius in 6.

Flagrabat ſtomacho flamma vt fornacibus

Hor. *Ieiunus ſtomachus rarò vulgaria temnit*.

& — *ſtomachoq. tumultum*

Lenta feret pituita.

Idem Columella. Clarus eſt Celſus lib. 1. cap. 2. & 8. & lib. 4. ca. 5. qui tamen lib. 4. cap. 1. gulam, ſtomachum, ſed quaſi populus ita loqueretur, nominauit: qui etiam aliquando, pro ore ventriculi, ea voce vſus videtur. Quod ipſum etiam alios feciſſe, ſed καταχρηστικῶς, ſcribit Galenus 7. Aphoriſ. 56. Plinius quoque in ſexcentis locis, vbi varia pro ſtomacho remedia proponit, ferè ſemper ventriculū intelligit: etſi aliter ſenſiſſe ab aliquibus malè credatur lib. 11

cap.

cap.37. quando dixit, Summum gulae, Fauces, extremum Stomachus: Caelius Aurelianus frequentiſſimè pro vētriculo, & praeſertim vbi de ſtomachicis tractat in 3. Chronicarum paſſionum, pro gula interdum ſtomachum accepit. Serenus pro ventriculo toto:

Qui ſtomachum regem totius corporis eſſe
Contendunt, verà niti ratione videntur:
Huius enim validus firmat tenor omnia membra,
Et contrà eiuſdem firmantur cuncta vigore.

Cum igitur Lucretius in transferendis Thucydidis verbis, ἀντὶ καρδίας, quae os ventriculi ipſi ſignificabat, cor & non ſtomachum, dicere maluerit, haec ratio ſufficere docto cuidã viro ipſum criminanti debebat, quòd ſtomachus rarò os ventriculi, plerunq; vel totum ventriculum, vel gulã ipſam propriè ſignificaret Latinis. Quo modo etiam Nicander in Alexipharmacis, στομάχοιο δοχαίην vocari id à nonnullis dixit: quaſi ſit per quod ſtomachus recipit. Sic etiam poſt nos Lambinus ſcripſit Lucretiũ pro corde intellexiſse ſtomachũ, ad Graecorum imitationẽ: quemadmodum & Horatium lib. 2. Sat. 3. Ac ne quis Pollucem in 2. lib. mihi adducat, vbi ſtomachum aſperam arteriam quoque vocatã dicere videtur: ſciri velim, apud ipſum ſtomachũ eo in loco pro gulae principio, quod ductibus ambobus quaſi cõmune eſt, capi; Vbi etiã litteram Pollucis mẽdoſam eſſe reor, quãdo ſcribit, ὁ δὲ στόμαχος ἔγκειται μὲν ἔνδοθεν τῇ ῥάχει, καταντείνει δὲ εἰς πνεύμονα, hoc eſt, ſtomachus intus quidẽ incũbit ſpinae, pertinet autem in pulmonem: Quo in loco legendum credo, εἰς κοιλίαν; Nam ex his ſubſequentibus verbis, ſic eſſe legendum apparet: τοῦ δὲ στομάχου καταλήγοντος εἰς κοιλίαν, id eſt, Stomachus vero cùm in ventrem deſinat. Similia his ſunt, quae apud Hippocratem in libello de Anatome ſcripta habẽtur, hoc modo, οἰσοφάγος δὲ ἀπὸ γλώσσης τὴν ἀρχὴν ποιεύμενος, ἐς κοιλίην τελευτᾷ, ἣν δὴ καὶ ἐπὶ σηπτικῆς κοιλίης στόμαχον καλέουσιν. id eſt, Oeſophagus autẽ sũpto à lingua initio in ventrẽ deſinit, quẽ in vẽtre putrefactorio ſtomachum nominãt. Nam σῆψιν more antiquo ab Hipp. concoctionem vocari, in noſtris Hippocratis adnotationibus monſtramus: vt nemo mirari debeat, quòd ventriculum vbi concoctio perficitur, σηπτικὸν vetuſtiſſimus auctor dixerit: qui etiam ἀκρεσαπὲς pro leuiter concocto in lib. περὶ τροφῆς dixit, ſicut Empedocles vocauit vinum ὕδωρ ἐν ξύλῳ σαπὲν, id eſt, concoctum, vt refert Ariſtoteles 4. Topic. cap. 5. & Plutarchus cap. 2. lib. de Cauſis Nat. vbi ſcribit, coctionem eſſe putrefactionem. Galenus pariter 1. aph. ſect. 6. ſcribit veteres cruda vocaſſe ἄσηπτα. i. non putrefacta ſeu non cocta. Ceterum Marcellus

Empiricus cùm à Stomacho Aqualiculum diuerſum faciat, pro ſtomacho fortè os vētriculi, pro aqualiculo eiuſdē fundū intellexit: Nā & alijs aqualiculum idē fuiſſe, non eſt rationi, neque ſententiae noſtrae diſſentaneum. Sed de hoc alibi etiam in hiſce libris tractatur.

De rabie, ſiue Hydrophobia, & Elephantiaſi, loci Ariſtotelis, & Medicorum explicati. CAP. II.

APud Ariſtotelem 8. Hiſt. anim. cap. 22. ſcriptum inuenitur, hominem inter cetera animalia à rabido cane commorſum, neque rabie corripi, neque interire. Eius verba ſunt: οἱ δὲ κύνες κάμνουσι νοσήμασι τρισίν· ὀνομάζεται δὲ ταῦτα, λύττα, κυνάγχη, ποδάγρα. τούτων ἡ λύττα ἐμποιεῖ μανίαν, καὶ ὅταν δάκῃ, λυττῶσιν ἅπαντα τὰ δηχθέντα, πλὴν ἀνθρώπου. ἀναιρεῖ δὲ νόσημα τοῦτο τάς τε κύνας, καὶ ὅτι ἂν δηχθῇ ὑπὸ λυττώσης, πλὴν ἀνθρώπου. Quum autem euentus quotidiani hominē non ſolùm à cane, verùm etiam ab alijs rabidis animalibus commorſum, male affici, atque iugulari (vt Caelius Aurelianus 3. Acutorum ſcripſit) manifeſto declarēt, multi, vt Ariſtotelem ab erroris ſuſpicione vindicarent, in eo interpretando laborarunt. Iulius Pollux in 5. ſententiam philoſophi ita accipiendam voluit, ὅτι πᾶν τὸ ὑπὸ λύττῃ κυνὸς ἐχομένης δηχθὲν ἀναιρεῖται, ἄνθρωπος δὲ μόνος οὐκ ἄνευ κινδύνων περιγίνεται. i. quod omne animal à rabie correpto cane commorſum interit, homo vero ſolus nō abſq. periculo ſeruatur. Nicolaus Leonicenus vir doctiſſimus contextum potiùs deprauatum eſſe voluit, & loco πλὴν, eſſe legendum πρὶν, quaſi homo commorſus in rabiem & mortē deueniret vtique, ſed poſteriùs ceteris animalibus: quando Galenus aliquos poſt ſextum, & octauum à morſu accepto menſem, vel etiam poſt annum, Auicena poſt ſeptimum, Albertus poſt duodecimum eo morbo laboraſſe, & necatos fuiſſe tradunt. Non defuerunt, qui πλὴν χηνὸς legendum maluerint, rudi quadam experientia ducti, quòd anſeres ſaepenumero mordeantur, & nullum ex ijs interire conſpiciatur. Auguſtinus Sueſſanus in commentarijs ſuper libros de Animalibus ſententiam Ariſtotelis iccirco veram putauit, quia vnus homo ratione praeditus medicamentorum ope ſeruatur, quo minùs vel non rabie capiatur, vel captus euadat: quamuis non omnes illud obtineant. Hieronymus Fracaſtorius diuerſa à cunctis via in-

via incedens, cetera animalia rabire ob feritatis conſortium, quòd illis cum cane eſt, hominem verò ob temperaturae ab illis multum diſcrepantis excellentiam minimè ei aegritudini ſubijci ex Ariſtotelis mente credidit. Sed ego, cùm in vetuſtiſſimum codicem manuſcriptum inciderim, cui haec verba deſunt, *καὶ ὅτι ἂν δηχθῇ ὑπὸ λυττώσης, πλὴν ἀνθρώπου*; & hanc lectionem vetus quoque Latinus interpres, quem manuſcriptum vidi in Bibliotheca, quam Io. Vincentius Pinellus, vir doctiſſimus, & omnium bonorum patronus, in vſum eruditorum magnis ſumptibus inſtruit, ſecutus ſit, putaui facilè contingere potuiſſe, vt etiam antiquis temporibus ea verba quae litigandi occaſionem dedere, ab aliquibus librarijs ex marginibus interſerta ſint: eò praeſertim, quòd antiquus auctor Antigonus in ſynagoge Paradoxarum hiſtoriarum, vbi multa ex Ariſt. fideliſſimè recitat, id ſolum inquit voluiſſe Ariſtotelem *ὑπὸ κυνὸς λυττώσης λυττᾷν πάντα τὰ δηχθέντα, πλὴν ἀνθρώπου*. Veruntamen vt concedam Ariſtotelicum cõtextum nihil omnino immutandum, neminem adhuc eorum veritatem vſquam aſſecutum exiſtimo: propterea quòd tempeſtate Ariſtotelis morbum hunc in homine nondum cuiquam innotuiſſe inuenio: vnde iure ipſe ſcriptis mandauit, ſolum hominẽ commorſum à rabido cane illaeſum permanere. Vtrũ verò eo tempore morbus ille nunquam fuerit, ſed pòſt ortum habuerit: an fuerit quidem, ſed cognitus non ſit, forſan dubitari poſſit. Attamen vtrunque fieri potuiſſe exiſtimo. Plutarchus enim 8. Sympoſiacorum Problem. 9. hydrophobiam, & elephantiaſim morbos fuiſſe nouos Aſclepiadis tempore, qui ſub Pompeio Magno Romae in arte medica claruit, ex ſententia Athenodori medici teſtatum fecit, vbi ſimiles morbos, atque etiam alios cauſis diuerſis poſſe nouiter oriri diſputat: quemadmodum rigorem ſine febre nouum & peregrinum Symptoma, ob victus nouitatis rationem ſuo tempore fuiſſe perhibet Galenus cap. 7. lib. de Rig. trem. Nihilominùs haud rationi quoque diſſonum mihi videtur, morbum antiquitus etiam extitiſſe, neque tunc innotuiſſe: propterea quòd homines eo morbo multis poſt acceptum morſum diebus occuparentur; & iccirco à medicis eius cauſa non aduerteretur. Vtcumque ſit, Ariſtotelis certè tempore minimè cognitum fuit, hominẽ commorſum à rabido cane, vllo morbi aut ſymptomatum prauorũ genere, & praeſertim aquae timore capi. Quod & aliae, praeter Plutarchi modò citatum teſtimonium, rationes mihi perſuadent. Nam ex vetuſtioribus Aſclepiade ſcriptoribus neminem adhuc inueni, qui huiuſce mali mentionem vllam expreſſam fecerit: Quod ſi ma-

nifeſtum fuiſſet, aequum erat ab aliquibus, & ſaltem ab vno Hippocrate nominari, nempe qui in commentarijs Epidemicis, & alibi, varia ac prope incredibilia morborum genera recenſuit. Nicander item Colophonius, qui ante Pompeij tempora, ſub Attalo eius generis poſtremo Pergami rege floruit, cùm omnia venena ac lethalia homini, ſiue ex potu ac cibo, ſiue ex morſu, atque impreſſione, carminibus perſecutus hydrophobiam tacuerit, par eſt arbitrari, non aliunde eam ſilentio praeterijſſe, niſi quia aetate ipſius nondum apparuerat. Neque Caelij Aureliani auctoritas (ſiue ipſe ſit, ſiue Soranus ab eo Latinus redditus, qui in 3. Acut. de hac paſſione latiſſimè diſſerit) me quicquam mouet. quandoquidem ineptè ſatis ac indoctè ex vno vel altero Homeri, Menandri, Democriti item & Hippocratis loco falsò, & extra rem inducto, Hydrophobiam veteres auctores nouiſſe, ſeſe probare credit. Accedit quòd Ouidius, qui paulò poſt Aſclepiadem vixit, Hydrophobiae nullum eſſe remedium ſcribens hoc verſu,

Soluere nodoſam neſcit medicina podagram,
Nec formidatis vlla medetur aquis.

indicare videtur, eum morbum nuperrime apparuiſſe, quippe cuius medicina nondum inuenta eſſet. Quin & hac in re Plinij, alioquin auctoris grauiſſimi ſententiam probare nequeo, qui vſque ad tempora ſua, aquae & aliarum rerum formidinem ex morſu canis ortam incurabilem extitiſſe, & caſu quodam à milite Cynorhodi potionem à matre ſibi per literas ex inſomnio indicatam huic malo inuentam eſſe medicinam ſcribit, quum conſtet, Cornelium Celſum, & Scribonium Largum, Plinio antiquiores, eius remedia plurima ſcriptis mandaſſe; vt ſilentio praeteream Dioſcoridem, atque Caelium Aurelianum, qui Themiſonem medicum Aſclepiadis ſectatorem à cane morſum huiuſcemodi timorem incurriſſe, & medicamentorum ope incolumem euaſiſſe ſcribunt. Niſi, Plinij auctoritatem tuentes, dicamus vulneratos à canis dente ante ipſius tempora curatos eſſe, ſi in principio medicus accerſebatur; at ſi neglectus longiùs proceſſerat morbus, & timorē aquae pepererat, minimè curari potuiſſe. Huic ſententiae non parum Celſus fauet, inquiens, Aquae timore oppreſſis in anguſto ſpem eſſe. Simili pacto Galenum à calumnia vindicare ſoleo, qui in 6. de Loc. affectis, ſolos canes rabie tentari ſcripſit: cui etiam Alexander ille Probl. auctor aſſenſus eſt. Nam Ariſtoteles, Caelius Aurelianus, Theodorus Priſcianus, Vegetius, Porphyrius, Apſyrtus, Hierocles, Palladius, Auicenna, qui huiuſmodi morbum in equis & alijs animalibus ob-

ſeruarunt, Galeno poſteriores extiterunt: inde facilè contigit, vt illius tempeſtate nondum in quopiam alio, quàm in cane innotuerit, vel ſaltem id nomen tunc non obtinuerit, quod poſteriores in alijs animalibus vſurpauerunt. Niſi dicamus, Galenum haudquaquam Hippiatricem exercuiſſe, & propterea, ſi quicquam in ipſa errauit, excuſationem mereri, vel potiùs locutum eſſe de vera rabie, quae à cane immediatè aut mediatè proficiſcitur: Etenim caetera animalia, niſi ſint à ſolo cane rabido commorſa, haudquaquam verè rabiunt: quamquam ſimili quopiam morbo affici poſſunt qui per ſimilitudinem à ſcriptoribus ſit rabies vocatus. Sed de tota huius morbi natura copioſè egimus, dum publicè morbos capitis explicuimus. Quod verò Plutarchus ſcribit, Elephantiaſim ab Arabum medicis Lepram vocatam, ac morbum vni homini proprium, Aſclepiadis ſolùm ætate ſeſe manifeſtaſſe; id ita accipiendum puto, vt, quemadmodum ſcribit Plinius 26. lib. in Italia tunc apparere coeperit, quoniam eum morbum ſub nomine Satyriaſis Ariſtoteles in 4. de Gen. anim. cap. 3. intellexit, vt Michael Epheſius in commentario prudenter notauit. Adhuc in Aegypto anteà vulgatum extitiſſe declarat etiam Lucretius in 6.

Eſt elephas morbus, qui Nili flumina propter
Gignitur Aegypto in media, neque praeterea vſquam
Atthide tentantur greſſus, oculique in Achaeis
— Finibus.

Elephantiaſin autem licet in Italia ſtatim reſtinctam narret Plinius; in Aegypto tamen frequens durauit vſque ad Galeni tempora, qui eum morbum Alexandriae familiarem, in Germania, Scythia, Myſia frigidis regionibus non graſſatum, 2. libro ad Glauconem tradidit. Quod porrò ſcriptum eſt, Aegyptiorum reges ea lue captos ſanguine humano in balnearum ſolijs fuſo magna populi caede curari ſolitos, vt non multùm vero ſimile, ſic ferini remedij habuiſſe ſpeciem opinor.

Reſtitutus Galeni & Plutarchi locus de Palmulis, & alter declaratus. Nonnulla de oliuis. Papauer fici apud Tertullianum. CAP. III.

PAlmulas & vi quadam peculiari, & quòd magno labore coquantur, ac vaporibus ſuperiora tentent, capitis dolorem generare, ſcriptum eſt à Galeno 2. de Comp. medic. s. l. vbi Apollonij ad dolores ex ebrietate ſcripta recitat; nec non 2. de Alim. fac. & in lib. de Facilè parabilibus ad Solonē: quod anteà Xenophō apud Athenaeum in 14. Dipnoſ. & Dioſcorides affirmant, necnon Plutarchus in Praeceptis connubialibus, vbi cerebrum palmae (Xylander malè Phoenicis tranſtulit, ſed puto haec ignoraſſe) dulce quidem eſſe, ſed capiti dolorem inducere ſcribit. Quamquam cerebrum palmae vocatum, & fructum differre nemo ignorat, vt praeter ceteros ex Xenophonte 2. de Cyri expedit. intelligere licet. Ceterùm in 2. de Comp. med. s. l. recenſens medicamenta pro curandis capitis doloribus ex ſtomacho ortis, haec ait: *ὅσοι δὲ δύνανται τὸν ἄρτον ἐσθίειν χωρὶς ὄψου, τούτοις ἢ ἐλαιῶν, ἢ φοινίκων, ἢ τινὸς τοιούτου διδόναι*. Ex quibus perſpicuum fit, Galenum contraria ſibi ſentire: niſi dicamus. hunc ipſum contextum deprauatum eſſe, & loco *φοινίκων* legendum *λευκῶν*, vt iuncta dictioni *ἐλαιῶν* habeatur oratio in hunc modum, *τούτοις ἢ ἐλαιῶν λευκῶν, ἢ*. Quem locum ita reſtituendum ideo exiſtimo, quoniam Aetius, qui vt infinita propè alia, ita eum contextum ad verbum in 6. lib. cap. 45. induxit. ſic & ipſe habet. *ἄρτου προσφέρεσθαι βραχὺ, ἢ ἐλαιῶν λευκῶν, ἢ σταφυλῆς, ἢ τινὸς τοιούτου διδόναι*. Nam de oliuis albis mentionem inuenio apud Celſum lib. 4. cap. 20. apud eundem Galenum 5. de Comp. med. s. l. necnon apud Oribaſium lib. 7. qui omnes ijs in ſtomacho, atque in alijs partibus adſtringendis vtuntur, ne quis miretur, cur potiùs oliuas albas quàm alias, ibi legendum voluerim: porrò Oliuae albae illae dicuntur, quae mediae ſunt inter virides & maturas: virides enim acerbae nimis ſunt, & cruditate ſua minimè conueniunt; maturae, quae & nigrae ſunt, ſua pinguedine ſtomachum relaxant; Albae autem vtroque exceſſu carent, cùm neque incoctae prorſus ſint, & adſtrictoria facultate non priuentur: Quò etiam Plinij accedit auctoritas, qui libri 23. cap. 3. oliuas albas ſtomacho vtiliores, ventri minùs ſcriptum reliquit. Quomodo

albae oliuae condirentur, non eſt mihi admodum compertum: inuenio tamen apud veteres plures eas condiendi modos extitiſſe. Nam muria primò condiebantur, ipſiſque foeniculum admiſcebatur, κολυμβάδες à Graecis vocatae, à Romanis Drupae. Caelius Aurelianus 4. Chron. paſſ. capitu. 3. natantes vocauit. Has aliquando albas vocatas putaui, quòd Diphilus apud Athenaeum 2. Dipnoſ. eas à nigris, quas στομφυλίδας vocabant, diſtinguat, & ad firmandum ventriculum commendet his verbis: Τὰς δὲ μελαίνας, καὶ κακοστομαχωτέρας, καὶ βαρύνειν τὴν κεφαλὴν· τὰς δὲ κολυμβάδας καλυμένας εὐστομαχωτέρας εἶναι, καὶ κοιλίας σταλτικὰς, id eſt, *nigras quidem & ſtomacho minus aptas, & caput grauare: Colymbadas vero & gratiores ſtomacho, & ventrem retinere*. Condiri etiam oleo conſueuiſſe inquit Ariſtoteles 2. Rhetor. vbi σίμφυλα ἐλάῃ δεῖσθαι refert. Erant verò σίμφυλα apud Athenienſes oliuae illae, quas aliter τετριμμένας nominabãt, Ariſtophanes θλαστὰς vocauit, Caelius Aurelianus ibidem fractas nuncupauit. Quae verò ſint oliuae Premadiae apud Nicandrum in Alexipharmacis aduerſus Ceruſſae venenum commendatae, nondum mihi quicquam certi compertum eſt, niſi ſit oliua Pauſia, quam vt Virgilius ſimul cum Orchade iungit hoc carmine:

Orchades, & radij, & amara Pauſia bacca:

ſic & Nicander:

Τῶ τε πρημαδίης, ἢ ὀρχάδος εἶαρ ἐλαίης.

Eſt enim Pauſiae apud Columellam bacca iucundiſſima, ex qua oleum fit ſaporis egregij dum viride eſt: vetuſtum autem corrumpitur. vnde Seruium laudare non poſſum, qui apud Virgilium pro amara bacca viridem exponit: cùm amaror Pauſiae ſit iucunditati cuidam iunctus, vt Plinius ait, ceraſa laurea non ingratae amaritudinis eſſe. Cogitent quaeſo eruditi, num aliquid lucis ei loco afferre valeant. Auctor eſt Celſus lib. 2. cap. 19. oliuas etiam ex defruto & paſſo condiri ſolitas. Quoniam autem de palmulis ſermonem habui, locum alium Galeni in medium proferre placet; in quo interpretando omnes penè interpretes vel hallucinatos, vel obſcuriores quàm par erat extitiſſe video. Is eſt libro de Locis affectis 6. vbi diſputans, num vterus animal ſit (quemadmodum Plato ſcripſit) ait, quòd ſi eſſet, quando rebus deſideratis fruſtratur, vtique triſtitia afficeretur, & forſan emaciaretur. Exemplum deinde proponens, ſubiungit: καθάπερ ἔνιοί φασιν τοὺς ἐρῶντας φοίνικας πάσχειν. quae verba ad Phoenices populos referre omnes videntur interpretes; cùm minùs diſtet caelum à terra, quàm vt id Galenus doctiſſimus ſignificare voluerit. Nam de vtero ſecundum ipſum ſenſibus orbato

loquens

loquens, ineptus planè fuiſſet, ſi animali & non plantae eum aequipa raſſet. Ad haec palmae plantae hiſtoria adeò quadrat Galeni menti & inſtituto, vt nemo vel mediocri iudicio præditus de alia re locutum Galenum credere poſſit. Auctor enim eſt Philoſtratus in Iconibus, palmam marem atq; foeminam ita ſe amare, vt niſi propè ſerantur, ac ſe contingant, emacientur, exſiccenturq́ue; quòd Plinius quoque lib. 13. cap. 4. non ſolùm affirmauit, ſed etiam addidit,
„ ipſas ſterileſcere. Huic ſententiae non parum conueniunt, quae an-
„ te hos à Theophraſto ſcriptis mandata ſunt 3. de Cauſis plantarum
„ cap. 20. palmam foemellam fructus non retinere, niſi ſupra eam flores maris palmae cum puluere iaciantur: quod nonnulli voluere idem operari, ac ſemen maſculorum piſcium ouis foemellarum inſperſum. Id vt faciat, luculentiſſimè à D. Baſilio in Hexameri Ho-
„ milia V. expoſitum eſt his verbis: *Frugiferarum verò ſtirpium tanta*
„ *eſt in edendis fructibus differentia, vt eam oratione poſſet conſequi ne-*
„ *mo. Non ſolùm enim differentia fructuum in diuerſis genere ſtirpibus,*
„ *ſed in eadem etiam arboris ſpecie non mediocre diſcrimen eſſe videtur:*
„ *vbi forma fructus à peritis in ſtirpium cultu diſtincta eſt etiam ſexu, vt*
„ *alia marium ſit, alia foeminarum, qui palmas & in marem, foeminam-*
„ *que diſſindunt: & videtur etiam interdum quae ab ipſis foemina dici-*
„ *tur in marem pronam blandioribus ramis nutare, quaſi geſtientem,*
„ *atque amplexum maris percupientem: ſtirpium verò cultores inter ramos*
„ *tunc, quaſi ſemina quaedam, maris florem ſeu fructum immittere, atque*
„ *ita illam quaſi voluptatem inde percipere, ſeſeq́; demum rurſus erigere,*
„ *ad formamq́; propriam ſuas reſtituere comas. Haec eadem de ficis eſſe aſ-*
„ *ſerunt. Quamobrem alij iuxta ficeta caprificos ſerunt: alij caprifici groſſos*
„ *inter ſe colligatos inijciunt ficis, atq́; hoc pacto ficorũ imbecillitati meden-*
„ *tur, defluentem delabentemq. fructum ipſarum groſſis iſtis fulcientes.*
Hactenus Baſilius, qui cùm in ſuo illo Hèxamero multa ex Plutarcho poſuerit, fit vt exiſtimem, poſſe hinc lucem afferri eiuſdem Plutarchi obſcuro & corrupto loco. Nam in lib. qui ἐρωτικὸς eſt inſcriptus, eos damnans, qui iuniores viros foeminis ſenioribus connubio iungunt, quaſi contra Heſiodi praecepta agant, haec ſubnectit Protogenes; apud Plutarchum quidem corrupta, ſed noſtra ſententia ſic reſtituenda: σχεδὸν ἡμεῖς ἔτοι τοσούτοις γυναιξὶ πρεσβυτέρα, καθάπερ οἱ φοίνικας ἢ σῦκα θεραπεύοντες, νέον καὶ ἄωρον περιάψωμεν. i. nos ipſi totidem maiori natu mulieri, inſtar eorum, qui palmarum vel ficuum culturae operam nauant, iuuenem & immaturum virum copulabimus? Etenim qui palmas & ficus vt fructificent curant, id ſtudent, vt ſemper foemellae palmae vetuſtiori adiungatur mas iunior,

atque

atque ficui vrbanae caprifici groſſus, vt idem ſcribit Plutarchus viij. Symp.ij. appendatur, nempe quia iunior ſeniori iunctus minimè fructus illius defluere patiatur, ſed cohibeat, & perficiat. quanquam Herodotus libro primo ſcribit iccirco maſculae palmae fructus alligari fœmellae, quia ex illis, vt ex caprifici groſſis, oriantur culices, qui palmulas foemellae penetrantes matureſcere cogant, alioquin occaſuras. Huic partim ſimilia partim diſſimilia ſcribit Ammianus Marcellinus lib.24. hiſce verbis. Et maritari palmae ipſae dicuntur, facileque ſexus poſſe diſcerni, additur etiam generare feminas ſeminibus illitas marium, feruntq. amare eas mutuo delectari, hocque inde clarere, quòd contra ſe viciſſim nutantes ne turgidis quidem flatibus auertuntur, & ſi ex more femina maris non illita fuerit ſemine, abortus vitio foetus amittit intempeſtiuos, & ſi quae femina cuius arboris amore percuſſa ſit ignoretur, vnguento ipſius inficitur truncus, & arbor alia naturaliter odoris dulcedinem concipit, hisque indicijs velut coeundi quaedam proditur fides. Verum quia caprifici mentio ſuborta eſt, addam & illud Tertullianum in lib. aduerſus haereticos. granum fici, ex quo fit caprificus, ſicut ex oleae nucleo oleaſter, quemadmodum teſtatur Theophraſtus 2.hiſt.Plant.cap.3.& 4. de cauſis cap. decimo papauer ob ſimilitudinem formae appellaſſe. Sed de hoc alibi ſuſius dicemus.

Galeni locus emendatus in 12. Meth. & alter in 13. melius quàm à Linacro interpretatus: CAP. IIII.

Galenus in medicos nonnullos inuectus, qui generoſa remedia importunè adhibentes aegrotos iugulabant, quendam narrat dyſentericos valido quodam praeſidio interdū curaſſe, interdum necaſſe: modum verò illius curationis ita fuiſſe tradit. κρόμμυα τὰ καρτὰ καλούμενα μετὰ ἄρτον ἐδίδου ἐσθίειν, καὶ πίνειν ὀλίγον ἡμέρᾳ μίᾳ: Quo in loco interpretes, graecos codices vulgatos ſequuti, Cepàs cartas vocatas transferunt. Harum cùm apud nullos auctores genus vllum ita vocatum inuenerim, textum deprauatum eſſe, & pro καρτὰ vel κνίδια, vel κρητικὰ legi debere putaui: Quòd cepas huiuſcemodi vocatas veteres habuerint, teſtatus eſt abundè Theophraſtus, & poſt ipſum Plinius, qui etiam cepas coctas dyſentericis veſcendas dare medicos conſueuiſſe, cap.5. 20. libri tradit. Creticas in honore habitas dulciuſculas fuiſſe, ex

Theopraſti

Theophraſti & Plinij verbis conijcitur; vt ea ratione fieri potuerit, quòd medici illas tanquam palato gratiores elegerint. Vel certè κρόμμυα τὰ κοκτὰ καλούμενα legendum omnino reor, vt Galenus vulgatum Romae nomen literis exarare voluerit, quod alibi identidem feciſſe nemini ignotum arbitror. Quae loci huius facilè emendandi coniectura in memoriam mihi adducta eſt à iuuene cum primis & erudito & docto, Samuele Darderio Byzantio, philoſophiae ac medicinae doctore, & noſtri ſtudioſiſſimo auditore. Sed quoniam Methodi locum explicui, alterum lubet ſubnectere in fine decimi tertij libri, quem interpretes forſan ob Romanae vrbis ignorantiam malè tranſtulerunt. Vbi enim Gal. arteriarum inciſionem inſtituit, quae vincula in id opus eligenda ſint, edocens, Gaitana ex Gallia Romam aduecta ceteris praefert: ac diligentia ſibi ſolita vſus, vbi quoq; in vrbe illa venderentur indicans, ait: πιπρασκομένων δὲ μάλιστα κατὰ τὴν ἱερὰν ὁδὸν, ἥτις ἐκ τοῦ τῆς Ῥώμης ἱεροῦ κατάγει πρὸς τὰς
» ἀγοράς. quem locum tranſferens Linacer, dixit, *Vendita verò ma-*
» *ximè in Sacra via, quae à templo deſcendit ad fora.* cum tranſferre de-
» buerit: *Quae à templo Romae ad fora deſcendit: ita enim mira Gale-*
» *ni diligentia in deſcribendo appoſitiſsimè loco non occultatur.* Erat enim via Sacra non longè à templo Pacis, necnon à foro templum Romae, & Auguſto (vt in quibuſdam antiquis numiſmatibus conſpicitur) dicatum, quod & pulchritudine, & ſacrificiorum magnificentia Veneris templo inferius nequaquam fuiſſe his verſibus monſtrat Aurelius Prudentius.

Iámq; domo egrediens, vt publica feſta, dieſque
Et ludos ſtupuit, celſa & Capitolia vidit,
At Sacram reſonare viam mugitibus, ante
Delubrum Romae (colitur nam ſanguine & ipſa
More Deae, noménq; loci ceu numen habetur.
Atq; vrbis, Veneriſq; pari ſe culmine tollunt
Templa, ſimul geminis adolentur thura Deabus.)

Eius Templi facies ferè tota ſeruatur adhuc, Coſmaeque ac Damiano hodie dicatum eſt; ibi erant variae officinae, inter quas erant, qui vincula huiuſcemodi venderent. Illud quoque ex eodem loco colligendum eſt, Galeni tempore ſericum rariſſimum fuiſſe, quando id ipſe refert, ſub ditione Romana, & in magnis ciuitatibus penes ſolas mulieres opulentas inueniri potuiſſe.

Archigenis

Archigenis locus emendatus apud Galenum: ac de Bulbis nonnulla non reſpuenda contexuntur. C AP. V.

ARchigenes medicus clariſſimus, qui Hadriano Imperatori inſeruiuit; & eius morti loco ſub mamma lethali demonſtrato occaſionem dedit, (vt Dion Caſſius ſcribit: apud quem pro Hermogene Archigenem legẽdum eſſe reor; etſi etiam Hermogenis cuiuſdam medici apud Galenum mentio habeatur 1. de Simpl. med. capitu. 27.) multa in re medica praeclariſsima commentaria edidit, quae à Galeno paſſim ceteris aliorum ſui temporis medicorum ſcriptis non ſine honore praeferuntur. Is cùm illorum curationem inſtitueret, qui prae fame in animi deliquia incidunt (vt ſcribit Galenus) praecepit, quàm primùm viribus reficiendis incumbendum eſſe, & ideo iam ſoluto deliquio ea illicò exhibenda, quae bellè nutrirent, & ſtatim ac confertim corroborarent: qualia ſunt oua ſorbilia, panis cum vino, cochleae, & bulbi: Quo in loco vehementer ſuſpicor mendum aliquod latere; quoniam illa, quae ἀθρόως ſiue aceruatim nutrire poſſunt, omnia multùm, & citò in parua mole nutriunt: Cochleae verò, & bulbi tamet ſi nutrimenti multum corporibus praeſtare valeant, nihilominùs tardiſsimè & ſenſim alimentum ſuum membris impertiunt: vt hac ratione Galenus 2. Aphor. 18. apertiſsimè neget ea aceruatim nutrire. Accedit his, quòd Aetius haec omnia ad verbum transferens, cochleas & bulbos non habet; ſed loco eorum halicam cum vino poſuit. quemadmodum etiam apud Galenum ipſe legẽdum puto: Nec obſtat, quòd paullò ſuprà Archigenes pro ſtomachicis cochleas & bulbos (ſicut & Diphilus apud Athenaeum) probarit: quoniam, vt illi ad corroborandum ventriculum, pro quo ibi laudantur, valent: ſic ad reparandas ſtatim vires minimè congruunt. Neque dicat quis. Galenum in loco ſuprà citato halicam inter tardè nutrientia recenſere: propterea quòd ibi de halica ſola ab ipſo ſermo habetur: cui ſi vinum miſceatur, aufertur ſanè ipſi viſciditas, atque craſsities, & ideò efficitur, vt multum nutrimentum, quod ſecum habet, paruo tempore diſtribuatur, qua ratione Galenus in primo ad Glauconem huiuſcemodi mixtionem probauit in illis, in quibus ſyncope timetur in acceſsionibus: quemadmodum & Aetius in cardiacis, alijsque plurimis. Quòd porrò de bulbis ſcripſit Ariſt. 20. Probl. eos repo-

ſitos germinare, quoniam interna ac nutritia humiditate abundant: id ita accipiendum eſt, quemadmodum 5. de Cauſis plantarum Theophraſtus prodidit: videlicet omnia bulbacea lento quodam humore praedita eſſe, cuius ope tam diu natiuus calor conſeruatur, quouſque is ab externo adiutus humiditatem illam explicat, praeparat, & noua forma induit: Eos venerem excitare oſtendit verſiculus apud Athenaeum citatus.

Οὐδὲν σ' ὀνήσει βολβὸς, ἂν μὴ νεῦρ' ἔχῃς.

Quòd etiam Martialis venuſtiſsimè ſic expreſsit:

Cùm ſit anus coniux, cùm ſint tibi mortua membra,
Quid bulbis, aliud quàm ſatur eſſe potes?

Locus Galeni de Foecundis correctus, & nonnulla ad id ex Lucretio & Paullo. CAP. VI.

HAnc iuxta omnes impreſſos codices ſentētiam habet Galenus 5. Apho. 62. quòd tam mulieres, quàm viri, ſi temperie quattuor qualitatum potiantur, generant, quamuis temperie illa priuatis commiſceantur; intemperati verò nunquam generant, niſi contraria intemperie praeditis iungantur, vt pote calidi frigidis, humidi ſiccis, & ita de ſingulis. Sic enim ſua lingua ſcribit: περὶ μὲν τῶν εὐκράτως ἐχόντων ἀνδρῶν τε καὶ γυναικῶν, ὡς ἀεὶ γεννῶσι, κἂν ταῖς δυσκράτοις μίγνυνται: περὶ δὲ τῶν δυσκράτων, ὡς μετὰ τῶν ἐναντίων μόνον. Sed haec minimè cohaerere poſſe rem intimiùs conſiderantibus videbuntur. Quoniam ſi intemperati ſolis intemperiei eorum contrarijs naturis copulati gignunt, qui poterunt temperatis iuncti generare? Neque dicendum eſt temperatas naturas intemperatis quibuſuis contrarias exiſtere, aut eas vt non planè contrarias poſſe generationi ſufficere: quoniam Galenus infra ſatis manifeſtum facit, ſe de ea loqui contrarietate, quae inter vtraque extrema, non inter alterum extremorum & medium poſita eſt. Ad haec, ſi intemperies ſolùm gignendo aptae ſunt, quando contrarijs copulantur: igitur temperatis quomodocumque iunctae, erunt infoecundae. Itaque textum corruptum eſſe potiùs, atque hoc pacto legi debere puto: ὡς ἀεὶ γεννῶσι, ἢν ταῖς εὐκράτοις μίγνυνται: namque ſententia vt vera ſibi conſtabit, quòd temperatis ſi temperati miſceantur ſemper gignunt: intemperati verò tunc ſolùm, quando contrarijs ſuae intemperiei copulantur. Haec omnia videtur Lu-

cretius

cretius in 4. de Natura libro quaſi ſomniaſſe, vbi foecunditatis varias cauſas exponens, inter alias vnam ſic ponit:

Vſque adeò id magni refert, vt ſemina poſsint
Seminibus commiſceri genitaliter apta,
Craſſaq. conueniant liquidis, & liquida craſsis.

Quod verò paulò pòſt ſcribit, ad concipiēdum quoque magnopere conferre, ſi à tergo, belluarum more, vir cum muliere vtatur venere.

Et quibus ipſa modis tractetur blanda voluptas,
Id quoq. permagni refert. Nam more ferarum
Quadrupedumq. magis ritu plerunque putantur
Concipere vxores, quoniam loca ſumere poſſunt
Pectoribus poſitis, ſublatis ſemina lumbis.

non eſt ita explodendum, vt rationem magnam ſecum non habeat, potiusque dictu turpe, quàm factu videatur. Nam & Paullus Aegineta non contemnendus auctor, quicquid Lucretius ab hanc rem pluribus carminibus ſcriptum reliquit, hiſce verbis lib. 3. cap. 74. complexus eſt. μίξις δὲ ἡ ἐξόπισθεν δοκεῖ πρὸς κύησιν συμφέρειν, id eſt, A tergo coitus iuuare conceptum videtur. ſed prae ceteris ad hanc rem magis teſtandam, & confirmandam faciunt peritorum quorundam Anatomicorum obſeruationes, qui ſcribunt vt ſemen virile recta orificium vteri percuteret, ab eodemq. facile attraheretur naturam ita fabricaſſe foramen viri in inferiori glandis parte, atque os vteri ad ſuperiorem pudendi regionem, vt in naturali copula, more omnium animalium facta, duo haec foramina, ita è directo ſibi mutuo occurrant, vt ſemen è cole prodiens, ſtatim in vtero, nulla alia re impedito concipiatur; adduntque hunc ſolum generandi gratia eſſe naturalem coeundi modum, ſicut alium à facie ad faciem eſſe merae hominum delectationis inuentum, qui oſcula, mammarum contactus, aliasque delicias generationi nihil famulantes quaerunt: ita enim mulieres naturalem illum brutorum coeundi modum minus laborioſe ſuſtinere, frenum, & nimpham inuicem atteri, quae partes praecipuae ſedes ſunt ad coeundū in vtroque ſexu feminis motum tandemque oſcula genitalium ſibi mutuo e directo occurrere. Loca porrò Lucretij citata Q. Serenus Gordiani Imperatoris praeceptor indicare voluit, quando ſcripſit:

Irrita coniugij ſterilis ſi munera languent,
Nec ſobolis ſpes eſt, multos iam vana per annos
Fœmineo fiat vitio res, necne, ſilebo.
Hoc poterit magni quartus monſtrare Lucreti.

Quid

Quid ſit Recentatum apud Alexandrum Trallianum, & quae antiquorum Propomata. CAP. VII.

LEgitur apud Trallianum 11. lib. fuiſſe penes Romanos propomatis genus, quod Recentatum nuncupabant, quòdque, vt in eo bibendo magis delectarentur, peculiari quadam arte refrigerabant: Id nomen quid ſignificaret, quòd ve potionis genus eſſet, multos diu ambiguos tenuit: nec defuerunt, qui Alexandri codicem corruptum eſſe crediderint: Ego verò, ſi coniectari mihi liceat, textum nullo errore ibi eſſe infectum, Recentatumque Romanos vocaſſe puto vinum antiquum, muſto, vel lixiuio, vel tortiuo commixtum, quaſique renouatum, quomodo pleroſque hodie factitare conſpicimus: Recentare enim apud veteres in vſu fuiſſe pro renouare, auctor eſt Nonius. Quod etiam ex Gn. Matio teſtatus eſt Gellius lib. 15. cap. 25. Vnde etiam quod à Varrone in libris de lingua Latina vinum Vetuſnouum nuncupatum inuenitur, hoc ipſum Recentatum fuiſſe arbitror, quod caupones pro vetere interdum vendere ſolitos memorat Galenus lib. de Cibis boni & mali ſicci quemadmodum etiam hodie apud Cauponas vſurpatur. Quo pacto hoc Romani refrigerarent, cùm nihil compertum habeam, id tamen diuinare audebo, eos hanc potionem, vt pote valetudinarijs optatam, aliquo diuerſo modo, ita vt egelida potiùs, aut ſaltem modicè frigida, quàm verè gelida fieret, non autem vel lamina, vel glarea, vel glacie, vel niue, vel alio ex ijs, quos alibi exponam, modis refrigerare conſueuiſſe: tot namque modos vina, & aquam inſigniter refrigerandi veteres habuiſſe comperio: Niſi potiùs velimus. Recentatum fuiſſe, quod Graeci ἀειγλευκὲς, Latini ſemper muſtum & ſemper dulce vocarunt, ac refrigerandi conſuetudinem non ad bibendi tempus, ſed ad recentati conficiendi modum eſſe referendam. Sic enim de hoc loquitur Columella lib. 12. capitu. 29. Muſtum vt ſemper dulce tamquam recens permaneat, ſic facito. *Antequàm praelo vinacea ſubijciantur, de lacu*
» *quàm recentiſſimum addito muſtum in amphoram nouam, eamq; obliniito, & impicato diligenter, ne quicquam aquae introire poſſit. Tunc in*
» *piſcinam frigidae & dulcis aquae totam amphoram mergito, ita ne qua*
» *pars extet. Deinde poſt dies xl. eximito. Sic vſq; in annum dulce per-*
» *manebit.* Columellae adſtipulatur Plinius lib. 14. capitu. 9. necnon

Florentinus

Florentinus inter Geoponicos lib. 6. cap. 16. Sed omnium maximè hanc de ἀειγλεύκους faciendi rationem expoſuit Plutarchus 27. quaeſt.nat. Et quoniam Propomatum mentio incidit, quaenam illa forent non erit abſurdū ſignificare. Scribit Paullus Aegineta ca.15. lib.7. Propomata mixtiones quaſdam extitiſſe factas ex mellis deſpumati ſextario vno, & vini quaternis; vt verò Alexander Trallianus lib.1.cap.10.& 11. & alibi ſaepe meminit, propomata nulla alia erant, quàm vina factitia diuerſorum generum: de quibus plura leges apud Columellam & Plinium magnos Latinae linguae auctores, & quae Aetius interdum προποτισμοὺς vocauit. Haec autem ſic appellata ea ratione credendum eſt, quòd ante reliquos potus, atque cibos ſumerentur. Quam huiuſcemodi vina bibendi conſuetudinem ſub Tiberio Claudio principe inuectam, medicorum placitis nouitate aliqua ſeſe commēdantium ſcribit Plinius 14.lib. cap.20. Poſt quem Plutarchus 8. Sympoſiacorum, problemate 9. dum queritur tempore ſuo propomatum vſum, qui nouis morbis occaſionem praeſtaret, inductum, nil aliud intellexit quàm quòd Plinius antea deteſtatus erat, haec ſcilicet factitia vina bibendi morem. Quamuis προπόματος, vti antiquae conſuetudinis, apud Athenaeum eſt mentio. Cur verò ita à medicis commendatum ſit, opinor, quòd vt principibus ac nobilibus viris largiorem bibendi copiam facerent, ea vina excogitarint, quae variè affectos ſtomachos curarent, confirmarent, & ad bibendum impunè magis excitarent: quando etiam non deerant, qui vt copioſiùs potare atque edere poſſent, vina praua, quae ipſis incitarent vomitum, praepotabant: De qua re ſic Iuuenalis Satyra 7.

— Tandem illa venit rubicundula totum
Oenophorum ſitiens, plena quod tenditur vrna
Admotum pedibus, de quo ſextarius alter
Ducitur ante cibum rabidam facturus orexin,
Dum redit, & terram luteo ferit inteſtino.

De varijs antiquorum refrigerandi vina, & aquam modis: De Decocta, & quæ fuerit Calda. quid apud Plautum thermopolium, & thermopotatio. CAP. VIII.

VArijs modis aquam refrigeratam veteres potare cõſueuiſſe inuenio. Eos enim niuibus antiquiſſimis vſque tẽporibus illud egiſſe, quam Niuatam vocat Theodorus Priſcianus lib. 2. cap. 13. ſatis Athenaeus ex Alexi, Dexicrate, Eutycle, & Xenophonte in 3. Dipnoſ. probauit, vbi etiã niues potaſse, easq. in foſſis magnis, quib. quernos ramos ſuperinijciebant, conſeruare conſueuiſse memoriae mandauit: etſi Martialis dixit:

Non potare niuem, ſed aquam potare rigentem
De niue commenta eſt ingenioſa ſitis.

Quod Plutarchus in 6. Sympoſ. fieri quoque ſolitum ſcribit cum paleis, & rudibus pannis, niuibus circunductis, eaſque ab aere tuentibus, & frigiditate acquiſita conſeruantibus. Protagorides libro Comicarum hiſtoriarum ſecũdo quoddam militum Antiochi regis refrigerandae aquae artificium memorat, quòd ſcilicet aquam die in aprico loco ponebant, & quod craſſum erat, nocte incipiente excolantes, reliquam noctis partem in hydrijs fictilibus ſub dio in editioribus domus partibus exponebant, per totam deinde noctem duo pueri ipſa vaſa exteriùs irrigabant, & diluculo incipiente purgantes rurſus, faecemque ſubtrahentes, & tenuem ipſam aquam, maximeque ſanitati idoneam facientes, inter paleas hydrias ipſas collocabant, ſicque demum illa vtebantur, nullam niuis inopiam cognoſcentes. Non admodum ab hoc diuerſus erat ille refrigerandi aquam modus, quem Galenus in Alexandria, atque vniuerſa Aegypto ſeruatum ſe vidiſse teſtatur 4. commen. 6. Epid. vbi occidente ſole prius calefactam aquam teſtaceis vaſis inijciebant, eaque vaſa feneſtris ad ventos expoſitis, vt tota nocte refrigerarentur, ſuſpenſa, deinde ante ſolis exortum humi depoſita, frigida aqua conſpergebant, ac interdum ipſis folia frigida vitium, lactucae, & ſimilium circumponebant, vt frigus aquae noctu acquiſitum interdiu conſeruaretur. Semus Delius libro N(ſiadis ſecundo in inſula, Cimolia loca refrigeratoria excauata ſcribit, in quibus aeſtatis tem-

pore vaſa fictilia tepida aqua plena deponebant; poſteà aquam nulla re niuibus differentem exportabant. Alium refrigerandi aquam modum fuiſſe diſputat Plutarchus ex Ariſtot.6.Sym. vbi cotibus & filicibus, necnon plumbeis laminis aquae iniectis, eā refrigerari demonſtrat. In puteis quoque vinum refrigerandi morem habuiſſe veteres teſtantur Strattis in Refrigeratorijs, & Lyſippus in Bacchis. Ceterùm Neronis poſtremum aquae refrigerandae inuentum nullo praedictorum ignobilius extitit, qui vt frigoris voluptate abſque niuis vitijs frueretur, aquam decoqui ſibi, vitroque demiſſam in niues refrigerari curabat: quem morem ita inſecuta aetas Romae obſeruauit, vt Neronis decocta ferè in omnium ore verſaretur, de qua ſermonem habens Iuuenalis Satyra 5. ſic ait:

Cùm ſtomachus domini feruet potuque ciboque,
Frigidior Geticis petitur decocta pruinis.

& Martialis.

Spoletina bibis, vel Marſis condita cellis,
Quò tibi decoctae nobile frigus aquae?

De hac Galenus intellexit, quando 7. Methodi memorat, ſe interdum ſtomachi ac membrorū intemperiem aqua niuibus refrigerata curaſſe: ὡς ἐν Ῥώμῃ (ait ille) σκευάζειν ἔθος ἔχουσι προθερμαίνοντες τὴν καταψυχὴν, ἣν αὐτοὶ προσαγορεύουσι δεκόκταν; Ne in medium adducam Athenaeum, qui libro Dipnoſ.3. clariſſimè demonſtrat, quàm frequens apud Romanos eſſet decoctae vſus, vbi notare licet, eos conuiuas erraſſe, qui penes eum auctorem probare nitebantur antiquiores Nerone decocta fuiſse vſos. An verò calda vnquam in conuiuijs ſanorum vterentur antiqui in potu, dubitatum fuit à multis. Certè ex Philemone, & ex Polluce lib.9.cap.6. conſtare poteſt, aliqnando eiuſmodi potum vſurpatum eſſe, quando ſcribit. caldam chalco, quae ferè eſt quadrantis noſtri, vel paulo plus menſura, vendi ſolitam: quae puſillitas non lotioni, ſed potui inſeruire poterat; & quando ſcribit apud Homerum non facilè inueniri aquae calidae potum, ſed apud veteres medicos, cùm Hippocrates damnans frigidam in neruis, oſſibus, dentibus, cerebro, calidam vtilem eſſe innuere videatur: Poſterioribus ſaeculis frequentior, calidae potus fuiſſe inuenitur, ita vt in conuiuijs aequè caldae atque frigidae miniſter haberetur: quemadmodū ſcribit Iuuenalis Saty.7

Quando vocatus adeſt caldae gelidaeque miniſter.

Num autem calda, quàm medici frequēter ſub vocabulo θερμὸν nominant, quamque antiqui potabant, aqua eſſet igne ſolève calefacta, an aliter, diſputata quaeſtio eſt: Ego ſanè ita ſemper exiſtimaui,

nunquam inter conuiuia veteres aquam calefactam bibiſſe, quòd ea potius concitet vomitum, quàm aut voluptatem, aut commodum afferat: cùm item Plinius potum calidum eſſe contra naturam probet, argumento brutorum, quae frigidū proſequuntur; & neque ipſe, neque Galenus vllam huiuſce potionis, niſi in aegrotis, mentionem fecerint: caldam autem fuiſſe aquam illam, quam nulla arte refrigerebant, ſed quae, qualis ſuapte natura, potaturis porrigebatur; ideò opinor, quoniam Martialis, vbi dicit,

Iam defeciſſet portantes calda miniſtros,
Si non potares Caeciliane merum.
Frigida non deſit, non deerit calda petenti.
Sed tu moroſa ludere parce ſiti.

manifeſtè indicat, ſe de ea aqua ſermonem facere, quae paſſim in conuiuijs admiſcebatur vino, & eius magna copia habebatur: cuiuſmodi profectò extitit aqua nulla arte calefacta, aut refrigerata. Nec aliter ſenſit Philemon, qui vtilitatem & copiam caldae demonſtrauit, ſcribens eam quadrante vendi: cùm veriſimile ſit, aquam frigefactam aut calefactam non ita vili precio venditam fuiſſe. Nec obſtat Platonis ſententia nimirum, qui eo loco ſitim in exemplum adducat cupiditatis, & non de ea ſeriò agat, quae frigidi atque humidi appetitus ab omnibus definitur. Cur poſteà ſic appellarint communem potando aquam, eam cauſam fuiſſe puto, vt eam à frigefacta niuibus, vel alio ingenio, conuiuis inter petendum, & miniſtris inter ſeruiendum diſtinguere liceret. Quòd ſi haec opinio aliquibus minùs placeat, cùm Martialis contrarium manifeſtè videatur indicare hiſce verſibus:

Caldam poſcis aquam, ſed nondum frigida venit,
Alget adhuc nudo clauſa culina foco,

id ſaltem neceſſariò obtinebo, vel tantùm aliqua valetudine affectos toto conuiuio, vel illos, qui vomere cupiebant, vt copioſius & maiori fame ingurgitarent, ante coenam calefactae aquae potu vſos eſſe. Quod & Antiphanes in Omphale indicauit his verſibus;

ἐν χύτρᾳ δῖνοι
Ὅπως ὕδωρ ἕψοντα μηδὲν ὄψομαι;
Οὐ γὰρ κακὸν ἔχω, μηδ᾽ ἔχοιμ᾽. ἐὰν δ᾽ ἄρα
Στρέφει με περὶ τὴν γαστέρ᾽, ἢ τὸν ὀμφαλόν.
Παρὰ φέρτατος δακτύλιος ἐστι μοι δραχμῆς.

& Strabonicus apud Athenaeum viij. Dipnoſ. is enim Rhodios appellauit albos Cyrenaeos, quòd vt his colore diſſimiles, ſic laſciuia ſimilliimi forent: colligens autem illud, ex conſueto ipſis calidae

potu

potu perſpicuum fecit, Rhodos non ob aliud calidã potaſſe, quam vt eius ope acceptos cibos remouerent, ſicque iterum impleri poſſent: Niſi pro ſanis, ad remittendam cùm vinorum, tum aquarum vehementiorem frigiditatem, vſurpatam calidam quoque fateamur: quando rationi conſentanum eſt, inter multos conuiuas fuiſſe, qui frigidiſſimo potu, alios qui ſubfrigido, egelidove delectarẽtur, rurſum aliquos, qui ab omnibus frigidis laeſi calidum amarent: & iccirco adhiberi in conuiuijs ſolitum fuiſſe calefactam atque refrigeratam aquam: vt cuicumque, quam magis optaſſet potus temperaturam, efficere liceret. Quod autem aliqui demõſtrare ſunt conati, aquae calefactae potum quàm frigidae iucundiorem eſſe, & ob delectationem potius, quàm ob ſalubritatem fuiſſe veteribus vſurpatum haud facile perſuadebunt illis, qui voluptatem potius, quàm ſanitatem proſequuntur. Plato certe in Philebo maximae voluptatis exemplum daturus. proponit febricitantem gelidam aquam bibentem. Quid verò apud Plautum Thermopolij, & thermopotationis nomine intelligendum ſit, ita ſtatuo, thermopolium fuiſſe locum, vbi dulces venderentur potiones, quas calidas ſumebant, ita vt interdum guttures incenderẽtur, non quòd vinum aut aquam calidã quis ſanus in quotidianũ vſum adhiberet. Erant autem dulces potiones quae in thermopolio veniebant, vt in Plauti Pſeudolo habetur, murrhina, paſſum, defrutũ, melina, mel. Ad hoc pertinere quoque videtur ea diſputatio alibi diſcutienda, quae in eodem Athenaei libro tractatur, An poſt ficus calida, an frigida bibenda ſit: & medicorũ Graecorum praeceptũ, qui ad reprimendũ renũ feruorẽ caldae potũ ante alios cibos ſummopere cõmẽdant.

Loci Ariſtotelis emendati ex Theophraſto, & locus Platonis examinatus. CAP. IX.

ARiſtoteles in 5. Probl. primo cauſſam inquirẽs, qua ambulationes longae per inaequales vias factae maiorẽ laſſitudinem, quàm per aequales, inducant, id contingere ſcribit, quia multus ac vehemẽs motus laſſitudinem parit, ſubiungit deinde, τοιαύτη ἡ ἀστερμχτώδης: quae vox antiquo interpreti, atque etiã Gazae occaſio fuit, vt non modò ipſi errarent, ſed & illi, qui in Lexico componendo eos ſecuti, ſcripſerunt, ἀστερματώδης vocem, motum per viam inaequalem ſignificare: cùm nec huiuſce-

modi ſignificatio Ariſtotelis loco quadret, nec vox alibi vſurpata reperiatur. Itaque reſtituendum locum eſſe puto, quemadmodum penes Theophraſtum in libro περὶ κόπων inuenitur, quem librum ferè totum ex Ariſtotelis Problematibus conflatum eſſe quiuis iudicare poteſt. ibi enim ſic legitur: ἢ ὅτι ἤτε πολλὴ κίνησις ποιεῖ κόπον, καὶ ἰσχυρά, τοιαύτη δὲ ἡ σπασματώδης. Quam vocem perbellè intentioni auctoris, & alijs verbis cõuenire, vnicuique perſpectum eſſe poteſt: eò magis, quòd ſimili voce vſus eſt Ariſt. in eadem Probl. particula. Probl. 8. ſicuti quoq. Hippocrates in 2. de Diaeta, vbi concuſſionum, quae inter magnos motus collocantur, mentionem fecit, non diſſimiliter locutus reperitur, vbi dixit: τὰ περιγασείσματα ἐμποιέειν σπάσματα. Quod porrò partic. 4. Probl. 22. habetur, οἷον τὸ ἄμυλον ἐκ τοῦ σίτου, multos torſit, quidnam ſibi vellet. Siquidem Ariſtot. aequiparans ibi ſanguini id quòd paucum ex multo nutrimento efficitur, ſicuti ſemen, exemplum afferens, ea verba ſubnectit; quae certè parum conuenire nemo non videt: Vnde opinor ego ſic reſtitui oportere, οἷον ὁ μυελὸς ἐκ τοῦ στέατος: Nam ijs animalibus, quibus ſanguis fit ſeuoſus, etiam medullam στεατώδη effici, tradit Ariſtot. 2. de Partibus animalium. cap. 6. vt ſenſus eſſe poſſit, id valde praecipuum haberi, quod paucum ex multo fit nutrimento, veluti medulla ex ſeuo, nempe quae ſemper exigua ex plurimo ſeuo ſuccreſcit: Quam quam etiã ſi loco σίτου legamus στέατος, apprimè quadrabit, eò quòd vt amylum tritici ſuccus eſt ex magna mole exiguus confectus, ita ſemen hominis ex multo nutrimẽto exigua, ſed praeſtantiſſima pars relicta eſt, vt non abſque ratione dixerit Auicen. 3. de Natur. animal. cap. 3. ſeminis exeuntis quantitatem eſſe, ac ſi quadragies tantundem ſanguinis exiret. Illud obiter hoc in loco adnotare volo, Platonem, dum in Timaeo ſcriptum reliquit, medullae morbum omnium periculoſiſſimum eſſe ſub medullae nomine cerebrum intellexiſse, nempe quod ex genere medullarum exiſtere ſcripſerit Galenus ſecundo de Temper. & 2. de Vſu partium. Si enim medullae nomine vel ſpinalem (vt dicunt aliqui) vel alias medullas comprehendere voluiſſet, parum vera ſanè fuiſset illius ſententia, quando non medullae ſpinali, aut alteri, ſed vni cerebro haec Platonis verba adaptari poſsunt: τὸ δ' ἔσχατον πάντων, ὅταν ἡ τοῦ μυελοῦ φύσις ἀπ' ἐνδείας ἤ τινὸς ὑπερβολῆς νοσήσῃ, τὰ μέγιστα, καὶ κυριώτατα πρὸς θάνατον τῶν νοσημάτων ἀποτελεῖ.

Loca

Loca Galeni, & Caelij Aureliani expoſita, de Angina & Somnoſorbili. CAP. X.

GAlenus in 2. eius, quam ad Glauconem ſcripſit epiſtolae parte, inflammationis curandae rationem ex ſitus partiũ indicatione captam demõſtrans, multorũ affectuum exẽpla proponit, inter cetera de Angina ſecũdum Latinorum interpretationẽ ſcribit, tũc in ipſa venas ſub lingua eſse pertundendas, quando & vniuerſum corpus iam exinanitum, & paſſio diuturna ſit: Ex quibus verbis nonnulli traxerunt anginam morbũ alioquin acutiſſimũ à Galeno inter diuturnos aliquando reponi: Quod tamẽ falſum eſſe quiſque intelligat, modò Graeca verba malè ab omnibus fere interpretata videre velit. *ὥπως καὶ τῶν συναγχικῶν τὰς ὑπὸ τὴν γλῶσσαν φλέβας τέμνομεν, ὅταν ἡμῖν τὸ μὲν ὅλον ἤδη σῶμα κενὸν ᾖ, καὶ χρονίζῃ πάθος.* quae ſic vertenda ſunt. Ita igitur & in ſynanchicis venas ſub lingua pertundimus, quãdo iã vniuerſum corpus ſit exinanitũ, paſſioq. perſeueret. Eſse enim *χρονίζειν* hoc in loco, ſicut alibi ſaepius, perſeuerare, facile eſt aequo lectori cõcedere. Ceterũ id praeſidij genus ab Hippocrate primò omniũ propoſitũ Caelius Aurelianus, ſiue potiùs Soranus à Caelio Latinus redditus, in 3. Acut. quattuor rationib. improbat. Primò quòd ex inciſione earũ venarum materia copioſior in affectum locũ tracta, grauius malũ reddat. Secundò, quòd ad hoc, vt huiuſcemodi adminiſtratio belle fiat, laqueũ collo, qui venas ſubleuet, circundare oporteat, vnde ſuffocationem augeri periculum eſt. Tertiò quòd ſanguis fluens eò in loco reprimi, diuiſa colligari, ſine manifeſto periculo nequeant. Quartò, quòd etiam ſi ſanguinis fluxus inhibeatur, ſolent tamẽ loca tumida ſemel aperta leui qualibet de cauſsa reſerari. Sed haec argumenta parum valent, quando corpus iam ſit ita inanitum, vt aliunde materia confluere nequeat, miniſtroſq. optimos habeamus, qui incidere, colligare, & fluoris periculũ omne vitare ſciant. Et quoniam Caelij mentionẽ feci, locum eius alterum ſignare libet, qui cùm libro Acut. 2. cap. 4. altercum bibentts opprimi grauatione ſorbili, ſopori ſimili ſcribat: aliqui non ſorbili, ſed terribili legendũ, aut eam vocem abradendam voluerunt. Ego verò neque tollendam eam, neque mutandam puto: ſiquidem ſoporem eum elegantiſſimè ſorbilem nuncupauit, in quo maximus ſtertor efficitur: qui

quòd ſorbitionis clariſſimam imaginem praebeat, praeter ſenſus fidem, etiam Plautinus ille Lucrio in Militis fabula manifeſtum fecit, qui interrogatus à Palaeſtrione, quid Sceledrus ageret, ſic cum eo ſermonem habet: *Luc.* Sorbet dormiens. *Pal.* Quid ſorbet. *Luc.* Illud ſtertit volui dicere: ſed quia conſimile eſt, quod ſtertas, quaſi ſorbeas.

De Iſicijs, Itrijs, & Libis, variae obſeruationes & explicationes. *CAP. XI.*

AVctor is, qui Problemata ſub Aphrodiſienſis Alexãdri nomine vulgata edidit, libro eorũ primo, quaerẽs, διὰ τί ὁ ἰσικὸς δύσπεπτος, iccirco euenire tradit, quoniam in terendis carnibus multus ſpiritus immiſcetur, qui eum cibum ita leuem facit, vt non in ventriculi fundo ſubſiſtere valeat, ſed in altũ efferatur ſemper, ſicq. minus coquatur. Hoc in loco dubitatum eſt, an ἰσικὸς, an ἰσίκιον legendum ſit: quemadmodum penes Athenaeum in 9. Dipnoſ. ſcriptum inuenitur. Ego certè textum Alexandri mendoſum, & ἰσίκιον legendum eſse crederem, cùm Latini quoque noſtri Iſicia dixerint: Sed dum cogito Alexandrum Trallianum lib. 7. cap. 1. & lib. vndecimo, cap. 1. pluribusq. alijs in locis eadem voce vſum, fit vt facilè putem vocem, ἰσικὸς, in Problematis mutari non debere: quae ratio vna cum multis alijs poterit quoque perſuadere, Problemata illa auctorẽ habuiſse Alexandrum Trallianum, & non Aphrodiſienſem, à quo omnia ea mutuauit Macrobius, quae 7. Satur. c. 8. de Iſicis diſputauit. Inſicia porro ſiue Iſicia, de quibus copioſe egit Apicius lib. 12. duplici modo fiebant: vel ex varijs carnibus tritis & pipere commixtis, vt Athenaeus quoque ſcribit: vel ex piſcibus diuerſis, ſicuti Alexander docet. Ex illorum generibus ſunt Salciciae noſtrae non multùm nomine differentes. Erat quoque ijs ſimile Tetrapharmacum adeò imperatori Hadriano carum: quod ex faſiano ſumine, perna, & cruſtulo compoſitum fuiſse narrat Spartianus. Horum verò ſimilitudinem quandã referunt Botargae, quorum inuentorẽ extitiſse Heliogabalum meminit Lampridius. Habuerunt quoque veteres aliud edulij genus, ἴτριον vocatum, cuius ſaepenumero mentionem fecit Galenus, & alij: Id quomodo fieret, docuit Athenaeus, apud quẽ in 14. Dipn. haec leguntur: ἴτριον πεμμάτιον λεπτὸν διὰ σησάμου καὶ μέλιτος γινόμενον:

quod

quod genus hodie etiam paſſim in Sicilia, & in Calabria, praeſertim apud Thurios populos conficitur, vbi olim Herodotus hiſtoriam ſuam condidit, & vbi magna Seſami, quam incolae Giorgiolenam vocant; copia naſcitur; ita vt eo multis in condimentis, amygdalarum, quibus carent, loco vtantur, quo pacto Romae loco ſeſami amygdalae in vſu habentur ad conficienda itria, quae & ibi, & in Calabria, Siciliaque Coppettae nuncupantur. Quae verò à Galenò Itria ſæpius nominantur, hoc prorſus modo facta non credo, cùm ab ipſo duplex genus tradatur, vnum ῥύημα, alterum, λάγανοι vocatum: quibus iam compactis papauer inſpergi ſolitum ſcribit in lib. de Simpl. med. puto tamẽ haud multùm diſſimilia extitiſse, illa praecipuè, quae ῥυήματα vocata memorat: Ex quibus & ex lacte cùm placentas alias fieri conſueſse ſcribat, ea omnino intelligit, quae Liba à Romanis nominata tradit Athenaeus: Vnde qui in primo de Semine Galeni libro, ἴτρια tranſtulit Liba Felicianus, hanc rem ignorauit: Quanquam & Liba diuerſimodè ab antiquis compoſita fuiſſe conijcere licet ex Catonis de Re ruſtica lib. quorum venditores Libarios Senecam (apud quem pro Libarijs perperam Librarij legebantur) vocaſſe cum Coelio puto.

De Pane furnaceo error in Galeni interpretatione explicatus: & alter de Myrtidano Plinij detectus. Quid ſit Tracta Plinio, & Athenaeo.

CAP. XII.

QVicunque Latinis auctorum interpretationibus contenti, Graecos eorum contextus intelligere non curant, quàm grauiter ſaepenumero errent, ex multis cognoſcere licet. Sed hoc quod nunc de Pane furnaceo propoſiturus ſum, nequaquam minimũ eſt, tum quia panis, (vt Alexãder in primo Probl. ex Homeri ἄλφιτα μυελὸν ἀνδρῶν ſaepius vocantis ſententia ſcribit) inter ea, quae nos nutriunt, primum locum tenet, tum quia non parum ad valetudinis & vitae cõſeruationem eius coctura refert: Galenus itaq. in primo de Alimẽtis varias panis cocturas referẽs, haec ait, κάλλιστοι μὲν αὐτῶν εἰσὶν οἱ κλιβανῖται, καθ᾽ ὃν εἴρηται τρόπον ὠπτημένοι τε, καὶ προπαρεσκευασμένοι πρὸς τὴν ὄπτησιν. ἐφεξῆς δὲ αὐτῶν ἰπνῖται, τὴν αὐτὴν ἐσχηκότες δηλονότι παρασκευήν. ἐπεὶ δὲ οὐχ ὁμοίως

ὀπτῶνται τὰ διὰ βάθος τοῖς κλιβανίταις, διὰ τῦτ' αὐτῶν ἀπολείπονται.
Quae verba ita omnes, quos mihi videre contigit, interpretes, conuertunt, vt cenſuiſſe videantur, panes Clibanitas Galeni eſſe Furnaceos noſtros; ἰπνίτας verò eos, qui in paruis coquuntur furnis; quam etiam ſententiam multi deinceps, nec infimi ordinis auctores disertè tenuerunt. Verum enim verò rem contrario modo ſeſe habere, videlicet ἰπνίτας in furnis magnis, κλιβανίτας ſub teſtis, aut furnis portatilibus coctos panes fuiſſe. Galeni verba demonſtrant: quando is panes ipnitas (ſic mihi liceat loqui) idcirco inferiores clibanitis iudicat, quia illi non aequè extrinſecus, atque intrinſecus coquuntur, vt pani noſtris furnis aſſato euenire ob immoderatum laterum feruorem quotidie obſeruatur: hi verò non minùs intimas quàm extimas partes aſſatas habent, cùm parui furni blandiorem quendam calorem ob eorum tenuitatem acquirant, cuius meritò exactior coctura panis perficitur, quam item ſententiam expreſſit Hippocrates, quando ſecundo de Diaeta ſcripſit, panes clibanitas ſicciſſimos eſſe, ob teſtae humiditatem vniuerſum exugentis calorem: ipnitas autem, quos rectè furnaceos tranſtulit Cornarius, magis nutrire, quàm verubus aut craticulis coctos, quòd minùs ab igne, quàm illi, vrantur. Quòd porro κλιβανίτης ſiue κριβανίτης panis à furnaceo differens fuerit, Plinius lib. 18. & Athenaeus lib. 3. adeò clarè indicarunt, vt amplius quicquam de hoc dicere minime opus habeam: Illud addam, non eſſe medicis ignorandum, panes noſtros, quos vere ἰπνίτας Hippocratis & Galeni facimus, non eſſe prorſus innoxios: eſſe autem innocentiores illos, qui ſub paruis teſtis coquuntur eo pacto, quo apud nonnullos homines Biſcocti parantur: quos ſi clibanitas panes appellemus, neque à veritate, neque à veterum appellationibus fortaſſe recedemus. Inter panum genera fuerunt, qui Tractam ab Athenaeo & Plinio voce (vt credo) Romana appellatã adnumerarint: Sed ego ijs aſſentire nequeo: licet putem fuiſſe quandam paſtae farinaceae ſpeciem, quae pani adſimilabatur: Quod ſi etiam noſtra antiquis conferre par eſt, Tracta erat quaedam mixtura ex fermento & farina conflata, quam manibus ſaepius in formam longam, & planam trahebant, vnde nomen tractae emanauit: quod etiam hodie apud aliquos Italiae populos durat, qui huiuſcemodi placentas ex fermento & farina compactas ac deinde furnis coctas, Tiratas à trahendo populari vocabulo nominant. Plinij verba loco ſupra citato haec ſunt: *Durat ſua Piceno in panis inuentione gratia ex alicae materia, cum nouem diebus macerant, decimo ad ſpeciem tractae ſubigunt vuae paſſae ſucco.* Athenaeus

autem

autem ſic in 3. εἰς δὲ τὰ καπύρια, (καπυρείδια) καλύμματα τράκτα μίξεις, ὥσπερ καὶ εἰς ἄρτον. Tracta in genere neutro pluralis numeri, vt Athenaeus profert, etiam apud Catonem ſaepius nominata inueniuntur, & (vt reor) ea ſunt, quae hodie tortis ſubtus & ſupra coci ponunt, foliaque ſiue ſpolia vocant. Et quoniam Plinij facta eſt mentio, eius (ni fallor) errorem ſubijciam: is enim libro 15. cap. 31. ſcribit, veteres, antequàm piperis vſum haberent, loco eius baccas myrti vſurpaſſe, quod cùm neque apud alios auctores hactenus mihi eam rem diligentiſſimè perſcrutanti legere contigerit, neque admodum rationi conſentaneum videatur; inde potuit faciliter Plinius errandi occaſionem cepiſſe, quòd (vt auctor eſt Galenus in Expoſ. voc. ant.) myrtidanum plurimi πέπερι nominarent; quemadmodum Hippocrates fructum myrti myrtidanum & ipſe vocauit, ſicque piper ab alijs vocatum ſcripſit.

De aquis Veſicarijs, & Caeretanis. Galeni locus de templo Pacis male à Giraldo intellectus. CAP. XIII.

MVltas habuerunt maiores noſtri balnearum aquas mirificas pro varijs morborum generibus curandis; quarum nomina etſi hodie quoque apud auctores conſeruentur, ipſae tamen à paucis cognitae ſunt: ſicuti aquae Nepeſinae à Caelio Aureliano inter Italiae nobiliores adnumeratae, atque etiam Auguriae: & praeter has Veſicariae, ac Ferratae à Scribonio Largo, & Marcello Burdegalenſi nominatae: quae poſtremae cùm vbi fuerint à nemine adhuc notatum viderim, me operaeprecium facturum ſpero, ſi, quid ſentiam, manifeſtum fecero. Scriptum itaque apud praedictos inuenitur auctores, in Thuſcia aquas extitiſſe Ferratas, quae mirificè veſicae vitia emendabant, vnde Veſicariae vocabantur. Locus verò Milonis Brochi, ſiue Gracchi, praetoris, hominis optimi, ad quinquageſimum ab vrbe lapidem erat. Has balneas olim Viterbienſes eſſe putaui, quòd illae ſint in Thuſcia, veſicae morbis adhibeantur, & paulò minus pluſve quinquageſimo lapide ab vrbe diſtent. Sed cùm anno ſuperiore Centumcellas, ſiue Ciuitatem veterem, Alexandrum Farneſium Cardinalem maximum ſecutus, petijſſem, locum conſpicatus ab eo oppido duobus miliaribus diſtantem, vbi veſtigia antiquarum balnearum, & ampliſſimi aedificij apparebant, volui diligentiùs omnia intueri: tandemque

reperi,

reperi, ibi egregias aliquas balneas fuiſse extructas, ad quas ex propinquis montibus per ſubterraneos cuniculos aqua ducebatur, vnde in eam coniecturam veni poſse fieri, vt illae eſſent aquae Ferratae à Scribonio, & Marcello nominatae: Ad quod credendum pluribus rationibus inductus fui. Primò quod locus ille ſit in Thuſcia: Secundò, quòd ab vrbe quinquageſimo lapide, ſi via Caſſia eò perueniamus, diſtet. Tertiò, quòd montes illi, à quibus deriuabatur, Ferrati etiam hiſce temporibus vocentur, nempe quia ferrum ibi naſcatur, vt aquas ſimiliter vi ferrea praeditas eſse conueniat. Quartò, quòd incolae morbos veſicae interdum earum aquarum beneficio curēt: quamquam vſque adeò deturpatae, & imminutae ſunt, vt paucis illis vti velint. Poſtremò quòd nullus alius locus vrbi hodie propinquus cognoſcatur, cui magis balnearum illarū conditiones adaptari queant. Iam verò quales fuerint huiuſmodi balinae, ex iconographia cognoſcetur, quam Pyrrhus Ligorius, totius antiquitatis omnium noſtri temporis hominum vir peritiſſimus, ex ſitu acceptam apud ſe habet. Porrò Senanae, & Pantherinae aquae apud Caelium Aurelianum, vt ego ſentio, nullae ſunt aliae, niſi quae in Patauinò, & Senenſi agris hodie celebrantur: quaſi non Pantherinae, ſed Patauinae legendum ſit. De Caeretanis balneis Strabonis tempeſtate ad curandas aegritudines varias maximè aeſtimatis iam dubitaui: Nunc certior factus Caere nobiliſsimam olim vrbem prope eas aquas fuiſse ſitam, quae Sitillanae hodie vocantur, ad credendum permotus ſum huiuſcemodi aquas antiquas quidem, immò ipſa Caeretana balnea à Strabone nominata eſse: & quamquam multis temporibus latuerint, ac ferè nihil de illis ab auctoribus ſcriptum inueniatur; hiſce tamen temporibus non parum celebrantur, ob mirificam opem, quam in curandis omnigenis fere cutaneis affectibus quotidie praeſtant. His de templo Pacis Romae errorem Gregorij Gyraldi ſubnectam, qui auctoritate quadam Galeni falsò intellecta permotus, id ab aegrotis frequentari conſueſſe primo de Dijs gentium libro ſcriptum reliquit: cùm nullibi legatur in illo, aut in alio templo eos vnquam verſatos, praeter quàm in inſula Tyberina, vbi Aeſculapij aedes ſitae erant, & quodam alio loco in id extructo, vt qui ad ludos Circenſes veniſſent, ſi forte fortuna aegrotaſſent, haberent vbi commodè curari potuiſſent. Sed ne videar ſine cauſſa Gyraldum improbare, Galeni ſententiam in medium ponam, qui in principio libri primi de Differentijs pulſuum medicos ſui temporis coarguens, quòd de nominibus pulſuum futiliter contenderent, ait, ſaepenumero inter eos excitatas eſſe contentiones ſimiles illis, quae

inter

inter medicos in templo Pacis, vel ſuper aegrotos diſputantes oriri ſolebant. Etenim in templo Pacis conuenire conſueuiſſe omnium rationalium artium profeſſores ad diſputandum, ipſemet Galenus in ſermone de Libris proprijs manifeſtum fecit: medicos etiam Romae non rarò ſuper aegrotos digladiatos eſſe, videre eſt in pluribus eiuſdem commentarijs. Verba Galeni citata à Gyraldo clara ſunt. De medicis enim eum, quem dixi, ſermonem habens, ſic ait: πηλίκην δεῖ μάχην ἔσεσθαι; ἢ δῆλον ὅτι τοιαύτην, οἵαν πολλάκις ὁρῶμεν ἐντὸς τοῦ τῆς εἰρήνης τεμένει, καὶ ἐπ' αὐτῶν τῶν ἀρρώστων, id eſt, Qualem cenſes pugnam fore? an talem, qualem ſaepe videmus inter ipſos ortam in tēplo pacis, atq. etiam corā ipſis aegrotis? Attamen id ignorari nolo, alibi, quàm Romae, languētes in tēplis quandoq. detineri ſolitos fuiſſe, vt curarentur: quod locupletiſſimè teſtatus eſt Strabo in 8. Geograph. lib. vbi memorat, in Epidauro, Coa inſula, & Trica, Aeſculapij fuiſſe aedes, in quibus magna aegrotorū copia nutriebatur, tabellaeq. cum curationum inſcriptionibus pēdebant. An verò idē, vel quid ſimile fuerit, Valetudinarium, cuius loci habetur mentio apud Senecam lib. 1. de Ira, & apud Columellam lib. 11. cap. 1. 16. & lib. 12. cap. 3. 7. certè affirmare non audeo. Puto autē fuiſſe peculiarem locum in vnaquaque priuata domo, vbi ſerui tantùm infirmi curabantur, & detinebantur; eo pacto, quo hodie in monachorum coenobijs ſimili muneri peculiaris locus dicatus conſpicitur. Hiſce adijciam & illud, tempore Hippocratis conſueuiſſe medicos in domibus proprijs languentes alere, vt maiori ſedulitate eos curarent: de chirurgis loquor: quales fuiſſe omnes priſcos medicos, ſatis cōpertū habent, qui in auctoribus antiquioribus & praeſertim Hippocratis monumētis legēdis sūt diligēter verſati: immò vſq. ad tēpora Galeni etiā ſibiipſis medicamēta parare ſolitos fuiſſe, multis ex eius cōmentarijs colligitur, praecipuè verò ex vj. de Localib. med. cap. 1.

Error in Aetio correctus de Ficubus, & alia de ipſis. Columellae de Embammate locus emendatus.

CAP. XIII.

VBi remedia exſtinguendae ſiti demonſtrat Aetius lib. 9. inter cetera pro tollenda eorum, qui ab imbecillitate vires recuperant, ſiti, ficus ſiccas ſecundum Cornarij tranſlationem in cibo acceptas commēdat, quae ſententia cùm ſemper mihi ſuſpecta fuiſſet, quòd Hipp. in 2. de Diaeta ſcribat, τὰ ξηρὰ σῦκα καυσώδεα: tandem antiquiſſimo

vltra

vltra ſexcenteſimum annum codice mihi Meſſanae, dum ibi cum Alexandro Farneſio patrono meo eſſem, comparato, inueni loco Siccarum, legi debere Viridium. Sic enim contextus meus habet: *δίψαν παύει σῦκα χλωρὰ ἐσθιόμενα*. Ex quo loco, quemadmodum etiam ex multis alijs, perſpectùm eſſe poteſt, Cornarium habuiſſe codices valde deprauatos. id quod, ſi valetudo mihi concedet, intra paucos annos, magna eruditorum vtilitate, in Hippocrate, & Aetio oſtenſurum me polliceor. Ficus igitur virides ſitim auferre non ſolum medici dixerunt, & praeſertim Hipp. loco citato, vbi *σῦκα χλωρὰ ὑγραίνειν* tradit, necnō Plinius l. 23. c. 7. vbi ſiccas ficus ſitim excitare, virides ſedare, ſcribit: verùm etiam Martialis cognouit, ſcribens:

Chia ſeni ſimilis Baccho, quam Setia miſit,
Ipſa merum ſecum portat, & ipſa ſalem.

Poſt ficus, vt meminit Ariſtoteles 22. probl. 8. alij vinū, alij aquam potandam eſſe arbitrati ſunt: & laudantium aquam, vt Heraclides Tarentinus apud Athenaeum diſſerit, alij calidam aquam, alij frigidam eſſe potandam voluerunt. Qui calidam praetulerunt, his rationibus inducti ſunt, quod calida manus magis abſtergit, quàm frigida, vnde rationi conſentaneum eſt, in ventriculo ſtatim caloris beneficio ficus diſſolui: Addebant calidam aquā ficus extra corpus magis diſſoluere, frigidam magis compingere: quaſi ficubus intrò acceptis idem eueniat. Qui verò frigidam ſuperbibēdam putabant, frigido dicebant poculo ſtomacho inſidentes ficus grauitate deorſum ferri, & iccircò cùm illæ ob calorem ſtomachum malè afficiant, ac imbecillum reddant, eiuſmodi vitari. Qua ratione alij ſuperpòtabant merum, perſuaſi nempe, quòd promptè, quæ eſſent in ventre, deorſum propelleret. Oportere enim aiebant poſt ficus multo denſoque vti poculo, ne illæ in ventre commorarētur, ſed in inferiores inteſtinorum partes celeriter deferrentur. Ariſto. quoque in Probl. ficubus ſuperpotandum vinum credidit, quòd vt ignis paruus à magno extinguitur, ſic exiguus ficuum calor à vini maiore vincatur & ille qui apud Valerium Max. riſu obijt, quod Aſino, qui ederat ficus, iuſſiſſet dari quoque merum, clare monſtrat illud poſt eos bibi ſolitum. Idem commendatum fuit ab Hipp. 3. de Diaeta lib. in ijs, quibus ob frigiditatem infirmus eſt ſtomachus. Nec fuit abſque vtilitate ruſticorum inſtitutum, quos tradit Galenus conſueuiſſe ficus macerare aceto, quod earum viſciditatem magnopere corrigeret. Non inconuenit, vt hoc loco detegam errorē, qui hactenus in Columella à nemine, quem ſciam, animaduerſus & emendatus fuit, præterquàm à Latino Latinio Viterbienſi, acris iudicij, & ſingularis

doctrinae ac probitatis viro. In lib.enim 12.cap.34.ſic legitur, *Qui ſcilliticum acetũ facere volunt, decẽ bambatae amphoras muſti mitis, &c.* Vbi quid ſignificent eae duae dictiones, Decem bãbatae, nec Apollo ſanè intelligeret. Quare illa verba. Qui ſcilliticum acetum facere volunt, extremis antecedentis capitis iungenda ſunt, deinde titulus ſubſequentis capitis apponendus ſeparatim. De Embammate: poſtremò incipiendum ſequens caput, In tres amphoras muſti. Hunc in modum clariſſima erit Columellæ oratio. Qui eodem lib. ca.55. Sinapim faciendi rationes plurimas docens, cuiuſdam Sinapis ad Embammata idonei mentionem fecit. Quod porro ſcripſit Vlpianus, Embamma fuiſſe loco aceti, valde deſcriptioni Embammatis Columellae quadrat, cui magna aceti portio admiſcetur. Sic etiam Latino intinctus nomine vsũ Pliniũ reperio. Itaq. Turnebum alioquin doctiſſimum probare nequeo, dum in 17. Aduerſ.l c.13. Bambatae vocẽ non mutandã, leuibus quibuſdã rationibus contendit.

Locus Plutarchi de Pithoegijs emendatus, & de Feſto primae Auguſti diei. CAP. XV.

ROmanos vina, quae annum ſaltem praeterijſſent, vt plurimùm bibere conſueuiſſe, ita clarè ſcriptum habetur apud Galenum, aliosq. auctores, vt ſuperuacaneum iudicem illud amplius demonſtrare. Nam Vinalia feſta deguſtandis vinis inſtituta xiij. Kal. Septemb. fiebant, vt Plinius ſcribit. Quae autem idem ix.Kal. Maij fieri ſolita tradit, ab Aenea fuiſſe inſtituta, meminit Ouidius 6.Faſtorum. Graeci verò quòd eadem noua, necdum ſextum menſem adepta, frequenter potarent, Galenus quoque teſtatus eſt, qui in com. ſupra primum de Nat.hum.rationes varias exponens, quibus hieme pituita adeò copioſa in hominum ſtomachis gignitur: inter multas, quas recenſet, eam ponit, quòd plurimi tunc noua vina bibant, quae aptiſſima ſunt in pituitam conuerti. Quare Plutarchi codicem in 8.Sympoſ.10.deprauatum eſſe puto, vbi haec in vulgaris leguntur: *καὶ μὴν οἶνόν τε τὸν νέον οἱ πρωϊαίτερα πίνοντες, εὐθὺς ἠδίωνι πίνουσι μὲν, μετὰ χειμῶνα, καὶ τὴν ἡμέραν ἐκείνην ἡμεῖς μὲν Ἀγαθοῦ δαίμονος, Ἀθηναῖοι δὲ Πιθοίγια προσαγορεύουσι:* Loco enim, *μετὰ χειμῶνα, πρὸ χειμῶνος,* reſtituendum ob id iudico, quoniam Gaza, cui in hac re fidem maximam adhibeo,

con-

contra nonnullorum opiniones ἀνθεστηριῶνα Nouembrem menſem fuiſſe contendit: πιθοίγια verò quòd menſe Nouembri celebrarentur, ſicuti noſtris temporibus in omni fere Europa vndecima Nouembris, quae D. Martino dicata eſt, die, multi auctores teſtati ſunt: & ſi Io. Grammaticus Ianuarij menſe illud factitatum ſcribit. Quae ſupra dixi Vinalia xiij. Kal. Septembris Romae fieri ſolita, ea puto, quae paſſim hodie in Italia Kal. Auguſti celebrantur. Vt enim feſta illa in die, qua Fidicula ſidus oriri incipit, Autumnusque inchoat, ad tẽpeſtates leniẽdas (quemadmodũ ſcribit Plinius lib. 18. cap. 29.) inſtituta erant: ſic noſtris temporibus prima Auguſti ad excantandam & auerruncandam mẽſis prauitatem fieri videntur.

De Oleo, & Butyro, Aphrogala, varia Galeni & aliorum explicata loca Plinij locus correctus.
CAP. XVI.

Coquos, antequàm vel piſces vel carnes aſſarent, oleo inungere ſolitos, refert Galenus 2. de Simpl. medic. quod ideo ab ipſis factitatum credidit, ne exteriores partes vi ignis exuſtae conſumerentur, interiorumque coctionem impedirent. Ego verò potiùs ob id factum exiſtimo, ne carnium & piſcium inteſtinus atque proprius humor extra flueret; ſed intus cohibitus & coctus iucundiorem cibum palato redderet. Oleum enim occludere extimos corporũ meatus, quo minùs quicquã effluere queat, & Galenus faſſus eſt, & Alexander, qui in Probl. ea ratione animalia inſecta ab oleo enecari diſputat, prohibita ex olei obſtipatione natiua eorum ſpiratione. Hoc autem pacto aſſata intellexiſse Ariſtotelem veriſimile eſt, quando in 4. de Mixtorum affectibus libro, ea elixatis humidiora facit. Quanquam aſſata etiam fiunt intus humidiora, quando multo igne ſtatim extimis cruſta quaſique lorica inducitur, vt idem Ariſtoteles 2. Probl. corporibus humanis ſub ſole, & ad ignem vſu venire pluribus diſſerit. Quòd deinceps oleo cocta non ita vrantur, vt Archidamus cenſebat, in hoc iure à Diocle damnatus, Auerroes Arabum omnium doctiſſimus in 5. Collectaneorum lib. monſtrauit; vbi conterraneos ſuos oleo carnes omnes coquendi morem habuiſse, quia ſic delicatiores & meliores euaderent, pluribus docet. Olei mentionem non incon-

grùe

gnè Butyri tractatio ſequitur; mirum; quòd apud gentes, quibus oleum deerat, butyrum etiam in vngendis poſt balnea corporibus pro ipſo suppleret, vt notauit Galenus, noſque in libris noſtris Gymnaſticae monſtrauimus. Habuerunt quidem veteres varia butyri genera; ſed pharmaci potius loco, praeſertim apud nobiles; quam cibi, illis in vſu erat: vt non immeritò Plinius butyrum gentium barbararum laudatiſſimum cibum, qui quae diuites à plebe diſcerneret, appellarit. Hac namque ratione factum puto, vt Athenaeus, qui in ſuo conuiuio nullum cibi genus praeterijt, butyri nunquam mentionem fecerit. Non poſſum certè mirari ſatis, cur Galenus Dioſcoridi vitio verterit, quòd butyrum ex ouillo tantùm & caprino lacte trahi ſcribat; cùm, ſi eius literam conſiderare velimus, nunquàm ipſum negaſſe, quin & ex bubulo fieret, ſed bonum ex ouium atque etiam caprarum lacte fieri cenſuiſſe reperiemus, quae ſententia vera putari debet, quemadmodum verum eſt, caſeum ouium & caprarum bonum eſſe. Dioſcoridis mentem de butyro fortaſſe explicans Plinius dixit, Plurimùm è bubulo; & inde nomen: pinguiſſimum ex ouibus fit, & ex caprino, quo in loco Plinij verba quaedam mihi ſuſpecta redduntur; quoniam de butyri effectibus ſermonem habens, hæc ſcribit: Natura eius aſtringere, mollire, replere, purgare; Nam praeterquàm quòd duo iſta ſibi aduerſantur, mollire & adſtringere, à nullo quoque auctore butyro aſtringendi facultatem atributam legi: neque id rationi & eius temperaturae conſonum videtur. Quo circa pro Adſtringere, Digerere, reſtituendum duco: cùm praecipua, quam butyro Galenus adſcribit, facultas ſit digerendi vis. Butyrum item ex equino lacte Scythas factitaſſe memoriae mandauit Hippocrates, ſiue Polybus quarto de Morbis. Quod verò ſcribit Plinius libro vndecimo, capitu. 41. Barbaras gentes conſueſſe lac in iucundum acorem condenſare, & butyrum pingue, quod ſpuma lactis eſſet: nil aliud intelligit, quàm oxygala, & aphrogala apud Romanos plurimi æſtimatum, & niue refrigerari ſolitum, vt Galenus ſeptimo Methodi narrat: quorum poſtremum, Aphrogala ſcilicet, hodie apud multos inter ſuauiſſima edulia ſub nomine capitis lactis reputatur.

De Vino dulci, & de coitu, Ariſtotelis, Plinij, & medicorum aliquot explicati loci. CAP. XVII.

Vinum dulce neque inebriare, neque à frigore denſari, ſcriptum reliquit Ariſt. 4. Meteoro. quod etiam confirmauit 3. Probl. ſect. Haec tamen ſententia ab omnibus fere improbatur, quod certa experiētia conſtet, innumera propè vinorum dulcium genera reperiri, quae inſignem potoribus ebrietatem inducant. Vnde meliùs cenſuiſſe iudicant Hippocratem haec in 2. ad Sentētias Gnidias libro ſcribētem, ὁ μὲν γλυκὺς ἧσσον ἐςὶ καρηβαρικώτερος τῦ οἰνώδιος, κὴ ἧσσον φρενῶν ἁπτόμενος. Sed neque Ariſtotelem male dixiſſe intelligemus, ſi de quo dulci vino ab eo ſermo habeatur, ſciemus. Inuenio apud Pliniū & Galenum, Protropum vinum, ſiue prodromum, quod ex Gnido & Lesbo Romam deuehebatur, maximo in precio habitum eſſe, non modò pro varijs medicamentorum compoſitionibus, verum etiam pro diuitum & nobilium menſis. Cuius etiam meminit Vitruuius lib. 8. cap. 3. vbi loco Protyri, Protropi legendum, prudenter monſtrauit Philander. Hoc autem erat muſtum ſponte deſluēs, antequàm vuae calcarentur, quod protinus diffuſum lagaenis, ſuis deferuere paſſi, poſtea in ſole quadraginta diebus torrebant aeſtatis ſecutae ipſo Canis ortu. Similiter factum inuenio olei genus quoddam gleucinum, & Lixiuium à latinis vocatum. Erat id vinum maximè dulce, vt videatur quandoque inter dulcia primum locum tenuiſſe, quemadmodum Athenaeus libro primo hiſce teſtatur: Μιτυληναῖοι τὸν παρ' αὐτοῖς γλυκὺν οἶνον πρόδρομον καλοῦσι, ἄλλοι δὲ πρότροπον. An verò muſtum lixiuium Columellae, ſiue vinum lixiuium, fuerit hoc protropum, conſiderent alij. Ipſe enim puto vinum quod Amos propheta cap. vj. in phialis vocauit, & quod Tertullianus lib. iiij. in Martionem liquatum dixit, hoc ipſum protropum fuiſſe. Itaque cùm in Graecia protropum vinum dulce nuncuparetur, ibique praeſtantius, quàm alibi, naſceretur, atque tale minimè inebriare perſpectum ſit, ad credendum adducor, Ariſtotelē ſub nomine vini dulcis, non quodlibet vinum dulcedine praeditum, ſed hoc vnum genus, Graecis quaſi proprium, duntaxat comprehendiſſe. Quid enim ea verba ſibi volunt, ἔςι δὲ ὀνόματι οἶνος, ἔργῳ δὲ οὐκέτι. niſi quòd vinum dulce, cuius mentionē facit ibi Ariſt. erat naturae cuiuſdam inter vinum verum,

& muſtum mediae, cuiuſmodi protropum fuiſſe innuit Plinius? vt quemadmodum muſtũ haudquaquam ebrietatem parere in Probl. monſtrauit Ariſt. & poſt ipſum luculenter comprobauit Plut. in Symp. quem Macrobius Sat. 7. Latinè loquẽtem fecit: pariter in 4. Meteorol. de vino dulci ſiue protropo idem enũciarit, nempe quòd vt temperatura à muſto parũ recedebat, ſic etiã viribus ei ſimile exiſteret. Niſi potiùs libeat, pro dulci ab Ariſtotele Paſſum accepium eſſe, non tantùm quia Plinius illud inter dulcia collocat, ſed quoniam Polybius in 6. auctor eſt, necnon Varro, & Gellius, Romanas mulieres vino interdictas huiuſcemodi paſſum bibiſſe, quaſi ab eo nullum ipſis periculum ebrietatis immineret. fiebat enim hoc genus vini paſſum vocatum ex vuis paſſis & expreſſis, vt docent omnes, vnde etiam de hoc interpretandus eſt Ariſt. 23. Probl. 26. vbi ſcribit, vinum dulce non miſceri aquae ſalſae, ſed ei ſalſam ſuper natare magis quàm pontico, propter ſui terreſtrem naturam, vt oſtendunt paſſulae, nam quae eſſet ratio Ariſt. & loquendi modus niſi de eo vino quod fiebat ex paſſulis loqueretur? quanquam nec Aponenſis nec Gaza hoc videantur cognouiſſe. Ex Prob. Ariſtotelis aliud item mihi in mentem venit adnotare, apud quem 1. & 4. ſect. coitum morbos quoſdã ex pituita ortos curare legitur in hunc modum: Διὰ τί ἡ λαγνεία πρὸς νοσήματα τὰ ἔνια τὰ ἀπὸ φλέγματος συμφέρει. quae verba transferens Gaza, ſemper λαγνείαν. (neſcio quo ſpiritu) immoderatum coitum eſt interpretatus: Etſi namque ea vox, λαγνεία, interdum Hippocrati ſemen ſignificet, vt Galenus in Expo. vo. ant. ſcriptum reliquit: nunquam tamen ab ea coitus immoderantiam deſignari certum eſt: tantominus 6. Epid. com. 5. dum ait, λαγνείη τῶν ἀπὸ φλέγματος νόσων ὠφέλιμον. & 1. de Diaeta, ſcribens. λαγνεύειν δὲ ὕδατος ἐρόδων γινομένων πλείονα. Vnde Ariſtoteles problematis ſui occaſionẽ accepiſſe videri poteſt, & vnde quoque Dioclẽ, ab Athenienſibus (vt ſcribit Theodorus Priſcianus) Iuniorem Hippocratem vocatum, ſua mutuaſſe puto, cùm in epiſt. ad Antigonum Regem ſcripſit, ſolſtitio hiemali, quãdo plurimùm exuberat pituita, concumbendum eſſe. Haec etenim ſententia non ſolũ pro vera accipitur à Galeno, & Auicẽna, modò vires ſint firmae, ſed etiam ab eodem Hippocrate duobus exemplis valde confirmatur. Quorum alterũ eſt Timocharis, quem in 5. Epid. refert, hieme à catarrho in nares maximè defluente ſolicitatum, coitu omnem humorem exiccaſſe. Alterum eſt Hicippi, quem refert in 4. Epid. nocturnam pollutionem, dum febricitaret, ſaepenumero paſſum, nullum nocumentum ſubijſſe, imò leuatum eſſe. Vt malè cenſuiſſe videatur

Petrus Apponenſis, quando problema Ariſtotelis exponens, coitum quemcunque in febribus ſemper obeſſe ſcribit. Sicuti quoque damnari mereatur Clinias ille Pythagoricus, quem refert Plutarchus 3. Sympoſ. interrogatum, Quando mulieribus commiſceri expediret; Tunc praeſertim, reſpondiſſe, quando quis damnum aliquod pati velit. Quamquam idem Plutarc. lib. de Tuenda val. apud Stobaeum ſer. 99. ſic ait, ὅθεν ἄριστα λέγεται, τὸ τροφῆς ἀκορέστως καὶ πόνων ἀόκνως, καὶ σπέρματος φειδωλῶς τηρεῖν, ὑγιεινότατα εἶναι illud autem planè abſurdum videtur, quod in fine vij. Epid. ſcriptum eſt hiſce verbis: ἡ πορνείη ἄχρωμος δυσεντερίης ἄκος niſi dicamus pluribus affectionibus nomen dyſenteriae eſſe impoſitum, atque inter alios ſic ſanguinis per aluum à iocinore prae copia expulſi fluorem vocari, in quo forſan copioſus coitus contulerit, nimirum quo ſanguinis copia inſigniter minuatur. Aut potiùs dicamus locum eum mendoſum eſſe.

De varijs Vini antiquorum temperaturis pulchra quaedam: Locus Hippocratis illuſtratus, & alius Athenaei correctus, Heſiodiq. ſententia interpretata.

CAP. XVIII.

Vinum aquae primùm miſcere coepit Staphylus Sitheni filius, vt ſcribit Plius: vt verò Athenaeus, ex Staphylo, Melampus. Sed huiuſcemodi mixtio longis temporum interuallis non paruam varietatem accepit, tum à natura vini, tum à natura bibentium, tum etiam à tempore quo potabatur. A natura vini primùm variata eſt mixtio, quando Maroneum vicies tanto aquae addito, ob eius vim miſcendum eſſe voluit Homerus; cuius generis vini facultas vigorq. indomitus etiam Mutiani ter Conſulis tempore durabat, qui eius ſextarios ſingulos octonis aquae miſceri comperit. Sic enim Falernum indomitū vocauit Iuuenalis, quod vix & ipſum multa aqua domaretur; vt Galenus aliud ὀλιγοφόρον, quod pauca aqua vincebatur; Atqui communes vini temperaturas tres extitiſse, ex prouerbio antiquo, ἢ πέντε πίνειν, ἢ τρία, ἢ μὴ τέτταρα, monſtrat tertio Sympoſ. Plutarchus, vbi ait; Qui Dionyſij harmonias callebāt, eos tres vini cum aqua conſonantias

aſpexiſſe,

aſpexiſſe, ſeſquialteram, diapaſon, & diateſſaron. πέντε namque hemioliam denotaſſe, quae efficiebatur tribus aquae partibus duas vini addendo. τρία indicaſſe diapaſon, quae fiebat, vni vini parti duas aquae immiſcendo: τέτταρα diateſſeron ſignificaſſe, quae naſcebatur ex tribus aquae partibus, & vna vini ſimul tēperatis. Addit idem Plutarchus poſtremam & ſeſquitertiam portionem tanquam remiſſam & ſobriam ijs in vſu fuiſſe, qui in Prytaneo dominabātur, & qui Philoſophiae aut contemplationibus incumbebant: nempe quos mente praeditos, atque ſobrios eſſe cōueniebat. De qua etiam temperatura Ion poeta apud Athenaeum ſermonem faciens, dicebat.

Εὗρεν ὁ μάντις Παλαμήδης ἐμαντεύσατο
Πλῆν ἔσεσθαι τοῖς Ἕλλησι πίνουσι τρεῖς
Πρὸς ἕνα κυάθοις

Alios verò à praedictis eam mixtionem effugiſſe: vnde Menander apud Athenaeum,

—— οὐ γὰρ ἄν ποτε
Ἔπινον τρεῖς ὕδατος, οἴνου δ' ἓν μόνον.

Temperaturam porrò, quae ex duabus aque partibus & vna vini mixtis conficiebatur, mentem turbare, & leuem quandam ebrietatem inducere creditum; eam autem, quae ex duabus vini partibus, aque tribus mixtis ſub πέντε complexa contemperabatur, ſomnum inducere, curarum obliuionem parere, paſſiones ſedare, dictum. Sed illud, πέντε πίνειν, ſecus intelligi debere, Athenaeus cenſuit, qui hanc mixtionem ex duabus vini partibus & quinque aquae factam fuiſſe ſcripſit, atq. id ad cōprobandū nonnullorum poetarum teſtimónio vſus eſt, ſub his verbis: οἱ δ' ἐπιτεταμένως χρώμενοι τῷ ποτῷ, δύο οἴνου ἔπινον πρὸς πέντε ὕδατος. Νικοχάρης γοῦν ἐν ἀμυμώνῃ πρὸς τοὔνομα παίζων ἔφη, Οἰνόμαος τοῦτο χαῖρε, πέντε καὶ δύο κἀγώ τε καὶ συμπόται γενοίμεθα. τὰ παραπλήσια εἴρηκε καὶ ἐν λημνίαις. Ἀμειψίας δὲ ἐν ἀποκοτταβίζουσι: ἐγὼ δὲ Διόνυσος πᾶσιν ἡμῖν, πέντε, καὶ δύο. Εὔπολις ἐν αἰξί. Διόνυσε χαῖρε, μή τι πέντε καὶ δύο. Ἕρμιππος θεοῖς, Ἐπειθ' ὅταν πεινώμεθ' ἢ διψώμεθα, δεχόμεθα. πρὸς τοῦθ' ὁ οἶνος ὠκέρας γένου, Οὐκ ἀς οὐ. καὶ πηλοῦ γῶ φέρε παίζων, ἅμα κ' αὖθις γεγένηται τοῦτο πέντε καὶ δύο.

Qui meraciùs bibere volebant, praeter dictas mixtiones, ex aduerſo quinq. vini partes duab. aquae miſcebant. Id quod Athenaeus idem Anacreontis auctoritate ſic cōprobat: παρὰ δὲ Ανακρέοντος, (ita enim ſcribendū, & nō εἰς, vt in vulgatis legitur, neque, vt legunt, qui Anacreontem reſtituere ſunt profeſſi) οἴνου πρὸς δύ' ὕδατος. ἄγε δὴ φέρ' ἡμῖν, ὦ παῖ, κελέβην, ὅκως ἄμυσιν προπίω, τὰ μὲν δύ' ἐγχέας ὕδατος, τὰ πέντε δ' οἴνου κυάθοις, ὡς ἂν ὑβρειστιῶσαν ἀναδευβασσαιρήσω. Euſtathius

in x. com. Odyſſeae paullò diuerſius prouerbium illud eſt interpretatus, vbi ait, *τρία* ſignificaſſe vnius vini cyathi cum duobus aquae confuſionem; *πέντε* duorum vini cum tribus aquae; *τέτταρα* totidem vini, quot aquae: quod dicitur & ab Hippocrate, & apud Athenaeum, *ἴσον ἴσῳ*. Ab his verò extitiſſe & quartam bibendi rationē, vt ſi quis merum bibere maluiſſet; quam *πρὸς ἄλυσιν* afferre, ſicuti ſuperiorem trium mixtionum duas priores hominum ſanorū eſſe, & tamen hilarorum, poſtremam inſanorum, ſcripſit. Poteſt alia fortaſſe non inepta prouerbij, *ἢ πέντε πίνειν, ἢ τρία, ἢ μὴ τέτταρα*, explicatio afferri, quòd illo vetaretur quartum cyathum, ſiue vltra quintum potari, ſed vel tertium duntaxat, vel vſque ad quintum. Scribit Plinius à Democrito conditum eſſe volumen, quare cyathi quaterni, & ſextarij non eſſent potādi. Eubulus quoque apud Athenaeum quartum cyathum *ὕβρεως*, ſextum *κώμων*, & poſt hunc alios aliorum vitiorum eſſe maiorum fecit, vt intelligere poſſimus, quartum cyathum nunquam laudatum. A natura bibentium quoque variata fuit vini temperatura: quoniam ſani & natura calidi, ac deſides maiorem aquae menſuram adhibebant: ex aduerſo frigidi, debiles, & exercitati minorem. Et propterea ſenes (vt diſputat Plutarchus) qui magis mero gaudent, meraciorem mixtionem ſemper ſecuti inueniuntur; idque Achilles apud Homerum animaduertens, cùm Phoenicem & Vlyſſem ſenes eſſe, ac in armis tota die occupatos, ob idque non aquoſo, ſed meraciore vino, quemadmodum ceteros ſenes, gaudere ſciret, vino paucum aquae miſceri iubet, ſub hiſce verbis, *ζωρότερον δὲ κέραιρε*. qua voce vſus eſt quoque Hippoc. lib. de Exectione, item de Nat. muliebri, & alibi. Etſi non defuerint, quibus apud Plutarchum hanc Homericam ſententiā in diuerſos trahere ſenſus placuerit. In anxietudine, oſcitatione, & horrore, dicebat Hippocrates, *οἶνος ἴσος ἴσῳ πινόμενος λύει τὴν νοῦσον*; videlicet vinum pari aquae portione epotum ſoluit morbum. quam mixtionem appellans meraciorem Galenus ſub his verbis, *ἕκαστον οὖν τῶν εἰρημένων οἴνου πόσις θεραπεύει ἀκρατεστέρου*, demonſtrat ſimilem vini temperiem magis mero ceteris acceſſiſſe. Quòd ferè ſemper in ceteris mixtionibus aquae menſuram vinum ſuperaret (*ἀκρατέστερον*) merum, vel mixtionem mero magis accedentem deſignaret, etiam ex his apud Athenaeum verbis liquet: *καὶ προελθών, τὴν ἀκρατοποσίαν σκυθικὴν καλεῖ πόσιν. ἄγε δ᾽ ὅτε μηκέθ᾽ οὕτω πατάγῳ τε κἀλαλητῷ σκυθικὴν πόσιν. παρ᾽ οἴνῳ μελετῶμεν, ἀλλὰ καλοῖς ὑποπίνοντες ἐν ὕμνοις. καὶ λακεδαιμόνιοι δ᾽ ὥς φησιν Ἡρόδοτος ἐν τῇ ἕκτῃ, Κλεομένην, τὸν βασιλέα Σκύθαις ὁμιλήσαντα, καὶ ἀκρατοπότην γενόμενον, ἐκ τῆς μέθης φησὶ μανῆναι.*

καὶ αὐτοὶ δὲ οἱ λάκωνες ὅταν βούλωνται ἀκρατέστερον πίνειν, ἐπισκυθίσαι λέγουσι. Denique ſecundum tempus vini mixtiones diuerſas fuiſſe conſtat, cùm praeter medicorum praecepta, qui dilutius aeſtate, meracius hieme bibendum voluerunt, etiam veterum mores atteſtentur. De liberis & ingenuis loquor: quoniam me non latet, Catonem praecepiſſe, vt mancipia, & vniuerſa ruris familia hieme aquoſius & parcius, vere & aeſtate, quando magis laborarent, largius ac meracius potarent; quo modo Heſiodi ſententiam interpretandam puto, qui meracis potionibus per viginti dies Canis ortū, totidemque poſteà vti ſuadet, atque etiam illud Apollinis datum Athenienſibus oraculum apud Euſebium v. de praep. Euang. exp. x. intelligi debet, vbi conſuluit viginti ante, vigintique poſt caniculares dies vti medico Dionyſio in domo opaca.

De Inſibulatione. De recutitis aliqua digna ſitu & quid ſit apud Galenum, Dicere pedem. CAP. IX.

QVòd veteres ſabulas tam tragicas, quàm comicas, non ſermone, vt hodie fit, ſed altis vocibus cantibusque recitarent, praeter Ariſtot. in Probl. atque aliorum auctorū teſtimonia, Galenus quoque noſter affirmauit; vbi comoedos ac tragoedos ad conſeruandam vocem frequentibus balneis & laxantibus edulijs vſos narrat. quo in loco mirari ſoleo, cur illud artificij genus praeterierit, quod antiqui ad tuēdas hiſtrionum voces in vſu habebant, infibulationemque nuncupabant; quae tametſi valetudini quoque inſeruiret (vt Celſus ſcribit) virginesque apud lenones à ſeruis defenderet (quemadmodum hoc tempore eunuchorum euiratio penes aliquas nationes, & equarum infibulatio apud veterinarios) praecipuus tamen eius finis extitit, ne coitum exercere poſſent, quem in mutandis atque corrumpendis vocibus quantum momenti habeat, nemo ignorat. Neque verò adoleſcentes tantum (vt ait Celſus) infibulatos, verum etiam adultos, & quod maiori admiratione dignū, verpos ac recutitos credo; cùm à Iuuenale ſic ſcriptum legatur Satyra ſexta:

Soluitur his magno comoedi fibula. &,
Si gaudet cantu, nullius fibula durat

Vocem vendentis Praetoribus.

Nec non à Martiale libro 7. Epigrammatum:

Menophili penem tam grandis fibula veſtit,
Vt ſit comoedis omnibus vna ſatis. & iterum,
Dum ludit media populo ſpectante palaeſtra,
Heu cecidit miſero fibula, verpus erat.

Et quoniam recutitorum incidit mentio, non praeteribo id, quod ſcribunt interpretes Martialis & Perſij.ſ.dictos eſſe Iudaeos recutitos, quòd pueris cutim inguinis reſciſſam ſuccreſcere quaſiq. renouari facerent, ſed & Ioſephus Antiq. lib. 12.c.6. addit eos adducere ſibi praeputia conſueuiſſe, ne, coram Graecis proderentur ab ipſis diſſimiles, quod etiam in 1.cap.1. Machab. exprobatur. tanquam Iudaei Gymnaſia aedificarent, & ſibi ipſis praeputia adducerent; & ſi Lyranus id intelligendum putet tanquam filios incircumciſos dimitterent: quo autem pacto recutirent ſeu nouum praeputium ſibi pararent aliqui, docet Epiphanius in lib. de menſ. & pond. vbi de quodam Symmacho loquēs bis circumciſo. At hoc inquit, grauius adhuc eſt, quod etiam à circumciſione praeputiati fiunt arte quadam medica per inſtrumentum attractorium ſpathiſterem appellatum infernam membrorum cuticulam attrahi ſinentes, futuramque admittentes, & glutinatorijs circundatis praeputiũ rurſus ſuperinducunt. Qua de re & Cornelius Celſus lib.7. c.25. loquitur, vbi reficiendi praeputium rationẽ docet, tam eorum qui ſunt circumciſi, quàm qui à Natura detectam glandem habent: & de his ſimiliter intelligendus eſt D. Paullus 1. ad Corinth. c.7. Circumciſus quis eſt, ne adducat praeputium. His omnibus admoneor, vt locum Galeni à paucis intellectùm in medium proponam, qui in fine ſecundi libri de Motu muſculorum, de exſufflatione ſermonem habens, haec ait: δέονται δ' αὐτῆς μάλιστα μὲν αὐληταὶ, καὶ σαλπισταὶ, καὶ κήρυκες, ὅταν τὸν καλούμενον πόδα μέλλωσιν ἐρεῖν. Quod etiam confirmauit 6. Epid. com.4. tex.24. his verbis: ἐὰν δὲ καὶ ὁ θώραξ ὅλος ᾖ μέγας, οὐ μόνον μεγαλοφώνους ἐργάζεται τοὺς ἀνθρώπους, ἀλλὰ καὶ πλεῖστον φωνεῖν δυναμένους ὥσπερ οἱ κήρυκες, ὅταν τὸν καλούμενον πόδα λέγωσιν. Huic enim haud multum diſſimilem eſſe vocis aut ſonitus eleuationem, quem interdum ijdem tibicines agunt, ex hoc Gal. viij. Anatom. admin. cap.v. apertè ſatis colligitur: ὡς οὖν οἱ κήρυκες, ὅταν μέλλωσιν αἴρειν τὸ φθέγμα πλεῖστον ἐκπνέουσι. Vt verò καλούμενοι πόδες, inſtituti eſſent, & ad quid inſeruirent, explicuit Iulius Pollux lib.4. cap.12. quamquam paullò diuerſa à nobis ſentire videtur: aut potius is locus ita eſt corruptus, vt intelligi rectè nequeat, qui ſic habet: εἰς δὲ φιλοτιμίαν

τῶν ἐπ' αὐτὸ προελθόντων οἱ καλούμενοι πόδες ἐνομοθέτησαν, ἔλεγχον ἔχοντες εἰς μῆκος συνδήματος, καὶ πολλῶν τῶν περὶ τοῖς νέοις οἰκοδομημένων ἔκδοσιν σαφηνείας τινὸς δεομένην. Iam verò quid eſſet, Vocatum pedem dicere, quem decantabant tibicines, tubicines, ac praecones, nondum rectè à quoquam explicatum obſeruaui. Conijcio tamen fuiſſe quoddam concitatiſſimi ſonitus cantuſq. genus, haud abſimile illi, quo noſtri ad excitandas pugnas vtuntur: perinde ac dicere pedem, aliud nil foret, quàm ſono vel cantu vehementiſſimo ad pedes vel in pugna, vel in curſu agendo mouendos inflammare. Quà in re non exigua exſufflatione opus eſſe animaduerterunt illi, qui horum buccas diſtentas, inflatas, ac rubentes quotidie inſpiciunt; hoc forſan etiam voluiſſe ſignificare Hippocratem verò ſimile eſt; cum in lib. de flatibus dixit, cytharoedos, vbi vocem intendere oportet, attrahentes ſpiritum externum, foras eum propellere, & magnam vocem edere, prout ſpiritus durat.

Ramex quid ſit apud Plautum. Hiſtoria Domnini. Nonnulla de Varicibus, & Hirundinibus. Locus Plinij emendatus. CAP. XX.

RAmices apud medicos propriè venas tumidiores atque craſſiores, alio vocabulo Varices nuncupatas, quae vel tunicis teſticulos veſtientibus, vel ipſi ſcroto innaſcuntur, ſignificare, neminem latere puto. Quid autem Ramex apud Plautum ſignificet, paucis adhuc cognitum vidi. In Mercatore namque Acanthio ſeruus poſt curſum ab ſe factum, ſic Charinum alloquitur, *Placidè volo acquieſcere, Tua cauſſa rupi ramices, iam dudum ſputo ſanguinem*. In paenulo quoque Agoraſtocli tarditatē exprobranti reſpondent aduocati. *Tua cauſſa nemo noſtrum eſt ſuos rupturus ramices*. Vbi ſi cui placeat pro ramicibus varices genitalium intelligere, quo modo ſententiam ſuam tueri queat, nō facilè video. Quis quaeſo neſcit, ſputum ſanguinis minimè ramices ſcroti conſequi? quis item, reſinam ex melle Aegyptiam deuorare, quod Charinus ludens conſuluit Acanthioni, earundem remedium eſſe fateatur? nēpe quas ſola chirurgica operatione curari magni medicinae auctores docent. Nonius Marcellus credidit, ramices Plauto eſſe pulmonum venas. Ego verò aliter ſentio: eſſe ſcilicet ramices apud

Plautum venas pectoris latas: fortaſſe ſic nominat, quòd populari ac ruſtico vocabulo quaeque venae amplae, vt varices nuncupatae, etiam ramices vocarentur. Quòd verò in pectore, ac etiam in pulmone varices fiant, atque interdum magno hominum periculo rumpantur, ita clarè explicatum habetur ab Hippocrate, ſiue Polybo in lib. 1. de Morbis, vbi de empyemate tractatur, & lib. de Internis paſſionibus, vt nemini ea de re dubitare liceat. Hoc in loco Domnini philoſophi Platonici Syri hiſtoriam à Suda relatam ſubnectere placet, cui ſaepe ſanguinem expuenti, cùm Aeſculapij Atheniense oraculum reſpondiſſet, vt ob valetudinem recuperandam carnibus ſuillis veſceretur frequenter: ille etſi patria lege prohiberetur, ſemper tamen vſus eſt, & nunquam ampliùs expuit, niſi quando vel vno die ab earum carnium eſu abſtinuit. Varices ab Hippocrate ἰξίας appellari auctor eſt Galenus in Antiq. voc. exp. quam vocem non ſemel deinceps ab Ariſtotele vſurpatam eſſe inuenitur, vt 4. par. Probl. 21. & 10. partic. Prob. 30. necnon 3. de Hiſt. animal. capitu. 19. & 11. vbi dum à varicibus occupatos minùs caluitio tentari, caluoſq. à varicibus captos interdum capillos reſumere ſcribit, eam Hippocratis ſententiam interpretari, aut potiùs moderari videtur, quam Galenus 6. Aphor. 34. vt falſam iure merito damnat. An porrò βδέλλα Hippocrati aliquando venam varicoſam ſignificarit, quemadmodum Dioſcoridem cenſuiſſe Galenus affirmat, nondum animaduerti. Certè locus ille Prorrheticorum, in quo Hippocrates τὴν βδέλλαν memorat, multum abeſt, vt vel Dioſcoridi, vel alicui alteri ipſum ſequenti faueat, cùm hirundinem ibi ſignificari nullo modo dedeceat. Herodotus, cuius dialectos Hippocraticis omnino adſimilari omnes eruditi ſciunt, de Crocodilo in Euterpe ſermonem habens, eiuſdem vocis in ſimili propè caſu mentionem facit his verbis: ἅτε δὴ οἷον ἐν ὕδατι δίαιταν ποιεύμενος, τὸ ϛόμα ἔνδοθεν φορέει πᾶν μεϛὸν βδελλέων. τὰ μὲν δὴ ἄλλα ὄρνεα καὶ θηρία φεύγει μιν, ὁ δὲ τροχίλος εἰρηναῖόν οἵ ἐϛι, ἅτε ὠφελεομένῳ πρὸς αὐτοῦ. ἐπὰν γὰρ ἐς τὴν γῆν ἐκβῇ ἐκ τοῦ ὕδατος ὁ κροκόδειλος, καὶ ἔπειτα χάνῃ (ἔωθε γὰρ τοῦτο ὡς ἐπίπαν ποιέειν πρὸς τὸν ζέφυρον) ἐνταῦθα ὁ τροχίλος ἐσδυνέων ἐς τὸ ϛόμα αὐτοῦ, καταπίνει τὰς βδέλλας. ὁ δὲ ὠφελεόμενος ἥδεται, καὶ οὐδὲν σίνεται τὸν τροχίλον. Quam hiſtoriam paullò diuerſius referri ab Ariſtotele 9. de Hiſtor. animal. cap. 6. haudquaquam me latet. Veruntamen βδέλλαν Herodoto non venam varicoſam faucibus inexiſtentem, ſed hirudinem ipſis infixam deſignare, nemo non dixerit.

Locus Athenaei correctus ex Ariſtotele: & nonnulla de Canitie, & de capitibus Aegyptiorum, ex Herodoto. CAP. XXI.

Athenaeus lib. 15. Dipnoſ. vbi de vnguentis tractationem inſtituit, Ariſtotelem citat, in Quaeſt. nat. ſcribentem perſuſos vnguentis citiùs caneſcere, quoniam aromata exſiccant, ſiccitate autem canities gignitur; vnde etiam efficiatur, vt polia celerem canitiem inducant. ſic enim in fragmento legitur, quod à Gulielmo Cantero ex Farneſiana bibliotheca acceptum typis excuſum eſt: διὸ καὶ τὰ πόλια θᾶττον πολιοὺς ποιεῖ. Idem etiam a Clemente Alex. lib. 2. Paedag. cap. 8. relatum inuenitur, quo in loco duo mihi non parua animaduerſione digna cenſentur, Vnum eſt, ea quae ex Quaeſt. natur. Ariſtotelis apud Athenaeum citantur nec in probl. eiuſdem, nec alibi, neque in libro Theophraſti τῶν ὀσμῶν inueniri; ex quo conijcio perperam locum illum citari eo magis, quòd Diogenes Laertius in catalogo operum Ariſtotelis, Quaeſtionum naturalium mentionem nullam facit; & quod ibi ex eius ſententia aſſerit Athenaeus canitiem à ſiccitate gigni, tantum abeſt, vt illius placitis conſentiat, vt 5. de Gener. animal. capitu. 5. ex profeſſo aduerſus eos diſputet, qui à ſiccitate canitiem ortum ducere putabant, quam non ab ea, ſed à putredine ſola produci, pluribus argumentis monſtrat; vt facilè ſit iudicatu, quae in Athenaeo Ariſtoteli adſcribuntur, minimè ipſi conuenire. Alterum, quod animaduerti volo, eſt, an Polia canitiem inducant, nam aliquando credidi, poſſe eam ſententiam defendi, tum quia polio canities, quae in ſummo huiuſcemodi plantae cacumine pendet, nomen fecit; tum quia polium non pauca ſiccandi vi pollet, quam canitiei cauſſam exiſtere ibi diſputatur. Verum enim verò Fuluius Vrſinus, vir doctiſſimus, oſtenſo mihi antiquiſſimo manuſcripto Athenaei codice, in quo pro τὰ πόλια, τὰ πίλια reſtitutum erat, perſuaſit vt crederem, fortè ſic legendum eſſe: quando praeſertim Ariſtoteles 3. de Hiſtor. animal cap. 11. necnon 5. de Gen. animal. cap. 5. pileos citiùs canitiem producere aſſeuerat, hac oratione: ὅτι δὲ γίγνεται ἡ πολιὰ σήψει τινί, καὶ ὅτι οὐκ ἔστιν, ὥσπερ οἴονταί τινες, αὔανσις, σημεῖον τοῦ προτέρου ἐνθέντες, τὸ τὰς σκεπαζομένας τρίχας πίλοις ἢ καλύμμασι πολιοῦσθαι θᾶττον. τὰ γὰρ πνεύματα κωλύει τὴν σῆψιν, ἡ δὲ

σκέπη ἄπνοιαν ποιεῖ. Quanquam nec huiuſcemodi correctio mihi plenè ſatisfacit: ſi quidem Athenaei mens eſt monſtrare, à ſiccitate canitiem gigni: quomodo verò id argumento pileorum probare queat, non cognoſco, nimirum quos non ſiccando, ſed prohibita tranſpiratione corrumpendo canitiem facere cõſtat; Niſi hac quoque in re dicamus, vt multa, ſic & ea in Athenaeo probabiliter diſputari. Pileorum effectus ad memoriam reuocant, quae ab Herodoto de Aegyptiorum capitibus in Thalia referuntur hoc modo: Θῶυμα δὲ μέγα εἶδον πυθόμενος παρὰ τῶν ἐπιχωρίων. τῶν γὰρ ὀςέων περικεχυμένων χωρὶς ἑκατέρων τῶν ἐν τῇ μάχῃ ταύτῃ πεσόντων, χωρὶς μὲν γὰρ τῶν Περσέων ἔκειτο τὰ ὀςέα, ὡς ἐχωρίσθη κατ' ἀρχάς, ἑτέρωθι δὲ τῶν Αἰγυπτίων: αἱ μὲν τῶν Περσέων κεφαλαὶ εἰσὶν ἀσθενέες οὕτω, ὥστε εἰ θέλεις ψήφῳ μόνῃ βαλέειν, διατετρανέεις, αἱ δὲ τῶν Αἰγυπτίων οὕτω δή τι ἰσχυραί, ὡς μόγις ἂν λίθῳ παίσας διαρρήξειας. αἴτιον δὲ τούτου τόδε ἔλεγον, καὶ ἐμέγε εὐπετέως ἔπειθον, ὅτι Αἰγύπτιοι μὲν αὐτίκα ἀπὸ παιδίων ἀρξάμενοι ξυρεῦνται τὰς κεφαλὰς, καὶ πρὸς τὸν ἥλιον παχύνεται τὸ ὀςέον. τωυτὸ δὲ τοῦτο καὶ τοῦ μὴ φαλακροῦσθαι αἴτιον ἐςί; Αἰγυπτίων γὰρ αὐτοὺς ἐλαχίςους ἴδοιτο φαλακροὺς πάντων ἀνθρώπων. τούτοισι μὲν δὴ τοῦτο ἐςὶ αἴτιον ἰσχυρὰς φορέειν τὰς κεφαλάς. τοῖσι δὲ Πέρσῃσι, ὅτι ἀσθενέας φορέουσι, αἴτιον τόδε σκιητροφέουσι, ἐξ ἀρχῆς πίλους τιάρας τε φορέοντες. Vt autem etiam qui literas Graecas non callent Herodoti ſententiam de pileis caluitiem parientibus, & de Aegyptiorum capitibus cognoſcere queant, Latina verba ſubiungam. *Ibi ego rem mirandam vidi ab indigenis edoctus Oſſa eorum, qui in acie ceciderunt, quum iacerent fuſa, vt ab initio diſtincta fuerant, ſeorſum erant Perſarum, alıorſum Aegyptiorum: ſed Perſarum capita adeò fragilia ſunt, vt ſi velis ferire, vel ſolo calculo perforare poſsis: Aegyptiorum autem ita firma, vt ea vix ictu lapidis elidas. Cuius rei cauſſam hanc illi reddebant (facilè mihi perſuadentes) quòd Aegyptij ſtatim à pueris capita radere incipiunt; & os capitis ad ſolem redditur compactum: quae eadem cauſſa eſt non caluеſcendi, nam ex omnibus hominibus paucißimos quis Aegyptios caluos videat. His igitur hoc cauſae eſt, cur robuſta capita geſtent. At Perſis cur fragilia ſint capita, id in cauſſa eſt, quòd à principio in vmbra nutriti aſſueſiunt operire capita, geſtantes pilea, & tiaras.*

De

De menſuris potus antiquorum, & ordine earundem.
CAP. XXII.

VArijs menſuris antiquos potaſſe non me latet, ſed ex eis tres potiſſimùm obſeruare ſoleo: Sextantem, Deuncem, & Trientem, quarum duas rariùs, tertiam frequentiùs, & à pluribus in quotidiano victu vſurpatam puto. Sextante temperatos ac valetudinarios, Deunce intemperatos & bibaces potaſſe valde veroſimile eſt. Nam Suetonius auctor eſt Auguſtum Caeſarem ſextante bibiſſe, eumque ſexies tantùm in conuiuijs publicis oſi admouiſſe. Martialis item de ſeipſo & Cinna:

Sextantem poto, tu potas Cinna deuncem,
Et quereris quòd non Cinna bibamus idem?

Item de Luſco bibone, ad Aulum:

Potor nobilis, Aule, lumine vno
Luſcus Phryx erat, alteroque lippus.
Huic dixit medicus, bibas caueto:
Vinum ſi biberis, nihil videbis.
Ridens Phryx, oculo, valebis, inquit.
Miſceri ſibi protinus deunces,
Sed crebros iubet. Exitum requiris?
Vinum Phryx, oculus bibit venenum.

Ex quibus in eam facilè venire coniecturam poſſumus Deuncem, ſiue vnciarum vndecim calicem, ebrioſorum potiùs & intemperatorum hominum, Sextantem verò temperatorum menſuram extitiſſe. Ceterùm quòd in communi omnium ferè vſu eſſet crater, quinque paullò plus minusve vnciarum appellatus Triens, ideo mihi pro comperto habendum videtur, quoniam Poetae, qui omnibus alijs auctoribus meliùs, veterum in edendo praeſertim, & bibendo, mores expreſſerunt, cùm de huiuſcemodi potus menſuris vaſisque loquuntur, ferè ſemper trientes nominant.

Prop. li. 3. *Cùm fuerit multis exacta trientibus hora*

Perſ. ſat. 2. *Sed tremor inter vina ſubit, calidumque trientem.*

Martialis verò, quem ceteris copioſiùs de hiſce rebus luſiſſe apparet, lib. 1.

Crebros ergo bibas licet trientes.

& lib. 4. *Sed nec poſt primum legat haec, ſummumve trientem.*

Sed

Sed ſua cùm medius praelia Bacchus amat.

& lib. 9. *Septem poſt calices Opimiani,*
Denſo cùm iaceam triente blaeſus.

& lib. 10. *Candida Setini rumpant cryſtalla trientes,*
Dormiat in pluma nec meliore Venus.

&, *Cùm potes amethyſtinos trientes.*

item lib. 11. *Miſce dimidios puer trientes,*

&, *Et numerat noſtros adſtricta fronte trientes,*
Tamquam de cella ſit cadus ille ſua.

& lib. 14. *Setinos moneo noſtra niue frange trientes,*
Pauperiore mero tingere lina potes.

&, *Setinum, dominaeque niues, denſique trientes,*
Quando ego vos medico non prohibente bibam:

Vnde conijcere quiuis poteſt, calices quotidianos, & à cunctis ferè pro potu vſitatos trientes fuiſſe, quae erat quarta ſextarij pars. Ex quo etiam ad credendum inducor ſextarium forſan eam fuiſſe potus mēſuram, quam in coena quotidie ſumebant, quamque in quatuor partes, ſiue in trientes quatuor diuidebant. Quanquam non ignoro, interdum nullam eſſe in bibendo ſeruatam menſurae rationem: quemadmodum inuitat Martialis Caium Proculum lib. 11.

Quincunces, & ſex cyathos, beſſemque bibamus,
Caius vt fiat Iulius, & Proculus.

& quemadmodum in conuiuijs publicis factitatum rationi conſentaneum eſt, in quibus refert Alexander Trallianus libro Probl. 1. inſtitutum eſſe, vt contrarijs poculis vterentur, in principio ſcilicet minutis, in fine verò amplioribus. Vt enim epularum gratia, in quibus frequentiùs bibere decebat, veteres crebriùs potarent, à paruis calicibus inchoabant, & in capaciores deſinebant, quippe cùm parua implere ſatis, vbi potare liberaliſſimè liberet, nequirent. Quòd ſi ab amplioribus incepiſſent, ocyus repleri neceſſe erat, & ſubinde minùs potare, ſi quidem natura à largo protinus hauſtu accepto veluti expleta, copiam omnem ſubſequentem contemnit: ex aduerſo, ſi paruis poculis aſſueta paullatim ampliora exhibeantur, facilè copiam quamcunque ſuſtinet quod tamen ab Anacharſi Scytha eſſe damnatum ſignificat Laertius, qui ſcribit eum mirari ſolitum, cur Graeci initio conuiuij paruis poculis vterentur, vbi verò ſaturi eſſent, maioribus. Quod porrò Nicandri ſcholiaſtes memoriae mandauit, vetuſtiores κέρασι, ſiue cornibus potare ſolitos (vt copioſiùs in lib. 1. Gymnaſticae declarauimus) atque inde natum κεράσαι, hoc eſt merum tēperare, veriſimile quidē videtur, tum ob rudes eorum

mores,

mores, tum fortaſſe quòd putarent inde potandi maiorem ſecuritatem accedere: Sic enim tradit Aelianus Indorum reges aſini Indici cornu bibere voluiſſe, ſperantes à morbo epileptico, & venenis ſe inde tutos euaſuros.

Loca Hippocratis de Aqua & Bile explicata. Alexandri locus reſtitutus. De Bile Anaxagorae, & Ariſtotelis ſententia. Galeni locus explicatus. Ammianus Marcellinus correctus. CAP. XXIII.

BIlioſis natura aquam in bilem verti ſcriptum reliquit Hippocrates 3. de Acutis, hoc pacto: χολώδης γὰρ φύσει χολώδει, καὶ ὑποχονδρίῳ κακόν: id quod etiã confirmauit 3. de Fracturis prope finẽ, quando bilioſis aquam dari prohibet. Vbi cùm Galenus nil ferè dicat, quod ad ſciẽdam dicti Hippocratis rationẽm pertineat; ego arbitror hæc omnia intelligẽda de pauca aquae exhibitione: nam ſi multa detur, potiùs extinguitur bilis. Quomodo verò pauca aqua in bilem conuertatur, cum ſit frigida & humida, bilis autem calida & ſicca, inter quas nulla eſt conuenientia; ſi quaeratur, exiſtimo ita fieri, quoniam pauca aqua in hypochondrijs permanens, cùm nullam habeat contra bilis feruorem reactionem, facilè ab illa ſuperatur, vnde bilis feruorem veluti pabuli copiam adepta augetur. Quin & oleum roſaceum corpori feruenti applicatum, licet aliquantiſper refrigerare videatur, tamen poſtmodum magis calefacit: Et hinc eſt quòd in eryſipelatibus & inflãmationibus maximis iubet Galenus, vt ſaepiſſimè refrigerantia permutentur, alioquin magis ignirentur. Cur igitur Alexander Trallianus, vbi pleuriticorum victum inſtituit, ridiculum eſſe dicat, ſi aqua bilem augeri credatur: quomodove ipſe Hippocratis ſententiam interpretandam voluerit, dum Hippocratem ab aliquibus hac in re falsò accuſari ſcribit, ignoro ſanè: illud tamen aſſero, in ipſius Alexandri codice vulgato, poſt ea verba, μὴ εἰδότες πῶς εἴρηται, haec fermè reſtituenda: χολώδης γὰρ φύσει χολώδει, καὶ ὑποχονδρίῳ κακόν. Quod porrò in lib. de Nat. hum. notatum habetur, οἱ πλεῖστοι τῶν πυρετῶν γίνονται ἀπὸ τῆς χολῆς, idem eſſe puto, atque illud quod Anaxagorae adſcripſit Ariſtoteles 4. de Partib. animal. cap. 2. nimirum bilem, ſiue bilis receptaculum acutorum morborum cauſſam

exiſtere, quam ſententiam etſi damnaſſe videatur, attamen ſi quis morbos acutos ab humoribus feruidiſſimis, ſubtiliſſimis, ac mobi-libus gigni conſideret, quales biliosi omnes ſunt, animaduertatque hanc vel extra proprium folliculum per venas illabentem, vel alij quo pacto exuberantem, corpora magnopere vexare, inueniet pro-fectò rationi minimè repugnare, falſaque & ſimplicis ingenij argu-menta eſſe illa, quibus Anaxagorae placitum deſtruere conatur. Quomodò enim id neget Ariſtoteles, qui eodem in loco veteres, fellis abſentiae diuturnitatis vitae in animalibus cauſſam tribuêres, commendarit: ſimilique ratione iecoris bonam vel malam prae bi-le conſtitutionem, longitudinis aut breuitatis vitae animalium, at-que etiam hominis cauſſam eſſe confirmauit? Ad bilis autem pro-uentum compeſcendũ mirificè conferre abſinthium ponticum tra-ditur, quo quae pecora in Ponto frequenter paſcuntur, ipſa carere, auctor eſt Theophraſtus in 9. de Hiſtor. plant. & Apollonius in Ad-mir. hiſt. Fella alioquin amariſſima, à Graecis γλυκία ſiue dulcia contrariae interpretationis vocabulo nominata annotauit Caelius Aurelianus Diuturnorum morbor. lib. 3. cap. 1. Quod item Plinius obſeruauit cap 10. lib. 27. vbi herbam quandam duritiei penitùs expertem Holoſteon à Graecis vocatam, ſicut fel dulce, memorat. Huic autem diſſimile nõ eſt quod Galenus ſcribit 3. de Fract. com. aphoriſ. 5. vbi εὐήθης, γλυκεῖα, & καλεῖα voces interdum de rebus propè contrarijs proferri monſtrat, ea ſeruata figura, quam Graeci εὐφημίαν appellant, quaque vtuntur, dum rem turpem, non proprio nomine, ſed pulchro deſignãt: id quod ignorans Latinus interpres, ea verba, εὐφημίας ἕνεκεν, ſecus tranſtulit, quàm debebat. ſic etiam Ammianus Marcellinus loquens de quibuſdã circa montem Tau-rum populis lib. 22. Indidere, ait, mari nomen inhoſpitali, & à con-trario per cauillationem pontus Euxinus appellatur, vt euethem graece dicimus ſtultũ, & noctem euphronem. & furias Eumenidas. Poſtquàm autem Ammiani incidit mẽtio corruptiſſimum, & à ne-mine tentatum illius locum egregie (ni fallor) emẽdatum hic pro-ponere placet, Etenim lib. 29. mentionem faciens Valeriani imma-nitatis, qui duas vrſas hominum ſaeuas ambeſtrices alebat Micam auream, & Innocentiam appellans, addit eum enixe curaſſe, vt earũ caueas prope cubiculum ſuum locaret, cuſtodesque adderet fidos viſuros ſollicite, ne quo ea ſuperarum debetur luctificus calor; quae poſtema verba Delio natatore egerent. Itaque ſic legendum cenſeo (Ne à quo eis Suprarum daretur luctificus calor) Supras enim fuiſ-ſe malos homines lib. 30. non longe à principio docet idem Mar-

cellinus

cellinus, quos offerre canibus offas lethiferas nemo ignorat, quas author ſuae lingua vocat lethiferum calorem vt iure, ne vrſae ab hiſce lacerarentur, cuſtodes appoſuerit Valerianus.

De aere Romano, & morbis eius. De Athenienſi, Lucretij locus. De Moris, Serico, aliqua notatu digna. CAP. XXIIII.

Romanum aerem craſſum atque humidum admodum antiquitùs etiam fuiſſe, morbi, qui olim in ea vrbe frequenter vagabantur, ſatis teſtari poſſunt. Aſclepiades apud Caelium Aurelianum lib. 2. Acut. cap. 10. refert, febres vnà cum mentis & corporis oppreſſione, nec non lethargicas Romae frequenter contingere ſolitas. Memorat Silimachus apud eundem lib. 1. Chroni. cap. 3. Hippocratis ſectator, contagione quadam plurimos ex incubone veluti lue apud vrbem Romam confectos. Auctor eſt Galenus 1. de Morbis vulgar. com. 2. tex. 25. & lib. de Temp. morb. cap. 8. ſemitertianas febres prauas Romae familiariſſimas atque frequentiſſimas extitiſse. Hemitritaeum, vt lib. 1. cap. 24. Sereni, apud Latinos non habuiſse nomen videtur, cùm ſcribat.

Mortiferum magis eſt quod Graecis Hemitritaeon
Vulgatur verbis: hoc noſtra dicere lingua
Non potuere vlli puto, nec voluere parentes.

Medici poſteriores Semitertianam vocarunt. De quo Hemitritaeo crebra fit mentio à Martiale: ſicuti lib. 2.

Vti Tongillus malè dicitur Hemitritaeo. item,
Declamas aeger, declamas Hemitritaeos. Et lib. 11.
Cui grauis & feruens Hemitritaeos erat.

Idem Galen. lib. de Tem. mor. ſcripſit, Romae & in alijs ſimiliter humidis locis phlegma à capite in ſtomachum decumbere, παμπόλλοις δὲ κατέρχεται ἐκ τῆς κεφαλῆς φλέγμα, καὶ μάλιστα ἐν Ῥώμῃ τε, καὶ τοῖς ὑγροῖς οὕτω χωρίοις. In 5. Methodi non rarò thoracis apoſtemata ibidē gigni tradidit. Aſclep. apud Caelium 2. Acut. cap. 22. Pleuriticos Athenis & Romae phlebotomatos peius habuiſse, in Helleſponto & Pario releuatos eſse ſcribit. Vt his omnibus iure merito ſcripſerit Plutar. in probl. Rom. Templum Aeſculapij iccirco extra vrbem aedificatum fuiſse, quòd ibi maior ſalubritas, quàm in vrbe

haberetur. Quòd verò inter cetera Romanae vrbis loca Vaticanus ſitus peſtilentior & inſalubrior eſſet, Symmachus conſul in epiſtola quadam, & ante ipſum Cor. Tacit. memoriae prodiderunt, propterea Vaticana vina veluti omnium peſſima à Martiale, & alijs infamata fuiſſe, nulli ſit mirum. Addam huic, quae de peculiari Athenarum podagrico morbo ſcripſit Lucretius in 6.

Atthide tentantur greſſus, oculique in Achaeis
Finibus. —

Vti Nicephorus Calliſtus lib. 15. cap. 14. vrbem Conſtantinopolitanam continuè incolentes ſaepe vexari podagra ſcribit. Hegeſander certè ex Pythermo tradit apud Athenaeum illius temporibus per viginti annos fructum nullum moros protuliſſe, atque tantam podagrae contagionem omnes inuaſiſſe, vt non homines ſolum, ſed pueri, puellae, eunuchique, & mulieres eo morbo tentarentur, quae item caprarum greges ita grauis ſolicitauit, vt vix tertia earum pars libera extaret. An verò id euenerit, quia mororum fructus podagram arcere queant, in controuerſiam venire poteſt. Ego ſanè apud Hippocratem ac Galenum legi mora, quae ſatis maturuerint, ventrem ſubducere, ſtomachumque ſqualidum ac aeſtuoſum conſolari, praeſertim, ſi frigida, nec cum ceteris cibis, ſed paullò ante ſumantur, moxque per pauimentum deambuletur. Vnde Horatius poeta non immeritò cecinit.

—— *ille ſalubres*
Aeſtates peraget, qui nigris prandia moris
Finiet antè grauem quae legerit arbore ſolem.

Ea verò priuata vlla facultate podagricis auxiliari, quo minùs infeſtentur illi, apud neminem adhuc obſeruaui, fieri tamen potuiſſe crederem, vt mora frequenter Pythermi aetate ab omnibus ferè eſitata, ſtomachis recreatis, aluisque liquatis, eorum humorum prouentum interciperent, qui in articulos decumbentes podagram gignere conſueuerunt, eo magis quòd Gal. ſcribit, aluos adſtrictas habentes podagris eſſe obnoxios. Sed conſideranti mihi capras, quae mororum fructus non attingunt, ab ea lue non fuiſſe immunes, potiùs aeris inclementiam, quae moris inimica extitit, etiam pedum morbos produxiſſe exiſtimo; quando varijs aeris conſtitutionibus varias aegritudines peruagaſſe, non rarò à maioribus noſtris obſeruatum fuit: Cùm enim morus, vt docet Theophraſtus, iccirco ſit prudentiſſima vocata, quòd nouiſſima omnium germinet, ea ſi quando pruina laedatur, quemadmodum laedi proditum eſt Pſalmo 77. & apud Plinium lib. 16. cap. 26. iam caeli intemperiem maximam eſſe conſtat,

quam

quam etiam ad pedes deducere defluxiones non eſt à ratione alienum. Dixi mora ſtomachos aeſtuantes reficere, cùm Diphilus medicus apud Athenaeum, & Galenus poſt ipſum, eadem ſtomacho conferre ſcripſerint, quanquam Dioſcorides & ipſum ſecutus Auicenna mora non εὐςόμαχα (vt illi) ſed κακοςόμαχα fecerint. Quare autem de moris albis à nullo ferè antiquorum mētio facta habeatur (excepto Ouidio in fabula Pyrami & Tisbes, vbi eorum ſanguine mora alba rubrum colorem contraxiſſe canens, videtur potiùs vlla candida inueniri negaſſe) facilè eſt illis intelligere, qui ſciunt, id arboris genus ex inſitione ſuper albam populum facta emanaſſe, quae cùm in Europa, ac ſub Romani imperij ditione ſerò apparuerit, ſicuti complures aliae inſitiones, nō eſt mirum, ſi pauca de ipſis ab auctoribus memoriae tradita leguntur. Quam etiam cauſſam extitiſſe puto, quòd ſericum vſque ad Galeni tempora ratum eſſet, qui in 13. Methodi ſcribit id in vrbibus Romanorum magnis tantùm, atque ibi penes opulentas mulieres extitiſſe: Ea enim animalcula, quae ſericea fila nobis diuina quadam arte fabricant, quòd potiſſimum folijs mori albae nutriantur, eisque pinguefacta foecundiora euadant, omnes ſciunt: vt hac vna ratione conijcere valeamus, quo tempore huiuſcemodi arbores copioſae non erant, eodem nullum, aut ſaltem pauciſſimum illorum animalculorum, & proinde quoque ſerici fuiſſe prouentum. Auctor enim eſt in vita Iuſtiniani Zonaras eius imperatoris tēpeſtate ſericam telam à Romanis texi coeptam, quae priùs à Perſicis mercatoribus aduehebatur, & quomodo ex vermium filis fieret, ignorabatur. Nam duo monachi ex India Byzantium profecti, originem illius declararunt, & vt ex perexiguis ouis per fotum vermes illi educerētur, educti folijs mori alerentur, deinde ipſis natura magiſtra filum reddentibus ſericum texeretur, non ſine multis muneribus edocuerunt. ex quo loco conijcere licet, malè Alex. Neapolit. lib. genialium 4. cap. 9. ex Procopio conieciſſe Sericeas veſtes apud veteres Romanos non fuiſſe cognitas, quod tantum habeatur Iuſtiniani tempore primum in Italia ſericeas telas fieri caeptas, cùm etiam ante haberentur ſed aliunde comportatae non in Italia factae.

Cur Piſces medici antiqui facilè concederent aegris. Piſces tintinnabulo vendi ſolitum fuiſſe. Quis fuerit Hoedus ex Ambracia, apud Gellium: & nonnulla alia de Hoedo. CAP. XXV.

CVr medici antiqui adeò in aegris ferè quibuſuis curandis piſces concederent, minimè rationem puto, quòd ipſi ſuapte natura admodum conueniant: lib. 11.c.25. in initio poſt verbum (conueniant.) vel vt putarunt apud Plutarchum. 4. Sympoſ. 4. Zeno, & Crato, quòd leuiſſimum pulmentarium ſit. ſed quia pauci erant, qui in ſanitate non potiùs piſcibus, quàm carnibus vterētur, quemadmodum in Sympoſiacis docet Plutarchus: Vnde conſuetudine, quam maximè reſpiciendam iubet Hippocrates, impulſi id potiùs, quàm valida aliqua ratione factitarunt. Iccircò neque hodie in aegritudinibus facilè debent piſces medici concedere, alioquin corruptioni obnoxios, niſi quis huiuſmodi cibo frequenter veſci ſit ſolitus: quemadmodum de Venetis ſcripſit Martialis:

In Venetis ſint lauta licet conuiuia terris,
Principium caenae gobius eſſe ſolet.

Piſces tintinnabuli ſonitu vendi ſolitum, non tantùm apud Ariſtophanem & Demoſthenem: ſed etiam apud Plutarchum auctorem grauiſſimū obſeruaui, qui in quarto Sympoſiac. problem. quarto, hunc ſermonem à nobis Latinae linguae donatum habet. *Ad haec opſophagos, ſiue obſoniorum amatores minimè eos, qui bubulis carnibus delectantur, eſſe dicimus, qualis fuit Hercules: neque ficuum amatorem, vt Plato, quem virides ficus vnà cum carnibus ediſſe (ſic enim reſtituo Plutarchi locum) notatum eſt: neque vuarum cupidum, ſicut fuit Arceſilaus: ſed eos, qui quotidie tabernas, vbi veneunt piſces, circumambulant, exquiſiteve tintinnabulum audiunt.* Quo ex loco tintinnabulum à piſcium venditoribus vſurpatum, vt emptores à longè inuitarentur, etiam co ligo: quin & illos, qui magnis vocibus valerent, ijs ſaepè pro tintinnabulis vſos credo. Vnde Iuuenalis 3. Satyra.

Iam princeps equitum, magna qui voce ſolebat
Vendere municipes fracta de merce ſiluros.

Apud eundem Plutarchum obſeruatum eſt, caupones conſueuiſſe

carnes

carnes atque piſces non ab ipſis emptos, ſed ab alijs ſibi traditos, inſtar coquorum, apparare. Scribit enim quendam, cùm piſces cauponi, vt coqueret, tradidiſset, isque piper & alia quendam pro condendis illis popoſciſſet, reſpondiſſe, Si haec mihi eſſent, profectò piſces non emiſſem. Multa ad haec apud Clementem Alex. ſecundo Paedag. cap. 1. & Gellium ex Varrone, ciborum genera referuntur; quae ex longinquis regionibus Romam adducta maximo in precio erant; inter cetera Hoedus ex Ambracia nominatur, quē nonnulli doctiſſimi viri piſcem κάπρον Athenaeo vocatum putarunt, hiſce Archeſtrati verſibus perſuaſi.

Αὐτὰρ ἐς Ἀμβρακίαν ἐλθὼν εὐδαίμονα χώραν:
Τὸν κάπρον γ' ἂν ἐσίδῃς, ὤνει, καὶ μὴ καταλείπε,
Κἂν ἰσόχρυσος ἔῃ, μή σοι νέμεσις καταπνεύσῃ
Δεινὴ ἀπ' ἀθανάτων: τὸ γάρ ἐστι νέκταρος ἄνθος,
Τοῦτο δὲ θέμις ἐστὶ φαγεῖν θνητοῖσιν ἅπασιν.

Ego verò non piſcem, ſed quadrupes animal extitiſſe potiùs exiſtimo, ea perſuaſione potiſſimùm adductus, quòd ſi pro hoedo piſcem intelligamus, ſequetur, veteres nulla Romam aliunde aduecta quadrupedia in pretio habuiſſe, quando à Gellio nullius alterius, ſed auium, piſcium, & pomorum tantum modò mentio fit, quòd tamen ex eo falſum probatur, quoniam Varro 2. de Re Ruſt. ſcribit, multos Romae capras ex Media inſula habuiſſe, quòd ibi maximos ac pulcherrimos hoedos fieri exiſtimaretur: à Clemente quoque Alexandrino 2. Paedag. cap. 1. & à Polluce hoedi melici omnibus alijs praeferuntur: vnde & in Varrone non ex Media, ſed ex Melica inſula legendum cenſuiſſem, niſi Columella cap. 2. lib. 8. auctor eſſet vulgares mutata littera Medicos Melicos dixiſſe. Iam vero hoedi Melici, tanquam celebris meminit & Clemens Alex. 2. Paedag. Hoedos etiam ex Tybure valde aeſtimatos videtur Iuuenalis monſtraſſe Satyra 11.

De Tyburtino veniet pinguiſſimus agro
Hoedulus, & toto grege mollior, inſcius herbae.

Sed quem guloſi omnium maximè quaerebant, erat hoedus lupi faucibus ereptus, dilaniatusque: de quo Horatius in Epodis, & Martialis lib. 10. vitae parſimoniam, ſimulque ſuauitatem ſignificantes, iſta loquuntur: ille quidem,

Vel agna feſtis caeſa terminalibus,
Vel hoedus ereptus lupo.

Paruus onyx vna ponetur coenula menſa
Hoedus inhumani raptus ab ore lupi.

Cur autem huiuſcemodi hoedorum caro ceteris iucunditate praecellere crederetur, aſſignat Plutarchus rationem 2. Sympoſiacorū, ſcribens belluam illam nimirum ſuo morſu carnem teneram, & proinde delicatiorem efficere, nam lupi ſpiritus vſque adeò feruidus, ac pene igneus eſt, vt etiā duriſsima oſſa in eius ſtomacho emolliantur, atque conficiantur: Quam item ob cauſsam à lupis cōmorſa celeriùs alijs putredinē contrahunt. Ceterùm de lanis, pellibusq. lupinos dentes expertis, an pediculos gignant, dubitatum fuit antiquitus, an potiùs caliditatis impreſsae vi aſperitatem quandam ac pruritum gignant. Certè lupi morſus in totum pecudis corpus, vſque ad pilos ac vngues vim quandam igneam mittere conſtat. Neque tantùm hoc verum eſt: immo quamplurimùm referre, an ea animalia, quorum pellibus vti volumus, ferro iugulata, an ſponte mortua ſint Homerus quoque intellexit, dicens, ἱμὰς βοὸς ἶφι κταμένοιο, id eſt, lorum bouis vi occiſi, Pellis namque eorum tenacior & fortiór eſt ánimalium, quae non morbo, aut ſenectute, ſed ferro iugulata obierint: Ex aduerſo quae animalium morſu intereunt, illis vngues nigreſcunt, pili defluunt, & coria flaccida effecta corrugantur, rumpunturve. Et quoniam ſuprà Ambraciae meminimus, hic adnotare placet apud Athenaeum cephalos omnium optimos ex Ambracia aduehi ſolitos. Apuleius in oratione pro ſe prima, etiam pectunculos in Ambracia optimos naſci ſolitos ſcribit, etſi mendoſe legatur, Vmbraciae finis, pro Ambraciae: eos namque Ennij verſus (ſi tamen eius ſunt) ex Archeſtrato apud Athenaeum tertio Dipnoſ. aliquo modo acceptos, vel ab Archeſtrato ex Ennio mutuatos, vnicuique cognoſcere licet: quos verſus, quoniam Turnebus reſtituere conatus eſt, nil de ijs amplius dicam. Sunt verò Archeſtrati carmina:

Τὰς μῦς Αἶνος ἔχει μεγάλυς, ὄστρεια δ᾽ Ἄϐυδος,
Τὰς ἄρκτους Πάριον, τοὺς δὲ κτένας ἡ Μιτυλήνη:
Πλείστους δ᾽ Ἀμβρακία παρέχει.

ſed & haec vitiata ſunt.

Finis libri primi.

HIER. MERCVRIALIS
VARIARVM IN MEDICINAE
Auctoribus, & alijs Lectionum.

Liber Secundus.

Loca Galeni, & Plinij emendata. Nonnulla de Mangonibus. CAP. I.

Galenus in primo de Articulis commentario, Aphor. 30. duo extenuatorum corporum genera in medium ponit; alterum, quod ſeu fame, ſeu obſidione, ſeu luctu, ſeu moerore, ſeu vehementi atque coutinenti ira, ſeu aliquo alio cibi faſtidio, alimenti parum ſumens, ſponte conſumitur; alterum quod arte tale efficitur. De ſecundo haec verba, vt ſunt in Baſilienſi codice, habet: *ὅτα δὲ ἰατρὸς ἑκὼν ἰσχνότερον ἐργάζηται τὶ, σῶμα μὲν ἀρημένοις τε τοῦτο πράττῃ, καὶ μετὰ τοῦτο τρίβει ὅτε χρή*, quae cùm aſteriſco, quaſi deprauata, notata eſſent, interpreti tamen ſic conuertere placuit: Sed vbi medicus de induſtria corpus aliquod extenuat, per ea quae excogitauit, moliri id contendit; deinceps frictione vtitur. Sed praeterquàm quòd verbis interpretatio minimè reſpondet, etiam opus Medici in extenuandis corporibus nequaquam appoſitè exprimit. Itaque locum hunc mendoſum eſſe, ſicque reſtitui debere puto: *ὅταν δὲ ἰατρὸς ἑκὼν ἰσχνότερον ἐργάζηται τι σῶμα, ἀραιωσμένον μετὰ τοῦτο πράττει, καὶ μετὰ τοῦτο τρίβει ὅτε χρή.* id eſt, Quando medicus ſponte aliquod corpus extenuare vult, hoc quidem dilatat, aperitve, deinceps tempore opportuno frictiones adhibet. Vocem enim, *ἀραιωσμένον*, vſitatam eſſe Hippocrati, & Galeno, vbi corpora caloris ope rarefacienda ac aperienda ſunt, in multis eorum commentarijs, & praeſertim in 2.6. libro Epidemior.

animaduertere licet. Mangones deinde & Gymnaſtas, dum corpora nimis craſſa extenuare intendebant, priùs neceſſe habuiſſe denſata corpora calefactionibus, vel alijs adiutorijs rarefacere, ac dilatare, vt poſtmodum ita praeparata, faciliùs frictionibus exiccarentur, nemini in Medicina verſato obſcurum eſt. Non omnes tamen intelligunt, qui praecipuè eſſent Mangones à Galeno pluribus in locis nominati. Nam veſtutiſſimis vſque temporibus, cùm nulla religio homines, perinde ac belluas ſeruitijs teneri atque permutari vetaret, inueniebantur, qui in nulla alia arte ſe exercebant, quàm in vendendis permutandiſque infantibus, pueris, viris, virginibus, mulieribus, eunuchis, omniſque tandem generis hominibus. Sed inter hos aliquod diſcrimen obſeruaui, quoniam qui pueros, puellas, & mulieres in libidinis ſeruitium venditabant, antiquo Romanorum vocabulo Lenones vocabantur; qui verò infantes in caniſtris, ſeruos, eunuchos, alioſque homines alterius operis gratia venales habebant, ἀνδραποδοκάπηλοι, & interdum ἀνδρεοκάπηλοι, à Galeno, à latinis Mangones vocati inueniuntur. Hi autem quò vendibilior merx foret, corporum pulchritudini totis viribus ſtudebant. Vnde legitur apud Galenum, eos conſueuiſſe facies puerorum ſucco ptiſſanae, farina fabacea, nonnunquam nitro, quae detergerent, & lucidiores redderent, abluere; nonnunquam emaciatorum nates virgis percutere, atque picare, quò habitiora, & craſſiora corpora euaderent: aliquando puellarum coſtas arctiſſimis faſcijs conſtringere, vt pectoris amplitudo, ſimulque coxarum altitudo, latitudòve (qui ſolet eſſe mulierum decor) augerentur: quandoque varijs modis pilos è genis: alijſque partibus vellere, quò iuniores & venuſtiores, qui erant vendendi, apparerent. Scriptum eſt à Vitruuio ſecundo libro cap. 8. corpora muliebria, dum grauida eſſent, à venditoribus nunquam praeſtari ſana in more poſitum fuiſſe; quòd à conceptu vſque ad partum integra valetudine non vterentur, quam ſententiam non modò Hippocrates vt veram ſaepius protulit, verùm etiam Ariſtoteles, qui quarto de Generatione animalium cap. ſexto ſcribit, bruta plurimam temporis partem corpore valere, dum vterum gerunt: mulieres magna ex parte aegras degere, nempe quae vitam ocioſam & ſellulariam agentes, plus recrementi ſibi contraherent. Inuenio quoque apud Plinium, ob alopeciae turpitudinem ſeruorum precia fuiſſe diminuta; & iccirco ad eam corrigendam innumera propè remedia excogitata eſſe. Et quoniam mentio eius mentiri Plinij incidit, cuius libri de re Medica circumferuntur; ex eo monſtrabo, quomodo Plinij maioris, ex cuius De

natura opere toti ferè minoris Plinij libri conflati ſunt, locum meliorem reddere poſſimus. Libro tertiodecimo, capite vigeſimoſecundo legitur, Neronem Caeſarem, dum nocturnis graſſationibus conuerberatam faciem gereret, thapſia, thure, & cera eam ſibi illiniſſe, & ſecuto die contra famam cutem ſinceram oſtentaſſe. Sed in alterius citati Plinij libro de Re Med. 3. cap. 47. loco cerae, ceruſſa habetur: eam cùm ad ſugillationes verberationeſque miram operam quotidie praeſtare, ceram verò nihil planè adiumenti afferre experiamur, fit vt à principio librarios aliquos loco ceruſſae in Pliniano codice, ceram exſcripſiſſe, ſicque errorem paullatim in ceteris ſubinde irrepſiſſe arbitremur. quanquam non negamus, poſſe quoque ceram in eiuſmodi medicamentis locum habere ad ceratum formandum, & alia duo continenda.

Morem Thuſcorum vrendi pueros, fuiſſe antiquum. Herodoti locus notatus, & quaedam de Scythis ex Hippocrate. C A P. I I.

IN Thuſcia, ac nõnullis alijs Italiae regionibus, vetus conſuetudo eſt, vt pueros adhuc lactentes, vel paullo maiores, in occipite ferris ignitis vrant, ſperantes eo auxilio ipſos à pituitae malis, & praeſertim à puerili morbo, tutos futuros. Hunc morẽ antiquiſſimis vſque tẽporibus apud Libyae populos fuiſſe teſtatur Herodotus in quarto, vbi haec legũtur: τῶν παιδίων τῶν σφετέρων, ἐπὴν τετραέτεα γένηται, οἰσύπῃ προβάτων καίουσι τὰς ἐν τῇσι κορυφῇσι φλέβας, μετεξέτεροι δὲ αὐτέων τὰς ἐν τοῖσι κροτάφοισι, τοῦ δὲ εἵνεκα ὡς μὴ σφέας ἐς τὸν πάντα χρόνον καταῤῥέον φλέγμα ἐκ τῆς κεφαλῆς δηλῆται. καὶ διὰ τοῦτο σφέας λέγουσι εἶναι ὑγιηροτάτους. εἰσὶ γὰρ ὡς ἀληθέως οἱ Λίβυες ἀνθρώπων πάντων ὑγιηρότατοι, τῶν ἡμεῖς ἴδομεν, εἰ μὲν διὰ τοῦτο, οὐκ ἔχω ἀτρεκέως εἶπαι, ὑγιηρότατοι δ' ὦν εἰσίν. ἢν δὲ καίουσι τὰ παιδία σπασμὸς ἐπιγένηται, ἐξεύρηταί σφιν ἄκος. τράγου γὰρ οὖρον σπείσαντες ῥύονται σφέας. id eſt, Puerorum ſuorum, cùm annum quartum attigerint; oeſypo ouillo venas verticis adurunt; alij verò ipſorum temporales venas. Quod ideo agunt, ne vllo tempore à capite deſcendens pituita offendat: & propter hoc ſeipſos ſaniſſimos praedicant. Et certe Libyci omnium hominum, quos viderimus, ſaniſſimi exiſtunt, an propter hanc cauſſam, affirmare non audeo, ſunt tamen ſaniſſimi.

niſſimi. Sed ſi inter vrendum ſuperueniat conuulſio, inuentum eſt ipſis remedium: hirci nempe vrina aſpergentes eos liberant. Quo in loco (vt Erotianus auctor eſt accepiſſe Hippocratem) pro oeſypo ſtercus interpretandum puto, quòd ſanè vrendi aliqua vi pollet. Sed an ſufficere ſimili operationi illud potuerit, anceps ſum. At ſcio, Theophraſtum in libro de Igne, ὄισον, ſiue viticem, apud medicos in vſu fuiſſe ad vrendum, hiſce verbis, à Turnebo reſtitutis, teſtatum: διὸ καὶ οἱ ἰατροὶ τοὺς ἥλους καίουσι τῷ οἴσῳ. Niſi potiùs oeſypo feruente id factitaſſe exiſtimemus: nam oleum etiam feruens vrere nemo ignorat. Hipp. quoque ſaepe lino crudo vrendum mandat: quod niſi quis interpretetur de ignito, difficile comprehenditur, vt id agere queat. Non abſimile multum illud erat, quod factitaſſe Scythas memoriae prodidit Hippocrates, in libro de Aere, aquis, & locis: qui cùm ob frequentes equitationes coxis atque cruribus valde offenderentur, inciſione venarum poſt aures ſibi ipſis auxiliabantur, tanquam eo remedio capiti adhibito, pituitae fluxum ad inferiora cohiberent; quo ſani quidem ſed infoecundi ſemper manebant. Haec omnia praeſidia interdum magnopere ex vſu eſſe, antiqui medici cognouerunt, quando & ipſi ad compeſcendos humores à capite in partes inferiores delabentes modò ſynciput, modò verticem, modò occiput, interdum omnia haec, vel cauſticis medicamentis vrenda conſuluerunt: quanquam in hoc vulgares ſaepenumero errare conſpiciuntur, qui contra Galeni praeceptum non raró ceruici & alijs partibus cucurbitulas ignitas admouent, priuſquam vniuerſum corpus exinanierint.

Sententia Galeni ex Herodoto comprobata. De Syrmea. De partitione anni, ſecundum Hippocratem. Error ſacerdotum Ammonis.

CAPVT. III.

TAΣ μεταβολὰς τῶν ὡρέων μάλιστα τίκτειν νόσους, Mutationes temporũ morbos potiſſimùm parere, dum ſcripſit Hippocrates, fuerunt, qui putarent, eum ſucceſſiones temporum, nempe Autumni, Hiemis, Veris, & Aeſtatis, intellexiſſe, quos Galenus etſi grauiſſimis rationibus refellat, deque peculiaribus temporis conſtitutionibus ipſum locutum eſſe monſtret, placet tamen eius ſententiam Herodoti

rodoti teſtimonio confirmare; qui cùm eadem aetate vixerit, ſimilique dialecto, qua Hippocrates vſus ſit, haud ab re fuerit illius teſtimonio, ad augendam Galeni fidem, in eadem prorſus re vti. Itaque in Euterpe de Aegyptiorum moribus ſermonem habens, haec ſcribit, *τρόπῳ δὲ ζωῆς τοιῷδε διαχρέονται. συρμαΐζουσι τρεῖς ἡμέρας ἐπεξῆς μηνὸς ἑκάστου, ἐμέτοισι θηρώμενοι τὴν ὑγιείην, καὶ κλύσμασι. νομίζοντες ἀπὸ τῶν τρεφόντων σιτίων πάσας τὰς νόσους τοῖσι ἀνθρώποισι γίνεσθαι. εἰσὶ μὲν γὰρ καὶ ἄλλως Αἰγύπτιοι μετὰ Λίβυας ὑγιέστατοι πάντων ἀνθρώπων, τῶν ὡρέων (ἐμοὶ δοκεῖ) εἵνεκεν, ὅτι οὐ μεταλλάσσουσιν αἱ ὧραι. ἐν γάρ τῇσι μεταβολῇσι τοῖσιν ἀνθρώποισιν αἱ νοῦσοι μάλιστα γίνονται τῶν τε ἄλλων εἵνεκα πάντων, καὶ δὴ καὶ τῶν ὡρέων μάλιστα.* Quae verba quoniam non exactè in Latino codice vulgato exprimuntur, hìc à nobis, vt debent, conuerſa ſubnectam. Hoc autem vitae genere vtuntur. Singulis menſibus per tres dies continuos potione corpus purgant, clyſteribuſque ac vomitibus ſanitatem conſeruant, putantes nimirum quoſcunque morbos à nutrientibus cibis hominibus euenire. Nam Aegyptij alioquin ſunt omnium, poſt Libyas, virorum ſaniſſimi, ob temporum (vt ego puto) conſtitutiones, quae ibi non variantur. Nam in mutationibus quarumcumque rerum, & praeſertim temporis conſtitutionum, homines à morbis maximè tentari conſtat. Quid autem antiquis ſcriptoribus *συρμαΐζειν* ſignificaret, videre eſt Apud Erotianum, & Galenum in Antiq. ver. expoſit. quorum ille purgationem factam ex raphanide cum muria, *συρμαϊσμὸν*, hic verò moderatè factam ventris purgationem, *συρμαΐαν* vocatam tradunt: praeter quos Diocles in epiſt. ad Antigonum regem, vomitus ieiunio ſtomacho factos à nonnullis, *συρμαϊσμοὺς* vocatos memorat. *συρμαΐαν* tamen ſignificare ſcimus quoque potum ex aqua & hordeo, necnon opſonium, vt Apud Diodorum Siculum: & apud nautas, Facere ſyrmaiam, eſt comparare opſonia. *μελανοσυρμαῖος λεώς* apud Ariſtophanem in Theſmoph. teſte Suida, Aegyptij ſunt: nam auctor eſt Plinius, Aegyptios hoc genere potus vſos. His adijcere placet, quae à Galeno de anni ſecundùm Hippocratem partitione ſcriptis tradita ſunt in principio Epidem. commentariorum. Quod ideò lubens ago, quoniam futurum ſpero, vt quampluribus Heſiodi ac Homeri locis ex Galeni verbis quandoque maior lux afferatur: quos cùm Hippocratem quadringentis annis praeceſſiſſe ex Herodoto ſciamus, ab illis veluti auctoribus maximis multa ipſum mutuaſſe, quamuis eos nunquam citet, vero ſimile videtur. Galeni oratio haec eſt, *θαυμάζειν δ' οἶμαι δεῖ, καὶ ζητεῖν τὴν αἰτίαν,*

τοῦ

τοῦ παραλιλεῖφθαι κατὰ τὸν λόγον ἐπιτολὴν ἀστέρος τοῦ ἐπισημοτάτου γινομένην ἐν θέρει τοῦ καλουμένου σειρίου, ὀνομάζουσι δ' αὐτὸν ἔνιοι καὶ κύνα, καταχρώμενοι τῇ τοῦ παντὸς ἄστρου προσηγορίᾳ: κύων μὲν γὰρ τὸ σύμπαν ἄστρον, ὁ δ' ἐπὶ τῆς γένυος αὐτοῦ σειρίας, ὃν ὀρθῶς ἄν τις ὀνομάζοι τὸν πρόκυνα, οὐ τὸν κύνα, καὶ ἀρχή γε τῆς καλουμένης ὀπώρας ἡ ἐπιτολὴ τούτου τοῦ ἀστέρος ἐστί, καὶ ὅσοι τὸν ἐνιαυτὸν εἰς ζ. τέμνουσιν ὥρας, ἄχρι μὲν ἐπιτολῆς τοῦ κυνὸς ἐκτείνουσι τὸ θέρος, ἐντεῦθεν δὲ μέχρις ἀρκτούρου τὴν ὀπώραν. οἱ δ' αὐτοὶ καὶ τὸν χειμῶνα τριχῆ τέμνουσι, μέσον μὲν αὐτοῦ ποιοῦντες τὸν περὶ τὰς τροπὰς χρόνον, τοὺς δὲ ἑκατέρωθεν, σπορητὸν μὲν τὸν πρόσθεν, φυταλέαν δὲ τὸν ἕτερον; αὐτοὶ γὰρ οὕτως ὀνομάζουσι. καὶ μὲν δὴ κἀν τῷ περὶ ἑβδομάδων Ἱπποκράτους ἐπιγεγραμμένῳ βιβλίῳ, διηρημένοι ἐστὶν αἱρεῖν τὸν ἐνιαυτὸν εἰς ἑπτά: τοῦ μὲν φθινοπώρου, καὶ τοῦ ἦρος ἀτμήτων πεφυλαγμένων τετμημένων δὲ τοῦ μὲν χειμῶνος εἰς τρία μέρη, τοῦ δὲ θέρους εἰς δύο. Ex quo colligere licet, Hippocratem, atque alios quoſdam totum annum in ſeptem partes diuiſiſſe, Ver, Aeſtatem, Oporam, Autumnum, Sementarium, Hiemem, & Plantarium. Ver inchoabat ab Aequinoctio, vſque ad Pleiadum exortum: ab hoc Aeſtas erat ad Canis ortum: à Cane Opora vſque ad Arcturi exortum durabat: Autumnus verò ab Arcturo vſque ad Pleiadum occaſum extendebatur: reliquum temporis tractum in tres partes partiebantur, quarum primam Autumno continuam Sementarium, quaſi ſeminibus iaciendis aptam; mediam, Hiemem, poſtremam & Veri adiacentem Plantarium, quaſi tunc plantae colerentur, vocarunt. Oporam, de qua Plutarchus etiã meminit 8. Sympoſ. probl. 10. maximè omnium calidam atque ſiccam, & proinde hominum virium conſumptricem fecerunt medici; & iccirco Galenus, qui in 4. de Acutorum victu com. ſcripſerat hiſce temporibus non eſſe e vena ſanguinem mittendum, licet aeger in vigenti aetate & morbus magnus ſit: in primo ad Glauconem libro narrauit, quotquot inter Canis ortum & Arcturum phlebotomati fuerunt, planè interijſſe. Non defuerunt tamen, qui probare conati ſint, hoc tempore (& inter eos fuit Theophraſtus primo de Cauſſis plantarum) corpora plantarum & hominum humeſcere, adducti his rationibus, quòd fructus plantarum tũc perficiantur, & homines febribus putridis, ventriſque ſolutionibus tententur. Quae certè nihilo magis id monſtrant, quàm ſudores, qui copioſiſſimi in aeſtate è corporibus feruntur. Sed alias refelli opportuniùs poterit tam grauis auctor; quem defendere aequiùs poſſumus, quando Autumnum calidum & humidum fecit. Quoniam ſi principium Autumni aeſtimemus, & forſan etiam medium, argumenta

gumēta maiora caliditatis & humiditatis, quàm frigiditatis & ſiccitatis ſeſe offerent. Quòd ſacerdotes Ammonis (vt eſt apud Plutarchum in lib. de Defectu oraculórum) annorū inaequalitatem probarent, ex eo, quòd lucerna eius templi inextinguibilis vnoquoq; anno olei minus conſumeret, infirmum ſanè argumentum erat: quoniam poterat multis rationibus tum ex parte olei, tum ex parte aeris id euenire: quanquàm etiam erat potiùs conſentaneum, ab eiuſmodi euentu annorum imminutionem, & mundi corruptionem, quàm inaequalitatem colligere.

Theophraſti loca ex Athenaeo, & Plutarcho correcta de Sida, de Leguminibus, de Pediculis. Theophraſti & Galeni contradictio de Scorpionibus. CAPVT. IIII.

QVarto lib. de Hiſt. plant. cap. 11, Theophraſtus narrans, in Orchomenio lacu multas arbores naſci, veluti oleagnum, ſidam, & ſimilia, de ſida in hunc modum loquitur: ἡ δὲ σίδη τὴν μὲν μορφὴν ἔχει ὁμοία τῇ μήκωνι. καὶ γὰρ τὸ ἄνω κυτινῶδες τοιοῦτον ἔχει. quae verba transferens Gaza, vt ſimilitudinem papaueris ſeruaret, vocem illam κυτινῶδες omiſit, ſicq; errorem errori addidit. Quis autem non videat, ſidam arborem cum papauere nullam ſimilitudinem habere poſſe? Itaque textum Theophraſti corruptum eſſe faciliter quiuis intelliget: eo magis, quòd Athenaeus 14. lib. Dipnoſ. citans hunc Theophraſti locum, ſidam ex ipſius ſententia non papaueri, ſed Punicae malo ſimilem facit: vt rationi magnoperè conſentiat, ita fuiſſe appellatam ob ſimilitudinem Punicae, quam veteres ſidam nominaſſe, praeter Athenaeum, Plutarchus quoque 5. Sympoſ. probl. 8. teſtatus eſt: vbi Empedoclis verſum exponens,

οὕνεκεν ὀψίγονοί τε σίδαι, καὶ ὑπέρφλοια μῆλα,

epitheton illud Punicorum iccirco à philoſopho excogitatum ſcribit, quoniam illae, autumno deficiente, aeſtuq; iam extincto, fructum perficiunt; ſiquidem aeſtiuo tempore debilem ipſarum, ac minimè viſcidam humiditatem haud quaquam concreſcere ſinit, niſi aer frigidior euaſerit: propter quod Theophraſtus 2. lib. de Cauſis plant. cap. 9. ſcribit, hanc ſolam arborem in vmbra melius, atq; citius

tius fructum concoquere. Subiungã his, à Ruellio male Dioſcoridis ea verba de arido Punico; ἄστομος, καὶ στυπτικὴ, interpretari, Ora, gingiuasq; laedunt: nempe quae à Marcello Serapionem imitante melius ſic vertantur, Eademq; ori ingrata, adſtringunt. Quis ignorat, quaeſo, acida Punica multum abeſſe, vt laedant; cùm gingiuas laxas, & ora inflammata mirifice confirment, & iuuent, quae tamen ori auſteritate ſua & acciditate diſplicent? Eſt & alter Theophraſti locus quarto de Cauſis plantarum, cap. 14. qui in Graeco codice corruptus, nec à Gaza cognitus eſt. De fabis namque Philipporum ſermonem habens ita inquit: ἐὰν δ᾽ ἐν ἀχύροις ἀπηθαλομένοις ἐν τῇ ἅλῳ καὶ καθαροῖς οὖσιν, οὐ μεταβάλλουσιν. Sed Plutarchus 7. Sympo. problem. 2. vbi multa ad verbum ex Theophraſto adducit, pro ἀπηθαλωμένοις, ἀποκειμένοις legit, quemadmodum verè legendum puto; non tantùm enim fabas in area cùm paleis ſuis ſepoſitas, verùm etiam triticum, omniaq; fere legumina conſeruari inoffenſa, in iiſdem libris palàm monſtrauit Theoprastus. Vnde quid torrefactae paleę (vt conuertit Gaza) ibi aptè deſignare valeant, non ſatis intelligo. Addam his, Theophraſtum 2. de Cauſſis plantarum cap. 22. voluiſſe ex ſanguine corrupto pediculos gigni, quos ipſius praeceptor Ariſtoteles ex carne corrupta naſci, quinto de Hiſtor. animal. cap. 32. maluit, ſed neutrum feſelliſſe, omnibus illis putare licet, qui vtroque modo animalcula illa produci, & carnem ipſiſſimum ſanguinem eſſe cogitarint. Illud non praetereundum, ſcriptum eſſe ab Apollonio in Hiſtor. mirab. Ariſtotelem voluiſſe pediculos in morituris capita deſerere, atque in puluinaribus inueniri. Cuius euentus eam Alexander in 2. probl. lib. 30. aſſignauit cauſſam, quòd pediculi nutrimento atque tepore ex ſanguine opus habeant: quorum vtroque in morientibus deficiente, eos deſerunt, meliorem locum ſibi ipſis quaerentes.

De varijs antiquorum edulijs. Ariſtotelis locus examinatus de Carne Camelina. De Sumine. De Turtae nomine. CAP. V.

Catulorum lactentium carnes pro cibo veteribus aliquando fuiſſe, praeter Plinij teſtimonium (haec lib. 29. capit. 4. ſcribentis, Catulos lactentes adeò puros exiſtimabant ad cibum, vt etiam placandis numinibus hoſtiarum vice vterentur) Hippocrates quoque grauiſſimus auctor pluribus in locis monſtrauit, vbi eas in varijs

 aegritu-

aegritudinibus ab ipſo non parum commendari clarum eſt: quemadmodum etiam Oribaſius in primo Collect. ex ſententia Mneſithei Athenienſis laudauit. Sed & Sex. Empiricus lib. iij. hypot. Pyrrhonic. memoriae mandauit, ſuis in regionibus nepharium fuiſſe veſci carnibus caninis, at eas edere conſueuiſſe Thracas, & fortaſſe Graecos, quando Diocles quibuſdam aegrotis dari praecepit. At Camelinae quomodo in vſu eſſe potuerint, vehementer dubito, Galeno praeſertim in lib. 1. de Alimentis ita dicente: ἐν Ἀλεξανδρείᾳ δὲ τῶν ὄνων χρέα ἐσθίουσι, εἰσὶ δὲ οἳ καὶ τὰ τῶν καμήλων quaſi innuat, rem extra hominum mores fuiſſe, vt quis camelorum carnibus veſceretur, nempe quas in 3. lib. vt malas valde damnat. Vnde quae Ariſtoteles 6. de Hiſt. animalium ſcripta reliquit, carnes ſcilicet & lac camelarum, vſquequo conceperint, omnium ſuauiſſima eſſe, mihi ſemper ſuſpecta fuerunt, credidique τὰ χρέα ab aliquo ex marginibus interſerta: quando Plinius lib. 28. ſolum lac & non carnes camelarum, ab hominum lacte dulciſſimum facit. Quòd ſi vulgatis philoſophi codicibus fidem placeat adhibere, neceſſe eſt fateamur, illa ex aliorum relationibus ipſum dixiſſe; ex quibus maiorem librorum de Animalibus partem conflatam putant eruditi omnes. Id quoque à me ſaepius notatum eſt, Ranarum carnes in menſas recepiſſe maiores, à nemine fuiſſe proditum, eas tamen hac tempeſtate veluti delicatiſsimas deguſtant multae nationes, & praeſertim Itali, quos hac ratione à Graecis aliquando βατραχοφάγους vocari animaduerti. Quòd enim ranae ventrem Archeſtratus apud Athenaeum laudet, illud de rana piſce intelligendum eſt. Tempore Plutarchi Cerebra animalium manducari coeperunt, quae antiquos vti abominatos proieciſſe affirmat 8. Symp. probl. 9. quo in loco Vuluas quoq; quas Horatius, & Plinius mirum in modum praedicauerunt, pro iucundiſſimo edulio tunc habitas ſcribit: at eas qui noſtra tempeſtate in ſuas menſas recipiant, nulli, aut ſanè pauci inueniuntur. Sicuti nullus ferè eſt, cuius palato Grues hodie admodum arrideant, cùm, & Galenus fibroſam ac duram carnem habere dicat, quas tamen tanti fecerunt interdum maiores, vt ex Melo inſula eas (quod refert Gellius ex Varrone) maximis impenſis Romam vehendas curarent; quin immò eis pinguibus reddendis in tenebroſo loco, ſicut & vitulis, magnum ſtudium adhibuiſſe oſtendit idem Plutarchus in Erotico, atque in 11. de Carnium eſu declamatione. vbi quem deſcribit ventrem porcae nuper foetae vnà cum mammis baculo percutiendi morem, vt ſanguis, lac, & caro ſimul mixta iucundiora gulae euaderent, is eſt, quo noſtra tempeſtate Su

matas

matas populari vocabulo appellatas faciunt, haud multum ab antiquo ſuminis nomine deflectentes. Quod etenim vetuſtiores Abdomen vocabant, vt ſcribit Plinius lib. xj. ca. 37. miror cur idem lib. 8. cap. 51. dixerit, Publium Mimorum poetam omnium primum appellaſſe Sumen, cùm ſaepius Suminis vox apud Plautum legatur, Plautoq; multo poſterior fuerit Publius Mimographus: niſi fortè Plinium ita loquentem faciamus, quaſi Publius coenam ſuam appellaret Sumen, ob eius frequentiſſimum vſum, non autem quòd ipſe primus huiuſce nominis inuentor fuerit. Quemadmodum vbi lib. xj. perhibet, antiquos non conſueuiſſe ſcientes occidere, priuſquàm abdomen calleret, id innuit, quod damnatum eſt à Plutarcho, videlicet ſuo tempore homines iam partui vicinas ſues occidere ſolitos, atque ventres percutere, quò mortuo foetu lac ſimul, & ſanguis in carne commixta edi poſſent: vt Turnebi correctionem non contemnendam omnium putem qui lib. 23. Aduer. cap. 20. loco, Id ſcientes, Inſcientes reſtituendum voluit: quamquam Hermolaum Barbarum & Geſnerum aliter ſentire non me lateat. Iam verò Sumen inter delicatiores cibos non infimum locum tenuiſſe, omnes Latini poetae atteſtantur: ſicut etiam hodie pleriſque in locis, & praeſertim Romae, pauci ſunt, qui magnopere huiuſmodi ſalſamēto non delectentur. Auctor eſt in Onomaſtico Erotianus, ἄρτον ἐγχρυφίαν, ab Atticis appellatum eſſe panem, ex pinguibus palmulis, farina, & aqua confectum, necnon in calido cinere coctum, quem etiam τύρταν vocatum dicit, quo in loco facile aſſentirem doctiſſimo, & de medicinae ſtudijs optimè merito Bartholomeo Euſtachio noſtrum Tortae populare nomen veteres Romanos habuiſſe, ſi quemquam alium eorum temporum ſcriptorem monſtraſſet, qui id nomen vſurpaſſet: vt veriſimile videatur, alios etiam, & praeſertim Plinium, Athenaeum, Pollucem, debuiſſe illius mentionem facere, ſi nomen ſimile habuiſſent. Quocirca fortaſſe vox ea apud Erotianum deprauata eſt, aut ab aliquo recentiore in margine haec clauſula notata, ὃν τύρταν χαλοῦσιν deinceps à librario ignaro alijs verbis antecedentibus adnexa fuit. Neq; me latet, ſacrae Bibliae interpretes, ἄρτον ἐγχρυφίαν, Tortam panis tranſtuliſſe. At horum poſteriorum auctoritas multum abeſt, vt Euſtachio faueat quicquam.

Qui ſint apud Platonem Ficus, & Vuae generoſae, ex Galeno. De Pane fabaceo, & Faba Aegyptia. Locus Mneſithei de Ficubus.

CAPVT. VI.

PLato 8. de Legib. fructuum τῆς ὀπώρας leges condens, vuarum & ficuum γενναίων mentionem facit: vbi mitiùs eos puniri iubet, qui huiuſmodi fructus praedantur, quàm qui alios. Proptereà quaeſitũ eſt apud Athenaeũ in 14. Quaenã à Platone generoſae vuae & ficus appellatae ſint. Maſurius reſpõdet, γενναῖα λέγει τὰ εὐγενῆ ὁ φιλόσοφος, ὡς καὶ Ἀρχίλοχος, πάρελθε· γενναῖος γὰρ εἶ. ἢ ἐπιγεγεννημένα. id eſt, Generoſos ficus dicit philoſophus vel nobiles, quemadmodum & Archilochus, Accede, es enim nobilis: vel poſt genitos. Sed qui ſint nobiliores ficus, ac vuae, quas multis alijs poſtponere videtur Plato, nondum ex his Maſurij verbis certè conſtat; attamen rationi conſentaneum videtur, ſic eſſe appellatos ficus, qui poſt primos & praecoces, ſiue in iiſdem, ſiue in diuerſis arboribus naſcuntur, ceteroſque plerumq; ſuauitate antecedunt. Quae verò dicerentur vuae generoſae, ſiue nobiles, omnium clariſſimè explicuit Gal. 2. de Alim. fac. vbi ſic ait: ὀνομάζουσι δὲ εὐγενεῖς τὰς τοιαύτας σταφυλὰς, ἐν αἷς αἱ ῥᾶγες ὀλίγην μὲν ἔχουσι τὴν ὑγρὰν οὐσίαν, οὐκ ὀλίγην δὲ τὴν στερεωτέραν, ἣν ὥσπερ σάρκα τῆς ῥαγὸς εἶπον: καὶ χρῶνταί γε κατὰ τὸν τῆς ὀπώρας καιρὸν, ἀποτιθέμενοι πολυειδῶς. id eſt, Vocant autem vuas eiuſmodi generoſas, in quibus acini humidam quidem ſubſtantiam habent exiguam, ſolidiorem autem non paucam, quàmve carnem acini eſſe diximus, atque ijs vtuntur, eas varijs modis in fine aeſtatis reponentes, quo in loco interpres, qui pro κατὰ τὸν τῆς ὀπώρας καιρὸν, Autumnum vertit, ignoraſſe videtur, quae propriè fuerit apud veteres Opora, cuius Plato meminit, & quam nos aliàs ex Hippocrate monſtrauimus eſſe dies illos, qui inter Canis ortum & Arcturum numerantur. Itaque ficus vocauit Plato generoſos, qui nobiles, & poſt alios orti ſunt. at vuas generoſas appellauit nobiles quidem, ſed quae parum humidae ſubſtantiae, durioris pluſculum habent, quaeve edendo ſunt, neque vinis faciendis idoneae habentur, ſed vt ceteri fructus autumnales, longo tempore conſeruari poſſunt; vt non iniquè egerit, ſi mitiùs in eos animaduertendum ſtatuerit, qui vuas, faciendis vi-

nis minùs idoneas, licet conſeruationi aptas, furarentur. De vuis generoſis loquitur Ouid. 2. de Remedio amoris:

Eſt tibi rure bono generoſae fertilis vuae
Vinea, ne naſcens vua ſit vſta time.

Iuraſſem, in Pandectis in cap. Qui fundum, vbi Paulus de ficubus & vuis, ex quibus non fit vinum, ſermonem habet loco vocis Graecae, quae deſiderabatur ibi, & pro quo Politianus, ac Budaeus ſubſtituerunt τρωγίμοις, potiùs γενναίοις eſſe ſubſtituendum: quaſi Paulus dicerent, vuas quas non vini cauſſa habemus: quas Graeci γενναίους appellant, niſi mox antiquus Pandectarum codex excuſus eam vocem ſubſtituendam comprobaſſet: vt Cornarius in commentarijs Medicis temerè conatus ſit voces alias ſibi fingere. Quod porrò de ficubus ſcribitur à Plutarcho, eſt ſanè cognitu dignum, qui in Cauſſis naturalibus tradit Mneſitheum medicum à Galeno in prooemio lib. ad Glauconem commendatum narraſſe, eos, qui in principio pulmonariae morbi cepas appetunt ſeruari, qui verò ficus, interire; eò quia appetitus temperaturas, temperaturae autem morbos conſequuntur. Galenus inter legumina & frumenta illud diſcrimen ponit, quòd ex his panes conficiantur, ex illis non. Fabam deinde cùm inter legumina recenſeat, manifeſto videtur indicaſſe, antiquos eo pane fabaceo minùs victitaſſe, quo hodie apud varios populos magnam ruſticorum partem veſci conſpicimus. Sed forſan id de Graecis dumtaxat eum intelligere dixerit aliquis; quandoquidem Plinius lib. 18. cap. 12. ſcribit, etiam ex fabis panē eſſe tentatum; vbi monſtrat quoque ſua tempeſtate pleraſque gentes frumento fabam miſcuiſſe in panis vſum, quemadmodum hodie fit. Quod porrò eſſet fabae Aegyptiae pondus, cuius frequentiſſima mentio à Galeno atque alijs Graecorum medicis habetur, docuit Soranus Epheſius 24. cap. ſuae Iſagoges; vbi eam continuiſſe ſcrupulos duos tradit. Quod ideò verſimile puto, quoniam ex Plinij loco nuper citato granum Aegyptiae fabae ceteris valde maius fuiſſe manifeſtò colligitur: vt his rationibus nullam fidem habeam libro de Pond. & menſ. Galeno falsò adſcripto, in quo legitur, fabam Aegyptiam pependiſſe obolum & ſemis.

De Pulmonis carne Galeni contradictio ex Aetio ſublata. De carne Leporina, Caprina, & Vulpina, Item de Tenera carne locus Galeni reſtitutus. CAP. VII.

PVlmonem iecore faciliorem eſſe coctu, minùs nutrire, magiſque pituitoſum ſuccum facere, ait Galenus 3. de Alim. fac. cap. 12. At idem lib. 6. de Vſu partium cap. 10. tradit pulmonē tenui, leui, ac vaporoſo ſanguine nutriri, iecur autem limoſo & craſſo. Vnde ſi tale eſt nutrimentum, qualis eſt ſubſtantia nutrientis, videtur ſubſtantia pulmonis, vt eſt tenuior iecore, ſic ſuccum tenuiorem, & non pituitoſiorem parere. Atqui Aetius lib. 2. cap. 127. hanc dubitationem tollit, dicens, pulmonis nutrimentum eſſe magis pituitoſum, διά τι ἐν αὐτῷ χονδρῶδες σῶμα τῆς τραχείας ἀρτηρίας, hoc eſt, ob cartilagineum aſperae arteriae pulmoni inexiſtentis corpus. Quae verba fortaſſe codici Galeni eſſent addenda, cùm Aetius omnia illa ad verbum ex Galeno ſumat, potiuſq; minuat, quàm addat. Mirantur porrò multi, cùr Martialis inter quadrupedes lepori primas dederit: qui ſanè mirari deſinent, modò cōſiderare velint, quae à Galeno de ſanguine leporino in 3. de Alim. facultatibus, ſcriptis tradita ſunt, eum nimirum tanquam omnium ſuauiſſimum in magno pretio habitum: carnem enim talem eſſe, qualis ſanguis, ex quo tota conſtat, non modò omnes medicinae auctores, verùm etiam ipſa ratio declarat. vnde ſāguine leporis ſuauiſſimo exiſtente, quomodo eius caro magnam ſuauitatem non contineat, viro erudito creditu difficilè erit: ſicuti rationi minimè cōſentaneum eſt, caprarum carnem (quod Homerū dixiſſe idem Gal. meminit) eſu iucundam eſſe quando earum ſanguinem bibitum conciliare pallorem exemplo Cruſi tribuni indicat Plinius lib. 28. cap. 9. Maiori fortaſſe admiratione dignum videatur, quod Galenus in 4. de Victu acut. commentario, & 3. de Alim. fac. ſcribit, autumno carnes vulpiū, quando vuis nutriuntur, palato gratiſſimas haberi; & iccirco venatores apud Graecos tūc ipſas eſitare conſueuiſſe. Hic admoneor, vt errorem quorundam detegam, qui carnes quomodolibet teneras recentibus ſemper praeferunt: haudquaquam cogitantes, teneritudinem eam veluti putredinem quandam, aut ſaltē ad putredinem praeparationem eſſe, quae cibum dentibus quidem faci-

liorem & gratiorem reddat, ſed qui poſtrà in venis deteriores ſuccos, & lōgo tēpore prauas affectiones progignere queat, vnde Hippocratem, aut Polybum laudare ſoleo, quòd dixerit in 2. de Diaeta. τὰ πρόσφατα πάντα ἰσχὺν πλείονα παρέχεται τῶν ἄλλων, διὰ τὸ δὴ, ὅτι ἔγγιον τοῦ ζῶντος ἐστι. τὰ ἕωλα καὶ σαπεὰ διαχωρέει μᾶλλον τῶν προσφάτων, διότι ἔγγιον τῆς σηπεδόνος ἐστι. id eſt, *Recentia omnia plus virium alijs praebent, eò quòd viuenti ſint proximiora. vieta verò & marcida recentibus excernuntur magis, quòd ad putredinem propiùs accedāt*. Nam recentes carnes plus roboris afferre corporibus, praeter Hippocratis rationem bruta quoque omnia carniuora demonſtrant, quae carnes recentiſſimas, immò calentes, & quaſi viuentes comedentia, omnium aliorum robuſtiſſima ſunt. Haud inficior tamen aliquàm hac in re eſſe rationem habendam tum hominum edentium, tum carnium edendarū. De hominibus dixit Hipp. in lib. περὶ τροφῆς, Σιτίον νέοισιν ἀκροσαπὲς, γέρουσι δὲ ἐς τέλος μεταβεβλημένον, ἀκμάζουσιν ἀμετάβλητον. quae verba cum à Galeno diuerſo modo citentur in lib. de Optima ſecta ad Thraſybulum, ſic videlicet: σῖτος νέοισι μὲν ἄκρως, ἀκμάζουσιν ἀμετάβλητος, γέρουσι δὲ ἐς τέλος μεταβεβλημένος: fit vt credam, in altero eorum contextuum errorem aliquem latere: potiuſque Hippocratis codici quam Galeni fidem adhibendam, immò eo modo Galeni textum reſtituendum, ſicut in Hippocrate legitur; vt haec ſit ſententia, Cibos iuuenum debere eſſe parū mutatos. (in Expoſ. enim vocum antiquar. lego, ἀκρεσαπὲς τὸ ἐπὶ βραχὺ, & non ἐπιπολῆς, μεταβεβλημένος) ſenū perfectè mutatos, aetate vigentium prorſus immutatos; quod idem eſt quoque ac ſi dicamus (vt Antonius Fracantianus praeceptor meus, & nemini ſuorū temporum in medicina facienda ac docenda ſecundus, luculentiſſimè explicuit) carnes, quas ſenes ſunt eſitaturi, debere teneras eſſe: quas aetate vigentes, recentiſſimas: quas vero adoleſcentes medias quodammodo inter has & illas. Pro vt namq; calor, qui concoquere debet, maior vel minor eſt, ſic etiam edulia paratiora, vel minùs parata concoctioni eſſe decet. alioquin, vt dicebat Gal. primo de Alimen. ſi facilia concoctu calidiſſimis ventriculis offerantur, ſtatim corrumpuntur; quemadmodum difficilia tepidioribus oblata, debitam concoctionem nunquam aſſequuntur. Non eſt tamen ignorandum, Rabi Moyſem 19. aphor. Galenum ex 4. com. in lib. de Alim. citare, vbi, cùm haec verba barbaro ſuo more ex Galeno deſcribat. *Singula animalia, ex quibus cibandi ſunt ſenes, & domini corporum defectorum, per diem & noctem ea dimitte, & poſt modum coquina carnes ipſorum, & fac ex eis cibaria benè cocta,*

& mini-

& miniſtra eis. Et iuuenibus & dominis corporum fortium, & operantibus fortia opera, coquina carnes recentes, coquens eas benè, vel aſſatas, vel elixatas. videtur Galenus Hippocratem de duabus ſolùm, & non de tribus aetatibus interpretatus, vt eſt in lib. de Opt. ſecta. De carnibus animalium edendis praecepit Oribaſius 4. Collect. ex ſententia Ruffi carnes omnium agreſtium ſtatim eſſe coquendas, & proinde recentes manducandas: cicurum verò ouillas & caprinas recentes, bubulas autem vetuſtas: ſimiliter ex auibus magnas, atque paluſtres; itèm gallinas, palumbos, perdices, pauones, atque attagenes non eſſe recentes coquendas: ſed turtures, columbas, & turdos: piſces verò omnes quāprimùm coquendos. Ex quo Oribaſij delectu poteſt ſubinde quilibet iudicare, nō eſſe ſemper nec à quibuſuis recentes, neque ſemper teneros quoſlibet edendos cibos.

Locus Hippocratis emendatus, Galeni alter defenſus de Opio. Plinij loci emendati: vnus Herodoti de medicis Aegyptiorum examinatus, & correctus. CAP. VIII.

IN libro Hippocratis de locis in homine; vbi de oculis ſermo habetur, haec leguntur: ἢν δ' ὀξέως φλεγμήνωσιν, μὴ ἔγχριε μηδὲν, ἀλλ' ἢ καῦσαι κατωτάτω ἰσχυροτάτω, ἢ ἄλλῳ τινὶ ἀπιχνῶσαι ὑπωχορητικῷ φαρμάκῳ, φυλασσόμενος μὴ ἔμετον ποιήσῃς. id eſt. Si ſtatim inflammationem contrahant, nihil illinias, ſed infimè fortiſſimo vras, aut alio quopiam aluum ſubducente medicamento attenues, cauens ne vomitum facias. Quoniā verò vſtio in inflammationibus, praeſertim in initio, periculoſa eſt: ea propter locum corruptum ſic reſtituendum (vt eſt in manuſcripto) puto: μὴ ἔγχριε μηδὲν, ἀλλ' ἢ καθαίρειν κάτω τῷ ἰσχυροτάτῳ, ἢ ἄλλῳ. Quòd enim inflammationibus oculorum purgationes per inferiora magnopere proſint, teſtatum fecerunt Hippocrates & Galenus eo in Aphor. τὸ ὀφθαλμιῶντα τῆς διαῤῥοίας ληφθῆναι ἀγαθόν. Galenus in lib. de Optima ſecta ad Thraſybulum, contra Methodicos diſputans, eiſq; indicationes conferentium non ſemper ab effectibus accipi demonſtrans, hæc ſcripta reliquit: ὀφθαλμῷ δὲ φλεγμαίνοντι δεῖ κατάλληλα, στομάχῳ δὲ καὶ ἥπατι ἄλλοτι. Quo in loco fuerunt, qui non ὄπιον, ſed μαράθρου ὀπὸν legendum maluerunt, ea

ratione ducti, quòd Galenus 3. Methodi aduerſus Empiricos dicat, medicamenta opiata magnam oculorum perniciem exiſtere: vt etiam ante ipſum Plinius lib. 20. cap. 18. ex Eraſiſtrati & Diagorae ſententia ſtatuerat. Sed ipſos falli, nec mutari debere contextum, ex eo faciliter probatur, quoniam nullum ferè ex tot relatis à Galeno in 3. de Comp. med. s. l. praeclariſſimorum medicorum ad oculos compoſitis medicamẽtis inuenies, in quod opium iuſto modo non ingrediatur. Id tamen veriſſimum puto, opium vehementer obeſſe, niſi rectè caſtigetur, & debita mẽſura adhibeatur; quemadmodum quoſdam ophthalmicos medicos egiſſe videtur, quos ibi damnat Galenus, quaſi nullo adhibito delectu, in omnibus paſſim, opiatis quibuſuis vterentur. Hanc ſententiam eo libentiùs amplector, quòd Raſarius acerrimi iudicij ac ſummae doctrinae vir, in ſua tranſlatione ita legendum cenſuerit. Legitur apud Pliniũ lib. 24. cap. 5. glandis fagineae cinerem calculis illiniri, quod quomodo fieri queat, & vt prodeſſe poſſit, non video: quando praeſertim Galenus fagum vehementius robore adſtringere ſcribit ſexto de Simplic. medicament. & fructus eiuſdem ſemper acerbos eſſe dicit quarto eiuſdem tractationis volumine, vt his facultatibus nullo modo calculis illitum mederi valeat, Ideo legendum puto, non Calculis, ſed Oculis. Guillandino eruditiſsimo videtur poſſe legi Callis: cuius iudicium non improbo. Quod autem apud eundem Plinium libro vigeſimo ſeptimo cap. 7. ſcriptum eſt, in regio morbo crudum abſinthium bibi cum opio, aut Adianto: reſtituendum eſt, cum Apio. Opium enim multum abeſt, vt in hoc morbo vllam opem ferat. Habebant Romani & Graeci medicos, qui nudis quibuſdam experimentis peculiares corporum humanorum partes curare profitebantur, veluti aures, teſtes, dentes: ſed maior illorum copia atque auctoritas erat, qui oculis medendis operam nauabant, quiq; coeca experientia tantùm confiſi, non raro magnum detrimentum afferebant: vt de quodam medico notauit Martialis, qui oculos eruebat ita frequenter hominibus, vt eam profeſsionem relinquere coactus, ad hoplomachiam exercendam ſe contulerit, in qua etiam paria damna inſerebat:

Hoplomachus nunc es, fueras ophthalmicus antè,
Feciſti medicus, quod facis hoplomachus.

Quomodo verò ea à varijs medicis varias corporum partes curandi conſuetudo inuecta fuerit, ſi quaeratur: ego ſanè exiſtimo Ægyptios, vt multa alia, ſic & hos mores in Graecos inuexiſſe: ab his deinde emanaſſe ad Romanos, quos vniuerſam medicinã ex Graecia

cia

cia recepiſſe Cato & Plinius teſtati ſunt. Quòd autem Ægyptij medicos eiuſmodi haberẽt, affirmat Herodotus ſub hiſce verbis ĩ 2. lib. ἡ δὲ ἰητρικὴ κατὰ τάδε σφι δέδασαι. μιῆς νούσου ἕκαστος ἰητρός ἐστι, καὶ οὐ πλεόνων: πάντα δὲ ἰητρῶν ἐστὶ πλέα: οἱ μὲν γὰρ ὀφθαλμῶν ἰητροὶ κατεστέασι, οἱ δὲ κεφαλῆς, οἱ δὲ ὀδόντων, οἱ δὲ τῶν κατὰ νηδὺν, οἱ δὲ τῶν ἀφανέων νούσων. ideſt, *Medicina apud ipſos ſic diſtributa eſt: vnius morbi, & non plurium, vnuſquiſque medicus eſt, omnia verò plena medicis ſunt: alij enim medendis oculis, alij capiti, alij dentibus, alij ventri, alij occultis morbis curandis ſunt deſtinati.* Vbi vltima illa verba mihi ſuſpecta ſemper fuerunt: quandoquidem Hippocrates, qui ea voce, νηδὺς, ſaepius pro ventre & cauitate vtitur, (quemadmodũ ſcribit Erotianus) & quemadmodum non rarò vſus inuenitur Herodotus, eoſdem penè facit in lib. de Arte, morbos occultos, & morbos ventris aut cauitatis; cùm de occultis loquens dicat, ἔστι δὲ ταῦτα, ἃ πρός τε τὰ ὀστέα τέτραπται, καὶ τὴν νηδὺν. Vnde ſi in Herodoto legeremus, οἱ δὲ τῶν κατὰ νηδὺν ἢ ἀφανέων νούσων, vt particula ἢ expoſitiua ſit, poterit is videri fortaſſe Hippocratem coaetaneum ſuum, eademque lingua vſum imitatus, dicens nimirum alios fuiſſe medicos ventris morborum, qui occulti ſunt: neque ampliùs dubitandi occaſio dabitur, qui eſſent occultorum morborum medici, & quarum aegritudinum: neque item vlla apparebit in verbis Herodoti contradictio; quae aegrè profectò vitari poteſt, ſi cùm paullò ſuprà dixerit, vnius partis morbi & non plurium medicum vnum fuiſſe; ſtatim dicat vniuerſim, medicum vnum, quoſque occultos morbos, & non ventris, quae occultae ſunt, aegritudines, curare ſolitum. Haec dico: etſi non me lateat, etiam ita, vt legitur, Herodoti orationem ſanam eſſe.

De Aquarum per plumbum ductarum prauitate, & quòd Romae ex fontibus potarent. Locus Paterculi emendatus. CAP. IX.

QVantum ad ſalubritatem conferat, per quos ductus aqua potui eſuive deſeruiens feratur, Vitruuius auctor non contemnendus in octauo libro cap. 7. luculentiſsimè monſtrauit, cuius verba tanquam medicis omnibus magno vſui futura hic ſubſcribere placet. *Habent autem tubulorum ductiones ea commoda. Primum in opere, quòd ſi quod vitium factum fuerit, quilibet id poteſt reficere; etiamq́; multò ſalubrior eſt ex tubulis aqua, quàm per fiſtulas: quòd per plumbum videtur*

eſſe ideò vitioſa, quòd ex eo ceruſa naſcitur, haec autem dicitur eſſe nocẽs corporibus humanis. Itaq; ſi quod ex eo procreatur, id eſt vitioſum, nõ eſt dubium, quin ipſum quoq; non ſit ſalubre. Exemplar autem ab artificibus plumbarijs poſſumus accipere, quòd palloribus occupatos habent corporis colores. Namq; cùm fundendo plumbum flatur, vapor ex eo inſidens corporis artus, & indies exurens, eripit ex membris eorum ſanguinis virtutes. Itaq; minimè fiſtulis plumbeis aqua duci videtur, ſi volumus eam habere ſalubrem. Saporem quoque meliorem ex tubulis eſſe, quotidianus poteſt indicare victus, quòd omnes extructas cùm habeant vaſorum argenteorum menſas, tamen propter ſaporis integritatem fictilibus vtuntur. Columella quoq; rei medicae non inexpers, dum pro gallinarũ potu & cibo vaſorum fabricandorum rationem tradit, lignea aut fictilia plumbeis praefert, quòd vtiliora eſſe compertum ſit. Poſt hos verò Galenus in ſeptimo de Medic. comp. S. l. cùm in componendo ex papauerum capitibus medicamento aquam pluuiam puram, & omni mixtione carentem commendaſſet, haec ſubiunxit: ὥστε διὰ τοῦτο καὶ τὸ διὰ τῶν μολυβδίνων σωλήνων ὀχετευόμενον φευκτέον, ἰλύματα γάρ τινα τοῦ μολύβδου κατὰ τοῦτο παραδέχεται. διὸ καὶ οἱ πίνοντες ὑποστάθμην τοῦ τοιούτου ὕδατος, δυσεντερικοὶ γίνονται. id eſt, *Propter hac igitur aqua per plumbeos canales ducta fugienda eſt, quoniam recrementa quaedam plumbi huic immittuntur, vnde poſtmodum huiuſce aquae ſedimentum potantes dyſenterijs tentantur.* Ex quibus omnibus perſpectum fieri poteſt, aquas per plumbum ductas non immeritò ſemper tanquam pernicioſas eſſe damnatas: & ideò medicos quoque illos perperam facere, qui aquas, ſuccos & olea vi ignis per plumbum extracta, medicamentis per os aſſumendis immiſcere non verentur. Si enim Galenus in primo de Antidotis libro cap. x. pro medicamẽtorum conſeruatione vaſa ſtannea fugiebat, quòd ſciret ſtannum plumbo adulterari, ab eoque vim aliquam pernicioſam immitti formidaret: cur etiam medici non valde timeant plumbum in vllum eorum vſum vocare, quae ab ipſis pro ſanitatis conſeruatione, aut reparatione aegrotis exhibenda ſunt? Ex ijs etenim quae ſuperſunt Romae vetuſtorum aquaeductuum veſtigijs apparet, maiores, quãtum fieri poterat, fiſtulas plumbeas effugiſſe, in illis praeſertim ducendis aquis, quae non tantùm lotionibus, ſed potibus, cibiſque inſeruire debebant. Quamquam haud facile credo eas, quae ex Tyburtinis montibus Romam ducebantur, multùm pro cibo potuve in vſu fuiſſe; propterea quòd Galenus omnium Romae conditionum diligentiſsimus obſeruator, in 4. 6. Epidem. commentario illas omnes crudas, & coquendis edulijs ineptas extitiſſe aſſe-

uerat: addens, eam vrbem, vt aliás excellentiſſimas dotes, ſic & plurimos & pulcherrimos habuiſſe fontes, ex quibus aegri, nedum ſani, potarent. Vt enim alios plurimos omittam, auctor eſt in hiſtoria Romana Velleius Paterculus, Syllam aquas ſalubritate medēdisque corporibus nobiles ad agros omnes duxiſſe. Sed quoniam Paterculi verba in vulgatis codicibus vitiata ſunt, non abſurdum erit à Claudio Puteano Pariſienſi iuuene doctiſſimo reſtituta proponere: ſunt verò haec: *Grates Dianae; cuius numini regio illa ſacrata eſt, ſoluit: aquas ſalubritate medendisque corporibus nobiles agros omnes adduxit: deque huius gratae religionis memoria & inſcriptio templi adfixa poſti, hodieque & tabula teſtatur aerea intra aedem.* Verùm nec ſpernenda eſt Latini Latinij optimi & doctiſſimi viri ad hunc locum coniectura, qui Syllam aquas & agros circa Capuam vrbem, vbi adhuc Sinueſſanae aquae ſuperſunt, Deae addixiſſe, cùm legiſſet, ſic putauit reſtituendum: Agrosque omnes addixit Deae: Huius gratae &c.

De Cicuta locus Lucretij explicatus. Ariſtotelis & Varronis de Capris loca examinata. Nonnulla de Anatome. CAP. X.

CIcuta ſturnos nutriri, apud auctores, & praeſertim apud Gal. ſaepius notatum obſeruari; cuius euentus cauſam illam, is 3. de Simplic. medicamen. attulit, quòd aues huiuſcemodi anguſtos corporis meatus habentes, haud ſinunt cicutae ſuccum ad cor penetrare, ſed eum in ventriculo tamdiu retinent, quoad natiuo calore ſuperatus in nutrimentum conuertatur: cùm hominibus ſecus eueniat, quibus nimirum ob venarum amplitudinem cicuta in cor celerrimè perducta natiuum calorem extinguat. Itaque illud admiror, quomodo Lucretius hunc effectum non in ſturnis, ſed in capris apparere atteſtetur in 5. libro.

Quippe videre licet pingueſcere ſaepe cicuta
Barbigeras pecudes, homini quae eſt acre venenum.

Quod quando verum eſſe experientia conſtaret, cauſſam hanc aſſignaret, quòd caprae, quas mirum in modum ſiccas eſſe, & perpetuò febrire Varro atque Plinius tradiderunt, cicutis feruorem, ac ſquallorem temperent: quo poſtmodum temperato nutrimentum me-

lius conficitur, & in pinguedinem concreſcit. Hoc enim pacto lactucam quoque ſanguinem augere putant medici, quando ſcilicet biliosō corpori exhibita, ſua frigiditate efficit, vt iecinoris calor remiſſus ſanguinem, & non bilem faciat. De capris ſcripſit Ariſtoteles primo de Hiſt. animalium cap. 11. Alcmaeonem falsò prodidiſſe eas non naribus, vt cetera animalia, ſed auribus ſpiritum ducere, quam ſententiam deinceps Varro in 2. de re Ruſt. & Plin. lib. 8. retulerunt: ſed ambo hi Archelao, & non Alcmaeoni attribuerunt; Vnde fit, vt vel Ariſtotelis, vel Varronis, à quo Plinius ſua accepit, mẽdoſum eſſe contextum exiſtimem. Fuerunt quidem Alcmaeon, & Archelaus auctores vetuſtiſſimi, alter philoſophus, alter medicus & philoſophus, vt eorum vterque ſententiam huiuſcemodi ſcripſiſſe potuerit, & maximè Archelaus, qui etiam homines & animalia ex limo nata prodidit. Alcmaeonem primùm anatomen monſtraſſe, Chalcidius in com. ſuper Platonis Timaeum affirmat: quã deinceps eius poſteri per manus accipientes, pueros non ſolùm qui medici, ſed & qui philoſophi erant futuri, edocebant, ita enim Democritum, aliosque plurimos in anatomica diſciplina eruditos fuiſſe legitur: quam, etſi à nullo veterum vſque ad Dioclis aetatem ſcriptis mandatam referat Galen. in 2. de Anat. admin. melius tamen ſic conſeruatam & amplificatam inde intelligere poſſumus, quòd tunc homines à primis annis anatomen (vt ceteras artes) nõ ex ſcriptis, ſed ex parentum ſermonibus, ipſaque exercitatione addiſcebant; ſicque meliùs eam comparantes non modo tenaciùs in animis ſeruabant, verùm etiam aſſiduis ſtudijs augebant. Herophilum certè excellentiſſimum fuiſſe exiſtimandum eſt, nempe quem narrat Tertullianus in lib. de anima ſeptingentos exſecuiſſe, vt naturam ſcrutaretur, hominemque odiſſe vt eum noſſet. At Ariſtotelem neque ſic Anatomen didiciſſe, ſed ſolùm quae ſcripſit ad eam pertinentia ex aliorum relationibus tradidiſſe, ſemper putaui: quando quidem non ſemel id libris de Animalibus annuat, & praeſertim in primo de Hiſt. animalium, dum ſic loquitur: περὶ γὰρ λυγγίων τῶν καλουμένων ἱστὰ πλάιεγον οὐθενός πω ἀξιοπίστου ἀκηκόαμεν.

Hippocratis locus emendatus. Locus Diogen. Laertij ex Galeno mutatus. Galeni, de vrinae ſedimentorum nigredine, & de Lapide veſicae, error. CAP. XI.

MAgnus Hippocrates in lib. de Foetatione & ſuperfoetatione (ſic enim, & non de Superfoetatione ſolùm, inſcribendum puto, cùm ibi de vtraque copioſè tractetur) docẽs quid ad generandũ marem obſeruãdum ſit, haec ſcribit: ὅταν βούληται φυτεύειν ἄρσεν, τῶν ἐπιμηνίων ὑπολήγόντων ἢ ἐκλελοιπότων μίγνυσθαι, καὶ ὠθέειν ὡς μάλιστα, ἕως ἂν ἐκμαίνηται. Quo in loco, ἐκμαίνηται omnino legendum arbitror, quod Galenus in Linguarum expoſit. hanc vocem ſeminis emiſſionem ſignificare ſcribit. (etſi Marius Nizolius eius libri interpres malè ea verba Galeni, ἀποκρίνη τὸ σπέρμα, tranſtulerit, Emundat ſemen: niſi librarius feſellit, loco Amandat Emundat ſcribens. Quantum autem rationi congruentius ſit dicere, impellendum quàm maximè, quouſque ſemen emittatur, quàm, quouſque ſaeuiat, vt interpretes transferunt, cuius perſpectum eſſe poteſt, Diogenes Laërtius in vita Xenocratis auctor eſt, eum philoſophum ad quendam, qui neque muſica, neque geometria, neque aſtronomia inſtructus, ludum ſuum frequentare cupiebat, reſpondiſſe, παρ' ἐμοὶ οὐ πόκος κνάπτεται quae verba alioquin ab interprete Latino malè tranſlata; etſi rectè accõmodari poſſent, mihi tamen placeret magis, ſi non κνάπτεται, ſed γναφεύεται legeretur; atque ad id opinandum ea ratio me impellit, quòd Xenocrates eo reſponſo innuere voluiſſe videtur, diſciplinas ordine quodam eſſe apprehendendas, neque adeundam philoſophiam, niſi mathematicae diſciplinae teneantur: ſicut nemo lanã nondum vellicatam ac politam ad fullonis officinam, vt tingatur, ferat. Sic etenim Arceſilai dictum illud, οὐδ' εἰς πόκον εἰς γναφεῖον φέρει, quòd forſan à Xenocrate in prouerbium emanauit, intelligendum eſſe, longa hac atque eleganti oratione ſignificat Galenus in 2. de Differentijs pulſuum. τὸ γὰρ τοῦ Ἀρκεσιλάου καλὸν, ὡς οὐδ' εἰς πόκον εἰς γναφεῖον φέρει. τάξις γάρ ἐστιν, ὥσπερ ἑτέρων ἐργασίας, οὕτω, καὶ μαθημάτων διδασκαλίας, καὶ οὐδ' εἰς οὔτ' ἀναγινώσκειν διδάσκεται, πρὶν πάσας ἐκμαθεῖν τὰς συλλαβάς. οὔτ' αὐτὰς, πρὶν ἅπαντα τὰ στοιχεῖα τῆς φωνῆς. οὔτε τὰ συνόντα παλαίσματα πρὸ τῶν ἁπλῶν, καὶ ῥᾳδίων. οὐδὲ ταῦτα, πρὶν

τρί-

τρίψασθαι καλῶς. οὐδὲ τοῦτο, πρὶν ἀλείψασθαι γυμναστικῶς. ἀλλ' ἕκαστον αὐτῶν τὸ μὲν πρῶτον, τὸ δὲ δεύτερον, τὸ δὲ τρίτον ἐστὶν ἐν ἁπάσαις ταῖς τέχναις. οὕτω δὴ κἀν τοῖς κατὰ τὴν διαλεκτικὴν οὐκ ἐνδέχεται τινὰ, πρὶν ἐν τοῖς πρώτοις, καὶ οἷον στοιχείοις γυμνάσασθαι, ταῖς τῶν ἑξῆς ἀποδείξεσιν ἕπεσθαι. id eſt, *Etenim Arceſilai illud pulchrè dictum celebratur, quòd nemo lanam nondum carminatam ad fullonis officinam portat. Nam vt lanificij, ſic & diſciplinarum addiſcendarum ordo habetur. Atque nullus legere diſcit, niſi priùs ſyllabas teneat, neque has, niſi priùs omnia vocis elementa. Neque validas paleſtrae exercitationes, ante ſimplices & faciles obeunt: neque hoc, priuſquàm rectè fricentur: neque hoc, priuſquàm vngantur gymnaſtico modo. Sed ſingulorum hoc quidem primum, hoc ſecundum, illud tertium in cunctis artibus reperitur. Pariter quoque in dialectica minimè contingit, vt quis demonſtrationes conſequentes comparet, niſi in primis & veluti elementis exerceatur.* In omnibus quidē Galeni vndequaque admirabilis auctoritatem magnifacere ſoleo: at in ipſius quoque commentarijs interdum inuenio, quod iure reprehendi queat. ſicuti eſt, quando in primo περὶ κρίσεων libro, nigras vrinarum ſubſidentias ex mortificatione à vementi frigore inductas proficiſci ſcribit. Quòd enim in corpore viuo tanta poſſit conſiſtere frigiditas, quanta ſedimentis vrinae nigris reddendis ſufficiat, captu difficile admodum eſt, ſiquidem habitus hydropicorum frigidiſſimus, multum abeſt vt huiuſcemodi quicquam producat. Accedit, quòd quaecunque ob externum frigus nigreſcunt partes extimae, licet non ſint multùm calidae, nihilominus vehementiſsimo ſolo frigore nigrorem contrahunt. Itaque ſi in internis partibus talis nigredo progignenda eſſet, cùm illae extimis ſuapte natura calidiores ſint, valde maiori frigore opus haberent, quòd an in corpore vllo viuo adhuc calente inueniri queat, iudicent qui rerum naturas non leuiter perſcrutari delectantur. Immò verò Gal. ipſe v. in vj. Epidem. exponens oraculum illud Hippocratis, ψύξις τὰ κατὰ κοιλίην σκληρύνει, eoſque improbans, qui in corpore perinde atque extra corpus res à frigore durari dicebant: inter caetera eos hoc argumento conuincit, quòd res in ventre exiſtentes nequaquam ad eum frigiditatis gradum peruenire poſſunt, vt congelatae durentur, quemadmodum in hyeme externa corpora. Huic ſimile eſt, quod quidam ſcriptum reliquit, in ſenibus veſicae calculos ob frigiditatem gigni, quodque etiam in pueris confirmare videtur Galenus 6. Epid. com. 3. aphor. 15. Quae ſententia non minus à veritate remota eſt, quàm lateres ſub ſole deſſatos non tepore humiditatem exſugente, ſed gelu durari. Tepore

nanque

panque à lutulentis ſuccis, inſtar ſolis, humiditatem extrahente, tam in ſenibus quàm in pueris lapides veſicae concreſcere, apud me certò conſtat. eò magis, quòd Hippocratem in lib. de Aere, aqua. & loc. & 2. de Nat. hum. lapidem veſicae ab eius calore, ſiue potiùs feruore gigni, aſserentem inueniam; cuius ſententiam Ariſtoteles ſecutus videtur Probl. ſect. 10. vbi nullum animal ab ipſo homine calculoſum euadere, ob meatuū amplitudinē probat: & Alex. primo Probl. 108. Iam verò pueros non ita frequenter huiuſcemodi malo, quemadmodum ex ſententia Hippocratis ſcribit Galenus tentari conſpicitur; quòd fortaſse vel in eorum regionibus, vel eo tempore verum fuiſse probari poſset, niſi voracitas, ac luxus, vnde potiſſimùm lapides ortum ducunt, Hippocratis aetate minime viguiſse, ſaepius dixiſset ipſemet Galenus. Quae vero dicit Plutarchus. 4. Sympoſ. 4. & in fine lib. vj. de ſale omnia veriſsima ſunt. ſ. veteres eo panem condire conſueuiſse, carnium, & ſuum eſse animam, coctionem iuuare, generationi prodeſse, venerem excitare, ob idque Aegyptios ſacerdotes à ſale abſtinuiſſe; qua etiam ratione Graecos ſacerdotes ad vitandam ſalis in venere excitanda vim eum torrere conſueuiſſe narrat Fulgentius.

Celſi locus ex Hippocrate notatus, & emendatus. Locus Galeni contrarius examinatur. Nonnulla de Pulſu; item de Herophilo, & Aſclepiade.

CAP. XII.

Cornelius Celſus in prooemio lib. 3. haec ſcribit. *In nullo quidem morbo minùs fortuna ſibi vendicare quàm ars poteſt, vtpote cùm repugnante natura nihil medicina proficiat.* Vbi in aliquibus manuſcriptis non Natura, ſed Fortuna legitur. Ego verò puto vtrobique, Natura, legendū eſse: tum quia videtur Celſus Hippocratem in hoc, vt ſaepè in alijs, aemulatus, qui in Lege ſcribit: *πρῶτον μὲν οὖν πάντων δεῖ φύσιος. φύσιος γὰρ ἄν τι πραττούσης κενεὰ πάντα.* tum quia in morbis curandis verè natura nihil minùs arte poteſt. Fortuna verò apud vulgares tantùm valere creditur, non apud eos, qui prudentia exercent artem, qualis fuit Hippocrates, qui Naturas ipſiſſimos medicos vocauit, fortunae autē parum ſemper tribuiſse viſus eſt. Scribit Galenus

primo de Differentijs pulſuum, veteres ante Hippocratis aetatem, pulſus nomen ignoraſse, ipſum autem omniũ primum illud exſcripſiſse: quanquam non is quemlibet arteriarum motum pulſus appellatione nominauerit, ſed poſt ipſum Praxagoras, & Herophilus ſic ſenſibilem quamcunque arteriarum motionem vocarint. Caeterùm in lib. quòd Ani.mor. ſeq. corp.tem. prorſus contraria his tradere videtur, vbi antiquos non omnem arteriarum motum, ſed ſenſibilem homini duntaxat pulſum nuncupaſse: Hippocratem verò primum illud nomen in omni arteriarum, qualiſcunque fuerit, motione vſurpaſse affirmat; quae dicta cùm ſimul minimè cohaerere queant, difficileque ſit auctorem Hippocrate antiquiorem inuenire, apud quem σφυγμὸς in venis arterijsve legatur: fit vt ſoli dictioni, quae in libris de Pulſibus habetur, tãquam Galeni legitimae, fidem habẽdam putem. In altero namque citato libro multa inueniuntur, quae mihi illum valdè ſuſpectum reddant, inter alia ibi plurima ex Ariſtotele referuntur, quae in ipſius philoſophi codicibus planè diuerſa leguntur: quamquam etiam ſcio Galenum impium ſanè, & irreligioſum in ea haereſi fuiſse, vt crederet animam noſtram mortalem eſse, ac temperaturam corporis ſequi; quemadmodum alij vetuſtiſſimi philoſophi cenſuerunt, ex quorum numero Parmenides, & Empedocles extiterunt, quorum alterum haec,

Πρὸς παρεὸν γὰρ μῆτις ἐναύξεται κ' ἀνθρώποισιν,
Οσσον ἀλλοίης μετέφυ, τόσον ἄρ σφίσιν αἰεὶ
Καὶ τὸ φρονεῖν ἀλλοῖα παρίστατο. alterum verò iſta,
Ως γὰρ ἕκαστος ἔχει κρᾶσιν μελέων πολυκάμπτων,
Τὼς νόος ἀνθρώποισι, παρίσταται.

ſcripſiſſe narrat Ariſtoteles in 3. Metaphyſ. Quae tamen omnia grauiſſimis, & plurimis argumentis à Nemeſio, ſeu Gregorio Theologo lib. de Nat.hum. refutata ſunt. Ad arteriarum pulſus redeo, quos Hippocratem nouiſſe, nemo ſanus inficiaretur, etſi neque vllam eorum curam geſſiſſe, neque ad artem, vt alia multa, redegiſſe conſtet. Nam, & Ariſtoteles, qui annis ſexaginta tantùm poſt ipſum floruit, quòd de pulſib. nihil pene reliquerit, indicium clarè eſt, eius tempore vix notum tale nomen fuiſſe. Neque quis libellum de Spiritu Ariſtoteli falsò adſcriptũ inducat, vbi cum pulſuum multa fiat mentio, id ſolùm, praeter alia Ariſtotelis genuinum non eſſe librũ apud eruditos probaret. Qui primus omnium, quos viderimus, pulſuum exactam tractationem poſteris reliquit, fuit Herophilus, Archigeni in hac re à Galeno praelatus. Hunc ſcribit Plinius lib. 1c. cap. 37. medicinae artem miranda arte pulſus deſcripſiſſe, ſed ob nimiam

ſubti-

ſubtilitatem fuiſſe deſertum; quod fortaſſe in Galenum ardentius exclamaſſet, ſi libros ipſius ad eam tractationem ſpectantes non minûs profuſa oratione, quàm incomprehenſibili fere arte compoſitos intueri potuiſset. Haud tamen de Herophilo credenda eſſe omnia Plinio arbitror: quoniam Strabo, qui ſub Auguſto vixit, in fine lib. 12. ſcribit, aetate ſua inter Laodiceam, & Caruram fuiſse ſcholā percelebrem medicorum, qui Herophilum ſectabantur, qualis erat tempore patrum ſuorum Smyrnae medicorum Eraſiſtrati ſectatorum. Sed eius verba nec Graeco in codice rectè notata, nec ab interprete fideliter conuerſa, ſubſcribere meliùs erit: μεταξὺ δὲ τῆς Λαοδικείας καὶ τῶν Καρούρων ἱερὸν ἐστὶ μηνὸς Κάρου καλούμενον, τιμώμενον ἀξιολόγως. συνέστηκε δὲ καθ' ἡμᾶς διδασκαλεῖον Ηροφιλείων ἰατρῶν μέγα ὑπὸ Ζεύξιδος, καὶ μετὰ ταῦτα Ἀλεξάνδρου τοῦ Φιλαλήθους, καθάπερ ἐπὶ τῶν πατέρων τῶν ἡμετέρων ἐν Σμύρνῃ τὸ τῶν Ερασιστρατείων ὑπὸ Ικεσίου. id eſt, *Inter Laodiceam atque Caruram templum eſt Caro menſi magna veneratione dicatum, vbi etiam aetate noſtra ſchola Herophiliorum medicorum magna à Xeuxide, & poſt ab Alexandro Philalethe conſtructa perdurat: quemadmodum tempore patrum noſtrorum Eraſiſtratiorum medicorum ſchola Smyrnae ab Iceſio.* Pulſuum artem, vt ſuperuacaneam & difficilem, damnauit Aſclepiades Pruſienſis, aetate Pompeij, ex oratore medicus effectus, quem Plinius cùm ceteros medicos improbaſse dicat, non ſine ratione Galenus in tertio de Criſibus ipſum ἕξιν αἰτιολογικὴν exercuiſse confirmauit. Sed in diſputationibus illud forſan ipſi condonari potuiſset, niſi Caelius Aurelianus, vel potiùs Soranus à Caelio Latinitate donatus in lib. de Acut. paſſionibus ſcriberet, ipſum ſemper in curandis aegris ambitione quadam aliorum medicorum praeſidia, quaecunque fuiſsent, ſiue bona, ſiue mala, reijcere conſueuiſse. Quae deterrima conſuetudo vtinam tempeſtate quoque noſtra inter faſtuoſos quoſdam & humano generi infenſiſſimos medicos non vigeret.

De Condituris vinorum. De vino Picante: De vino Maſsilienſi. Locus Galeni emendatus. CAP. XIII.

Antiquos vina varijs modis condijſse (factitia ab hoc genere ſeparo) ita clarum eſt ex auctorum ſcriptis, vt id demonſtrādi vanus ſit futurus omnis labor. Cauſſas verò, quibus illud agerent, tres praecipuas inuenio. Vnam ad leniendam ipſorum aſperitatem; alteram ad augendam paruitatem, vetuſtatemque accelerandam; poſtremam,

ſtremam, vt ipſa ab omni corruptionis genere conſeruarent. Africam, ſcribit Plinius, & Plutarchus in quaeſt.nat. ſuis vinis gypſo, & in aliquibus regionibus calce, aſperitatẽ dempſiſse, Graeciam autem ſuis argilla, aut marmore, aut ſale, aut marina aqua lenitatem excitaſſe: quo pacto etiam à Cretenſibus vinum maluaticum nuncupatum parari audio. Refert Plutarchus. 5. Sympoſiac. problem. 3. ex Graecis Euboios, & ex Italis eos qui circa Padum incolebant, conſueuiſse vaſa pice oblinire, reſinamque ipſam vino commiſcere, quòd talia vaſa non modo gratũ quendam odorem impertirent, verùm etiam vinum generoſum redderent, celeriterq. ab eo aquoſitatem nouitatemve caloris ope remouerent; de quibus loquebatur Plinius, cùm ſcripſit, in Italiae prouincijs nonnullis vulgare fuiſse, muſta pice rabulana atque reſina condiri. Et nè quis miretur, quomodo à pice ac reſina graueolentibus potuerit vinis odor gratus donari: ſciri velim eas, lotionibus alijsque modis (vt docet Columella) à graui odore ſpoliari conſueuiſse, & propterea, reſinata vina ac picata apud aliquos in precio extitiſse. An verò quod hodie Picans & Racens vinum populari vocabulo dicitur, veteribus notum fuerit, qui de huiuſmodi ſapore nihil meminiſse videntur, multi dubitarunt. Ego autem puto primùm à Plauto ipſum fuiſse ſignificatum, quando in Penulo dixit, Vetuſtate vino edentulo aetatem irriges. quaſi edentulum vocarit vinum, ad illius differentiam, quod dẽtatum atque mordax erat. Plinius ſimiliter lib. 14. cap. 20. ſcribens, picis aſperſu odorem vino contingere, & ſaporis quaedam acumina; duo me commonefacit: vnum, quòd vinum picans cognouerit; alterum, quòd facilè potuerit picans Italorum à picato veterum eſse deductum. Quamquam ſcio non deeſse, qui velint, picans vocem ex media Gallia fuiſse productam, atque idem quod mordens ſignificare. Auerroes quoque 7. Collect. cap. 16. eum ſaporem mihi videtur his verbis indicaſse: *Et vinum, quod melius reperitur, eſt aromaticum: cuius caliditas penetrare poteſt per totum corpus, quod ſit ſine amaritudine, & ſtipticitate, & eſt illud vinum, quod eſt vinoſum, pungitiuum in principio, & poſt delectabile ſine aliqua amaritudine, & ponticitate.* Cur autem maiores nihil de hoc ſapore explicatius nobis reliquerint, puto eam fuiſse cauſsam, qua etiam plurimas alias res tunc temporis vulgatiſsimas nobis relinquere deſtiterunt: aut potiùs quia ſimplicium duntaxat ſaporum meminerunt, mixtos autem cuiuſmodi eſt picans, ex dulci, & acri compoſitus, tamquam infinitos praeterierunt. Ad inducendam vinis vetuſtatem erant qui vaſa in locis calidis, aut fumo exponerent, vt iis

conti-

continuò quodam, & blando calore penetrans, aqueas partes abſumeret: quod parentem ſuum factitaſſe affirmat Galenus primo de Antidot. & de quo locutus eſt Horatius tertio lib. Carm. ode 8.

Hic dies anno redeunte feſtus,
Corticem aſtrictum pice dimouebit
Amphorae, fumum bibere inſtitutae
Conſule Tullo.

Narbonenſes ac Maſſilienſes paſſim vina fumo maturaſſe, praeter Plinij teſtimonium, Martialis abundè demonſtrat lib. 3.

Vel cocta fumis muſta Maſſilianis. & lib. 10.
Improba Maſſiliae quicquid fumaria cogunt,
Accipit aetatem quiſquis ab igne cadus. & lib. 13.
Cùm tua centenos expugnet ſportula ciues,
Fumea Maſſiliae ponere vina potes, & lib. 14.
Maſſiliae fumos miſcere niualibus vndis
Parce puer, pluris ne tibi conſtet aqua.

Ex quibus non ſolùm vina Maſſilienſium parum aeſtimata, verùm etiam inſaluberrima (quod Plinius libro 23. capit. 1. tribuit omnibus vinis fumo inueteratis, quae Galenus capiti dolorem inducere primo de Antidotis inquit) extitiſſe facilè colligi poteſt. Et iccirco Galeni locum in 2. ad Glauconē mendoſum eſſe ſuſpicor, vbi pro eliquandis ad herpetas medicamentis accommodata vina recēſens, inter tenuia, alba, & ſub adſtringentia Maſſilienſe adnumerat: quod tamen Athenaeus ex ipſius ſententia craſſum, & carnoſum fuiſſe, quemadmodum eſt veriſimile, aſſerit. Cum igitur Athenaeus atq; etiam Galenus ipſe vinum μάρσον, ſiue μαρσικὸν, & non μασσαλιώτην, inter adſtringentia collocent, loco dictionis, ὁ μασσαλιώτης, dictionem ὁ μαρσικὸς, reſtituere praeſtat, cui ſententiae eo libentiùs adhaereo, quoniam Galenus nunquam alibi, aut rariſsimè ſaltem, vini Maſsilienſis mentionem facit. in 4. autem de Comp. med. per genera Marſico tanquam albo, & adſtringenti, in componendis viſcera exiccantibus ſine mordicatione medicamentis, vnà cum Falerno, ſicut in 2. ad Glauc. vtitur. Ad tuenda verò ab omni corruptione vina in primis ea nonnullas nationes igne coxiſſe inuenio; quemadmodum de Spartanis Athenaeus, & de alijs Plinius, atq; Columella referunt. Alij defrutum immiſcebant; quod hodie aliqui populi Romae vicini faciunt. Non deerant, praeſertim apud Graecos (vt ſcribit Columella) qui ſalſa aqua, aut ſale ipſo componerent, tum gratia cuiuſdam ſuauitatis maioris, tum quia mare, vt cetera multa, ſic vinū incorruptum ſeruare compertum erat. Atque huiuſcemodi vina ab

F Aſcle-

Aſclepiade Thethalaſſomena vocata eſſe prodidit Caelius Aurelianus Acut. lib. 2. Quamquam puto ſic etiam nuncupata interdū fuiſſe omnia ea, quae ex alijs in alias regiones per mare transferebantur; quaeve ſimili tranſuectione nō parū in bonitate ac ſuauitate proficere experimur omnes. Quibus vero marina aqua non miſcebatur, οἴνους ἀθαλάττους à Lesbijs vocatos, ſcribit Galenus 12. Meth.

Defenditur Plinius in tractatione Argenti viui, & Hydrargyri Locus Theophraſti reſtitutus.

C A P. X I I I I.

SI qui Plinium auctorem inter Latinos grauiſſimū paſſim reprehendere delectātur, ij aequiori animo ipſius ſcripta lectitarent, forſan intelligerent ea, quae damnāt, ſaepè laudari potiùs debere: vt euenit de Hydrargyro, quod quià ab Argento viuo ſeparat, ſtatim in ipſum tanquam linguae Graecae ignarū debacchantur, cùm potiùs hac in re non exigua commendatione dignus ſit, quoniā Graeci Dioſcoride poſteriores, vt vnò nomine tam natiuum quàm factitium hydrargyrum appellant, ſic Plinius Latinae linguae locupletandae gratia (quemadmodum non rarò facit) natiuum Argentum viuum, factitium verò Hydrargyrum vocare maluit. Neque puto vllum vſque adeò coecum inueniri atque hebetem, qui non videat, Plinium hydrargyri ſiue factitij argēti viui naturam deſcribentem, eadem prorſus Dioſcoridis verba tranſtuliſſe, in quibus & is de factitio ſermonē habet: ſiue is ab hoc ſua acceperit, ſiue (quod malunt nonnulli grauiſſimi viri) vterque ab vno atque eodem. Ex quo capite cùm etiam Plinius illa, quae auctor tribuit hydargyro natiuo, deſumpſerit, atq; argento viuo ſuo clariſſimè adſcripſerit, quis niſi Plinianae gloriae nimiùm inſenſus non cognoſcit, eam mentem habuiſſe, vt genera vtraq; duobus nominibus deſcriberet, non autem quòd linguae Graecae imperitus eſſet? quando ſermonem Dioſcoridis, vel ſaltē eius auctoris, à quo etiam Dioſcorides deſumpſit, nō minùs accuratè quàm eloquenter in Latinum conuertit. Immò rationi valde conſentaneum mihi videtur, priſcos Graecos, qui factitium argentum viuum non cognouerunt (nempe quod minio, ex quo fiebat, ccxlix. vrbis conditae anno reperto, poſteriùs factitari coeptum ſit) natiuum alio nomine

vocaſſe, quàm ὑδράργυρον, ſiquidem Ariſt. 4. Meteorol. illud ἄργυρον χυτὸν, quemadmodum etiam Philippus comicus apud eundem lib. de Anima 1. & non ὑδράργυρον nuncupauit: neque fortaſſe apud quemquam Graecum Ariſtotele ſeniorem, aut Latinum Plinio vetuſtiore, ὑδράργυρον argentum viuum natiuum vocatum, obſerues: ſed apud Dioſcoridem; quẽ linguae Graecae politioris rudem admodum, atque imperitum, poſteriores tàm Graecos quàm Latinos ſecutos eſſe, & in eundem errorem impegiſſe, exceptis Plinio & Galeno, forſan aliquis nõ abſque ratione tueatur. Atque hoc tunc magis pro certo habere cogor, quando Nicandrum poetam vetuſtiſſimum in ſuis Alexipharmacis lithargyri, & non hydargyri (de quo potiùs, ſi cognouiſſet, aliquid edocere debebat) mentionem feciſſe conſidero. Nam Galenus, qui tantùm modò factitium nouit in 9. de Simpl. med. non eſt mirum, ſi hydargyrum ſicut Plinius, vocauit. Quinimmò cùm dixerit, hydrargyrum non eſſe ex ſponte naſcentibus, videtur Plinij ſtudiũ imitatus, qui ſoli factitio id nomen tribuẽdum voluit. Nec ex eo loco cogimur putare, Galenum natiuum argentum viuum ſiue ἄργυρον χυτὸν ignoraſſe: quando illud apud Philippum comicum, & Ariſtotelem, in quo maximè verſatus erat, legiſſe potuerat; ſed fortaſſe non viderat oculis & proinde nihil de ipſo ſcriptum reliquit. Vitruuius quoque Dioſcoride & Plinio antiquior, in 7. lib. vbi argenti viui mẽtionem facit, hydrargyrum nunquam nominat, ſolius natiuĩ tractationẽ habet: quaſi Auguſti etiam aetate argentum viuum natiuum ſolummodò diceretur, in qua re Gab. Fallopium virum doctiſſimum & alios hallucinatos eſſe, cuicunque Vitruuium non oſcitanter legenti perſpectum eſſe poteſt. Quomodo autẽ verba Theophraſti, ex quibus multa accepit Plinius, & ex quibus factitium etiam ἄργυρον χυτὸν ab ipſo vocatum videtur, ſint interpretãda, dicam, vbi priùs ipſiſſima verba reſtituta in mediũ adduxero, quae in lib. περὶ λίθων ſic habentur: γίνεται δὲ τὸ μὲν ὑφιστάμενον κάτω κιννάβαρι, τὸ δ' ἐπάνω καὶ πλεῖον, πλῦσμα. καταδεῖξαι δέ φασι καὶ εὑρεῖν τὴν ἐργασίαν Καλλίαν τινὰ Ἀθηναῖον ἐκ τῶν ἀργυρείων, ὃς οἰόμενος ἔχειν τὴν ἄμμον χρυσίον διὰ τὸ λαμπυρίζειν, ἐπραγματεύετο, καὶ συνέλεγεν. ἐπεὶ δὲ ᾔσθετο, ὅτι οὐκ ἔχει, τὸ δὲ τῆς ἄμμου κάλλος ἐθαύμαζε διὰ τὴν χρόαν, οὕτως ἐπὶ τὴν ἐργασίαν ἦλθε ταύτην. οὐ παλαιὸν δὲ ἐστὶν, ἀλλὰ περὶ ἔτη μάλιστ' ἐνενήκοντα εἰς ἄρχοντα Πραξίβουλον Ἀθήνησι. φανερὸν δὲ ἐκ τούτων, ὅτι τὰ μὲν μιμεῖται τὴν φύσιν ἡ τέχνη, τὰ δ' ἴδια ποιεῖ: καὶ τούτων τὰ μὲν χρήσεως χάριν, τὰ δὲ μόνον φαντασίας, ὥσπερ τὰς Ἄλπεις, ἔνια δ' ἴσως ἀμφοῖν, ὥσπερ χυτὸν ἄργυρον. ἐστὶ γάρ τις χρεία καὶ τούτου. ποιεῖται δ', ὅταν τὸ κιννάβαρι τριφθῇ μετ' ὄξους

ἐν ἀγγείῳ χαλκῷ, καὶ δοίδυκι χαλκείῳ. id eſt, *Fit verò quod infrà ſubſidet cinnabari, quod autem ſuprà natat lotura eſt. Huius opificium aiunt Calliam quendam Athenienſem ex argenti fodinis inueniſſe, atque monſtraſſe: qui cùm putaſſet arenam auream ob ſplendorem ſe tenere, multa ſollicitudine collegit: ſed poſt quàm ſe eam non habere intellexit, arenaeq; pulchritudinem ob colorem admiratus fuit, ad huiuſcemodi operam conuerſus eſt. Neque hoc admodum antiquum eſt, ſed circa nonaginta annos tantùm, imperante Athenis Praxibulo. Atque ex his perſpicuum fit, quòd ars in aliquibus naturam imitatur, in aliquibus verò propria facit, & horum alia vſus, alia apparentiae gratia, quemadmodum Alpes; alia forſan ob vtraque, ſicut fuſile argentum, eſt enim & huius aliquis vſus. Efficitur autem, quando cinnabari in aeneo vaſe, aeneo piſtillo cum aceto tritum ſit.* Itaque ex his facilè conſtare arbitror, à Theophraſto ἀργύρου χυτοῦ nomen vſurpatum planè inueniri etiam in factitio. Quod ita eueniſſe conijcio, quoniam nonageſimo anno ante ipſum minio demonſtrato, factitium argentum viuum aetate ipſius componi coeperat, & proptereà nondum aliud nomen illi indiderant, ſed eodem met, quo natiuum, tunc appellabant. Poſterius verò, dum factitium magis innoteſceret, hydrargyrum nominarunt: vſquequo Dioſcorides parum ſermonis puri obſeruator, vocem eam ἄργυρον χυτὸν dimittens, ὑδραργύρῳ vocabulo in ambobus generib' vſus eſt. Hoc loco admoneor, vt quod apud medicos hactenus non obſeruaui, apud Auſonium poetam (ſed Auſonij filium medici) obſeruatum, in medium proponam: nimirum argẽtum viuum toxici venenum debellare, ſi poſt ipſum bibatur: quam rem exemplo vxoris, maritum veneno tollere cupientis, hoc epigrammate monſtrat poeta ille:

Toxica zelotypo dedit vxor moecha marito,
Nec ſatis ad mortem credidit eſſe datum,
Miſcuit argenti lethalia pondera viui,
Cogeret vt celerem vis geminata necem.
Diuidat haec ſi quis; faciunt diſcreta venenum,
Antidotum ſumet qui ſociata bibet.
Ergo inter ſeſe dum noxia pocula certant,
Ceſſit lethalis noxa ſalutiferae:
Protinus & vacuos alui petiere receſſus,
Lubrica deiectis qua via nota cibis.
Quàm pia cura Deûm: prodeſt crudelior vxor,
Et cùm fata volunt, bina venena iuuant.

De tempore coitus. Plutarchi locus reſtitutus. Hippocrates & Ariſtoteles collatus. Error Gazae detectus. De ſitu corporis in ſomno. Error Alexandri contra Hippoc. C A P. XV.

Coitum exerceri debere poſt ſomnum, ſecundum Galeni interpretationẽ mandauit Hippoc. 6. Epid. ſub hiſce verbis: Labor, cibus, ſomnus, venus, omnia moderata, quam tamẽ ſententiam apud omnes poſteriores medici prorſus ſecuti ſunt. Aetius quidẽ lib. 1. ſerm. 3. cap. 8. voluit à prandio coeundum eſſe, vbi cibus deſcenderit: à coena autẽ, vbi paululùm dormieris. At Paulus lib. 1. c. 35. maluit concumbendum eſſe ſecundum cibum, antequam ſomnus irrepat, qua in re cõceptioni potiùs, quàm valetudini ſtuduiſſe videtur; & ſi neque hoc à veteribus admodum probatum inuenitur, cùm in lib. de Foetatione & ſuperfoetatione (ſic enim inſcribi debet) Hippocrati adſcripto, legatur mulierem concepturam coitu ieiunam, & virum ſobrium modicè paſtũ vti debere. Ex quo loco ſententiã illam in Probl. mutuaſſe Ariſtoteles videtur, quando ſcripſit, antiquorum nonnullos praecepiſſe, vt concubituri parcè coenarent: quòd ſic, meatibus magis patentibus, faciliùs & longiùs ſemen propelleretur. Haec quaeſtio apud Plutarchũ in 3. Sympoſ. 6. problem. latiſſimè diſputata eſt, vbi poſt multas rationes hinc inde deductas, tandẽ decernitur, venere in nocte poſt coenam modicè acceptã vtendum eſſe, quòd ſomnus deinde ſuccedens, laſſitudines omnes tollat, ac purgatiora corpora efficiat, vbi etiã duo hac in re veluti praecepta tradũtur: vnum, poſt coitum balneum calidum ne quis ingrediatur; (ita namque corruptũ Graecum codicem reſtituendum cenſeo: ἡμῖν δὲ τῷ νόμῳ πόλεως τοῦ ἑπομένοις ἐξὸν λαβυντίον ἐστὶν εἰς θέρμην ἐμβαλεῖν, καὶ κατάρχεσθαι θυσιῶν, ὀλίγον ἔμπροσθεν διαπεπραγμένοις τι τοιοῦτον.) alterũ, ne ſacrificium hoſtiave offeratur: quod etiam Tibullus hoc carmine docuit in 2.

Vos quoque abeſſe procul iubeo: diſcedat ab aris,
Cui tulit heſterna gaudia nocte Venus.

Hippoc. 2. de Acut. tex. 16. 6. Epidem. com. 5. aphor. 15. ſcribit coitum in ijs morbis prodeſſe, qui à pituita oriuntur. & 5. Epid. Timocharem à deſtillatione per coitum eſſe liberatum narrat; quam Hippoc. ſententiam Ariſtoteles eius aemulator 1. ſect. prob. 51. & 4. ſect.

probl. 17. explicans, docuit id fieri, quia pituitae multum vnà cum ſemine eijcitur. Sed cauendum eſt à Gaza, qui λαγνείας Hippoc. vocem pro immodica libidine non abſque ſummo periculo interpretatus fuit: cùm ea ipſi vel coitum, vel ſemen ſignificet, vt in Linguis monſtrat Galenus. Hanc eandem ſententiam habuit Hippoc. in 1. de Diaeta, ſed aenigmatico hoc modo: λαγνεύειν δὲ ὕδατος ἐφόδων γιγνομένων πλείονα, ἐν δὲ τοῖσι τοῦ πυρὸς ἐπιφορήσεσι μείονα. id eſt, Vtendum eſſe pluri coitu in aquae acceſſibus, pauciore in ignis impreſſionibus. Iam verò ſomnus admonet, vt communem omniū fere errorem detegā, qui ſi altiore capite dormiant, à deſtillationibus minus tentatum iri ſperant; cùm contrarium potiùs euenire, praeter ruſticorum omniū experientiam (qui vt plurimùm capite toti corpori aequo ſitu poſito dormientes, vrbanis minùs catarrhis vexari clarè conſpiciuntur) ratio etiam atque auctoritas Ariſt. in 10. probl. euidentiſſimè demōſtrant. Ibi enim quaerens Philoſophus, cur vnus homo ceterorum animalium maximè & ſternuat, & conſequenter deſtillationibus laboret: inde euenire determinat, quoniam in alijs brutis neque calor, neque ipſum conſequentes humores rectà (vt eſt eius naturalis promptitudo) ferri ad caput queunt, ſed in armos, ceruicem, atque alia membra per refractionem diſiecti diſſipantur, quo minùs caput pertentent, ſed in homine, erectae figurae ratione, calor & ſubinde humores faciliter in caput efferuntur, vbi is rareſaciens meatus, calefaciensque, hi verò ſubeuntes, & poſtmodū craſſefacti, varias deſtillationes gignunt, quod item contingere ijs, qui altiore capite dormiunt, nemo ſanus non videt. quemadmodū perſpicuum eſt, ſi humiliori & toti corpori aequali capitis ſitu dormiatur, idem euenire, quod in brutis, calorem ſcilicet & humores non poſſe rectà ſecundùm naturalem inclinationem in caput attolli, ſed in caetera mēbra partitos neceſſariò diſflari, interrumpique. Atque hanc dormiendi conſuetudinem fortaſſe approbari ab Aetio quis putet, quando ſublimiorem capitis ſitum in ijs ſolùm commēdauit, qui ventriculi imbecillitate laborant: quòd ijs opus ſit huiuſcemodi erectiore figura cibum in ventriculi fundo cōtinere. Addam his magnum medicinae auctorem Hippocrat. non abſque ſumma ratione 1. aphor. 15. ſcripſiſſe, Somnos fieri longiſſimos hieme, tum ob noctium longitudinē, tum ob pituitae copiam: & iccirco Alexandrum Aphrodiſienſem erraſſe. qui 2. Quaeſt. nat. c. 29. nos aeſtate quàm hyeme fieri ſomnolentiores, tribus de cauſſis putauit. vna, quòd à deſtillationib. hyeme natiuus calor minùs vincatur, citiusq. ob magnitudinem ſuam vapores diſſoluat: altera, quòd aeſtate plus dor-

mire videamur ob noctium breuitatem, nempe cùm aliquam diei partem ſomno tranſigamus: poſtrema, quòd tunc ob calorem extrinſecum ſenſoria ſint debiliora, & iccirco operari nequeuntia; ſomnum faciliorem & maiorem efficiant.

De vua Taminia, & Labruſca. Plinij & Scribonij locus examinatus & emendatus. CAP. XVI.

VVam Taminiam apud Cornelium Celſum Staphiſagriam vocatam eſſe, puto dubitare neminem: ſicuti apud Apuleium Vua Taminia Italiae eſt Bryonia Graecorum. Quae verò illa ſit penes Plinium, nonnulli in cõtrouerſiam vertunt: Nã qui ſub nomine Taminiae vuae Plinium lib. 23. vitem ſilueſtrem, & non labruſcã, explicaſſe exiſtimant, id neceſſariò ſentire videntur, quòd Plinius duplicis agreſtis vitis ſermonẽ habeat, eo fermè pacto, quo à Dioſcoride duobus diuerſis capitibus περὶ ἀμπέλου ἀγρίας mentio facta fuit, ita vt ibi dicit, Labruſca quoque oenanthen fert ſatis dictam. de vite lib. 5. cap. 2. à Dioſcor. explicata loquatur: vbi verò ſubiungit, Quae à Graecis ampelos agria, &c. eam vitẽ planè ad verbũ explanet, quam in 4. lib. fuſiùs Dioſc. declarauit. Hanc ſententiam tribus potiſſimis rationibus confirmare nituntur, quarũ prima eſt, quòd quãdo Plinius inquit, Labruſca quoque oenanthen fert ſatis dictam, de oenanthe fructu ſiue flore labruſcae nil ſe ampliùs dicturum inſinuat, nempè cùm in prooemio eiuſdem libri, & in 16. capit. lib. 15. ac vltimo 12. de illa abundè tractauerit, & ob id ſequentia verba, in quibus Taminiam memorat, de labruſca nullo modo eſſe intelligenda. Secunda ratio eſt, oenanthen florem eſſe, & non vuam: quemadmodum teſtatur ipſemet Plinius cap. vltim. 12. libri: vnde verba haec poſt labruſcam prodita, Fert vuas rubentes cocci modo, ei conuenire minimè poſſe. Tertia ratio eſt, quòd ea verba, Quae à Graecis ampelos, vſque ad eũ locũ, Eſt huius ſimilis, omnia ex Dioſcoridis capite, vel ſaltem ab auctore eodem, vnde ſua illa ſumpſit, deprompta ſunt; in quo is auctor de vite ſilueſtri, & non de labruſca Latinorum, ſermonem fecit. Ego verò, qui Plinium ſub Taminia vua labruſcam edocuiſſe potiùs credo, primae illi rationi reſpõdere ſoleo, verba illa, Satis dictã, alio fine ab ipſo prolata fuiſſe: nimirum qui aliorum auctorũ ſermones in ſuũ volumen transferre aſſuetus, in hac quoq. re Dioſcoridis, ſeu alterius ſcriptoris verba

aucta, diminuta, & transformata pro more ſuo tranſtulerit. Dioſcorides etenim de labruſca Latinorum loquens, ait: *ἄμπελος ἀγρία διττή. ἡ μὲν γὰρ αὐτῆς οὐ περκάζει τὴν σταφυλὴν, ἄχει δὲ αἰθήσιως ἄγει τὴν λεγομένην οἰνάνθην*: quem locũ Plinius cùm abſque dubio aemulatus ſit, facilè eruditus lector cognoſcere poteſt, Plinianum noſtri temporis codicẽ mendoſum, & particulam illã, Satis, vel abundare, vel eius vice particulam, Sic, legi debere: vt haec ſit genuina lectio, Oenanthen ſic dictam, quae Graecas voces, *τὴν λεγομένην οἰνάνθην*, feliciùs ſine dubio exprimere videatur. quando & Scribonius Largus cap. 249. ita loquitur: *Ad impetigines vua Aminea, quae ſic dicitur, bene facit.* Quo in loco & cap. 64. nemo eſt qui non videat legendum eſſe non Aminae, ſed Taminiae: ſiquidẽ vua Aminea faciendo vino praeſtantiſſima, alias vires habebat, quàm vt poſſet in ijs medicamẽtis vſuuenire, Secundam rationẽ propterea nihil valere aſſero, quoniã niſi Plinij verba extorqueamus, tantùm abeſt ipſum oenanthen vuam eſſe negare, vt potiùs ore pleno affirmet hiſce verbis, Eodem & oenanthe pertinet. *Eſt autem vitis labruſcae vua, colligitur cũ flore, cum optime olet*. Idẽ aſſeuerat Columella, qui lib. 8. cap. 5. labruſcam ipſum vuam nuncupauit. Quod porrò tertio loco ſubiungitur, vltima illa verba, Quae à Graecis ampelos, vſque ad illud, Eſt huius ſimilis labruſcae nõ eſse attribuenda; propterea quòd tota illa ſeries ex Dioſcoridis cap. de Silueſtri vite tranſlata fuerit (ſicut & ego fateor) opinioni eorũ nequaquã fauere opinor, quandoquidem ſi Plinius & illis & antecedentibus verbis nõ de labruſca ſola, ſed primò de labruſca, deinceps de ſilueſtri vite ſermonẽ faceret, dũ ait, Quae à Graecis ampelos agria: demonſtraret vtique labruſcã etiã à Graecis ampelon agriam non fuiſse vocitatam. quod tamen falſiſsimũ eſt, cùm labruſca non minùs, quàm vitis ſilueſtris, illud nomẽ obtinuerit. Relinquitur ergo, Pliniũ loco citato de labruſca, quã vulgo Taminiam dictã arbitratur, mentionẽ facere, atq. penes ipſum, quãdo nullo alio loco (quod recorder) de ſilueſtri alia vite locutus eſt, vtramque Dioſcoridis *ἄμπελον ἀγρίαν* labruſcae nomine appellatã eſſe: immò fortaſſe pro vna atq. eadẽ habitam, quemadmodũ cenſuiſſe quoq. ab aliquibus creditur Galenum, Paullum, & Auicennã; diligentiſſimos Dioſcoridis obſeruatores, & interpretes, qui vnum dumtaxat de Silueſtri vite caput condiderunt; ſicut pariter eueniſſe poteſt, vt ex vno Dioſcoridis capite vel ineruditi librarij, vel ſcioli aliqui, duo fecerint; eo magis, quòd in labruſcae cap. pauciſſima habentur, quae ferè viti ſilueſtri non cõueniant. Taminiam hanc vuam Verrio appellatam eſſe tradit Feſtus, quae tã mira ſit, quàm minium.

De

De Vua Theriacae: de Mulſo quaedam. Plutarchi error de Vino Maſsico, & cur Vinum percolaretur. Plinij locus reſtitutus. Theodori error. CAP. XVII.

Lib. 23. cap. 1. nominatur à Plinio Vua Theriacae; qua & vino eius contra ſerpentium ictus Thaſios pro remedio vſos memoriae mandauit in 18. cap. lib. 14. Vini huius potionem Theriacam appellatam non inſulsè aliquis exiſtimarit; atque eam fortaſſe M. Varronem intellexiſſe apud Nonium, quando ait, Vel maximè illic didici, & ſitienti Theriacā mulſum, eſurienti panem cibarium ſiligineum, & exercitato ſuaue ſomnum. Quòd autem vinum vitis Theriacae biberetur, atque in varios hominū vſus veniret, locupletiſſima teſtimonia habentur apud Plinium medicum libro primo capit. vigeſimoſecundo, & apud Palladium in Februario cap. 28. & apud Geoponicos ſcriptores lib. ſecundo cap. 46. & lib. 4. capit. 8. vbi, & quomodo fieret, & in quem vſum, tam ipſum vinum, quàm acetum, vua, cinisq; adhiberentur; ſatis vnicuique clarum efficitur. Caeterùm quòd Petrus Victorius, doctiſſimus, in primo Variarum, arrepta inde occaſione dubitat, an Theriaca olim biberetur, nempe quae tempeſtate noſtra craſſior, ac durior, quàm vt potui idonea ſit, temperetur: haudquaquam ſanè quaeſtione dignum mihi videtur. quoniam nullus eſt in antiquorum medicorum, & praeſertim Galeni lectione verſatus, qui neſciat, Theriacam, quamuis craſſam, modò vino modò alijs liquoribus diſſolutam propinari ſolitam; quam ſiue mulſo hac ratione Varro compararit, ſiue theriacae vuae (vt dixi) vinum, non multùm laboro. Quod magis mirum eſt, M. Antonium Muretum, multae lectionis atque egregij iudicij virum, aduerſus Victorium ita egiſſe, quaſi theriacam potari inauditum fuerit: quādo apud medicos antiquos, quorum doctrinam ſcio ipſi non eſſe ignotam, id intelligere poterat. At nec illud facilè Mureto concedo, theriacam noſtram eandem eſſe, quam tempore Varronis & anteà habuerūt veteres. Vt enim non inficior, ea tempeſtate fuiſſe in vſu medicamenta, θηριακὰ quòd aduerſus ferarum venena valerent, appellata, de quibus copioſè ſcripſit Nicander: certè Theriaca noſtra minimè

nimè excogitata fuerat, ſed Andromachus primus Neronis principatu eam compoſuit, vt monet Galen. in principio libri de Antidotis. Quas verò antiquiores habuerunt theriacas, etiam ipſos potaſſe docet Plinius, qui libro vigeſimo cap. vltimo ſcribit, theriacā illam inciſam lapide verſibus in limine aedis Aeſculapij, qua magnus Antiochus rex vtebatur, vino mixto diſſolutam bibi ſolitam: ne quamplures alias à Galeno nominatas adducam. M. Varro apud Nonium ſic ait: *Quid medico mihi eſt opus? nempe tuo, abſinthium vti bibam, graue & caſtoreum, leuemq́ robur*. Iam verò Caſtoreum quale ſit, ſolidiuſculum quàm vt ſit potando, omnes norunt: & tamen Varro bibi ſolitum monſtrat. Quòd idem de theriaca cogitandum. Id praeterire nolo, Mulſum hodie ab omnibus fere neglectum, antiquitùs maximo in honore fuiſſe, quod Varro praeter citatum locum etiam in ſecundo de Re ruſtica, Virgilius in Georgicis, Celſus qui quendam toto anno à vino, mulſo, venere, ſibi temperantem, à podagra tota vita incolumem vixiſſe ſcribit, & alij multi ſcriptum reliquerunt. Vnde mirari ſoleo, cur Plutarchus auctor grauiſſimus, octauo Sympoſ. problem. in 9. ſcripſerit: πολλὰ γὰρ τῶν ἀγεύστων, καὶ ἀβρώτων πρότερον, ἥδιστα νῦν γέγονεν, ὥσπερ οἰνόμελι, καὶ μήτρα. niſi fortè ipſum tempora ante Varronem intellexiſſe credamus. Sed Plautus, qui ſaepius mulſi mentionem facit, nos hac in re facilè conuincet; ne Hippocratem vetuſtiſſimum ſcriptorem in medium proferam: quem ſi quis in libris ad Gnidias ſententias, & alibi lectitare voluerit, certus fiet, Plutarchum vel erraſſe, vel eius codicem deprauatum haberi, vbi legitur, veteres mulſum non guſtaſſe; ne praeteream Plinium, qui Ariſtaeum Thracium huiuſmodi potionem primùm inueniſſe tradit. Idem quoque de Vulua ſuſpicandum eſt in Plutarcho: quam veteres in delicijs habuiſſe, hoc verſu,

Quid melius turdo, quid vulua pulchrius ampla.

conſtare poteſt, & Plinius fuſè monſtrat lib. 11. cap. 37. Sed Plutarchi mentio admonet me, vt nonnulla de mulſo ex ipſomet proferā, quae in 4. Prob. Sympoſ. prob. 5. ſic Latinè ſonant; *Praetereà in ſacrificijs Iudaei mel non adhibent, eò quòd vino contemperatum illud corrumpere videatur: quamuis antequàm vites eſſent inuectae, melle libarent, ac inebriarētur: ſicuti etiam hac tempeſtate Barbarorum quàm plures, qui vino carent, mulſum bibunt, dulcedinem mellis vinoſis quibuſdam & auſteris radicibus temperantes. Ex aduerſo Graeci abſtemij ob haec mulſum in libationibus ſacrificiorum offerunt, quaſi mel natura vino oppoſita donatum ſit. Quòd autem vinum Hebraei magna in exiſti-*

matione

matione teneant, illud non paruum argumentum eſt apud ipſos cùm multae poenae ſint, vnam omnium maximè ignominioſam haberi, quando illi, qui puniuntur, tanto tempore, quantum ille, cui eſt puniendi poteſtas, ſtatuerit, à vini potu inhibentur. Fiebat optimum mulſum, vt docet Dioſcorides, ex vino auſtero, & melle: proptereaq. ex Maſſico vino & melle Attico factum commendabatur. ſicuti Martialis atteſtatur hiſce verſibus:

Tam bene rara ſuo miſcentur cinnama nardo,
Maſſica Theſaeis tam bene vina fauis.

Ob quod iure damnatur ab Horatio Aufidius, qui mulſum ex Falerno & melle factitabat:

Aufidius forti miſcebat vina Falerno,
Mendosè: quoniam vacuis committere venis
Nil niſi lene decet: leni praecordia mulſo
Prolueris meliùs, ſi dura morabitur aluus.

Maſſicum autem vinum, ſiue Marſicum (vt Galenus & Athenaeus dicunt) naſcebatur in monte Gaurano, in Puteolorum Baiarumq. proſpectu, quod licet apud ferè omnes Latinos poetas maximè celebratum extet; craſſum tamen ac turbidum aliquanto fuiſſe, ex his Horatij verbis colligitur:

Maſſica ſi coelo ſupponas vina ſereno,
Nocturna ſi quid craſſi eſt tenuabitur aura,
Et decedet odor neruis inimicus; at illa
Integrum perdunt lino vitiata ſaporem.

Nam vina craſſiuſcula ſacco lineo percolare conſueuiſſe maiores, praeter Lucretij, Horatij, Martialis, & aliorum teſtimonia, Plutarchus problemate in id inſtituto abundè monſtrauit. Cur verò id agerent, explanaſſe videtur Plinius cap. vltimo, libri 14. vbi dixit, vinorum vires ſacco frangi ſolitas, vt potores plus bibere poſſent. Vina etenim diffuſa, perfrigerata, & excolata, tenuiora fieri, atque debiliora, etiam in libello περὶ παθῶν, ſub Hippocratis nomine vulgato, notatum inuenitur: vt iurè Plinius, vina inueterari, ſacciſque caſtrari dixerit lib. 19. capit. 4. Apud quem etiam ſaccis aniſum & amaras nuces ad commendanda vina addi ſolitum, legitur. Sic enim lib. 20. capit. 17. vulgatos contextus reſtituendos puto. *Saccis quoque additum cum amaris nucibus vina commendat.* Cùm autem Scribonius cap. 122. Falerni non ſaccati mentionem faciat: id intelligendum eſt valentius extitiſſe, & cuius vires ſaccis non erant caſtigatae. Huius vini percolati mentio quoque eſt apud Theophraſtum 6. de Cauſſis plant. cap. 24. vbi Theodorus mirè

hallu-

hallucinatus eſt; τοὺς ἠθικοὺς τῶν οἴνων, non Percolatum, vt debebat, ſed Morale vinum, ineptè transferens.

Medicinam, eiusq. regulas ab Aegypto manaſſe: & locus Hippocratis, Herodoti, Ariſtotelis, Plutarchi, & Celſi in id de purgatione. Aeliani improbatio de lingua Hippocratis. De Aerone medico.

CAP. XVIII.

MEdicinam, ſicut & omnes ferè artes, apud Aegyptios ortum habuiſſe, probatiſsimi auctores ſcribunt propterea regulas medendi praecipuas ab ijs quoque manaſſe, rationi conſentit. qualis eſt illa à maximo Hippocrate omnium primò monſtrata: Πέπονα φαρμακεύειν, καὶ κινέειν, μὴ ὠμά, μηδὲ ἐν ἀρχῇσιν, ἢν μὴ ὀργᾷ. Et: Ἐν τοῖσιν ὀξέσι πάθεσιν ὀλιγάκις, καὶ ἐν ἀρχῇσι, τῇσι φαρμακείῃσι χρέεσθαι, καὶ τοῦτο προεξευκρινήσαντας ποιέειν. Etenim Aegyptiorum medicos purgantia medicamenta in principijs morborum vitaſſe, abunde teſtatur Ariſtoteles: qui, vbi haec in 3. Polit. c. 11. ſcribit, καὶ ἐν Αἰγύπτῳ μετὰ τὴν τετρήμερον κινεῖν ἔξεστι τοῖς ἰατροῖς, ἐὰν δὲ πρότερον, ἐπὶ τῷ αὑτῶν κινδύνῳ, de tribus nos commonefacit. Vnum eſt, quòd apud Aegyptios vetabantur in principio purgationes: alterum, vocem illam κινεῖν, antiquitùs pro purgare (vt Hippocrates) vſurpari conſueuiſſe: poſtremùm, quòd in morbis quarta dies tanquam iudicialis fere ſemper & vbiq. obſeruata inuenitur. Hoc idem elegantiſsimum Celſum intellexiſſe puto, quando lib. 3. cap. 4. ait, antiquos medicamentis quibuſdam datis concoctionem moliri ſolitos, eò quòd cruditatem maxime horrerent; deinde eam materiam, quae laedere videbatur, ducendo, ſaepius aluum ſubtrahere; Aſclepiadem verò medicamenta ſuſtuliſse, aluum non toties, ſed fere tamen in omni morbo ſubducendo. Aduerſari tamen hiſce videntur, quae de Aegyptijs ab Herodoto in ſecundo libro memoriae mandata ſunt, eos ſanitati tuēdae ſtuduiſse, tum quibuſdam purgationibus, quas ſingulo menſe per triduum faciebant, tum vomitibus atque clyſterijs; quaſi nullam quatridui antedicti rationem habendam vellent, ſed illud in

morbis

morbis curandis, hoc verò in valetudine conſeruanda lenioribus medicinis ab ipſis commendatum, non inconuenit. Vt pariter non abſurdè factum appareat, dum Aegyptios omnes medicos eſſe prouerbio dicebatur: nam ciborum abſtinentiam, ſuccorum, herbarũq; non incurioſam cognitionem, clyſterij frequentem vſum ab Ibide aue commonſtratum, cùm paſsim omnes in Aegypto affectarent, quid aliud niſi medicinam profitebantur? Veluti ſignificatum ab Iſocrate puto in Buſiride, dum hunc in modum ſcripſit: μεθ' ὧν ἐκεῖνοι βιοτεύοντες, τοῖς μὲν σώμασιν ἰατρικὴν ἐξεῦρον ἐπικουρίαν, οὐ διακεκινδυνευμένοις φαρμάκοις χρωμένην, ἀλλὰ τοιούτοις, ἃ τὴν μὲν ἀσφάλειαν ἔχει ὁμοίαν τῇ τροφῇ τῇ καθ' ἡμέραν, τὰς δ' ὠφελείας τηλικαύτας, ὥστε ἐκείνους ὁμολογουμένως ὑγιεινοτάτους, καὶ μακροβιωτάτους εἶναι: Ne ſileam, quae ad hanc rem pertinentia ſic à Plutarcho de Aegyptijs in libro περὶ Ἴσιδος, καὶ Ὀσίριδος referuntur, noſtra lingua: *Hoc primùm conſideres, quòd maxima cura proſequantur iſti homines ea inſtituta, quae ad ſanitatem pertinent. Et eſt ſanè in ſacrificijs, luſtrationibus, & victu non inferior ſanctitate ſanitas. Neque enim rectum putabant, vt corporibus ſubputidis, & morboſis colerent id, quod purum, ſincerum, & immaculatum eſt. Quoniam itaque aer, quo plurimùm vtimur, & in quo maximè verſamur, non eandem ſemper temperiem habet, ſed noctu condenſatur, & offendit caput, & animum contrahit in anxietates, & curas, dum quaſi nubiloſus redditur, ac grauis: ſurgunt ſtatim, & reſina ſuffitum faciunt, & ſanant, purgantq; diſsipationibus aerem, & innatum corpori ſpiritum iam marcidum refocillant, cum hic odor vehemens quiddam, & incitatiuum habeat. Iterum cum circa meridiem ſentiunt à ſole copioſas, ac graues exhalationes vi ex terra ſubtrahi, myrrham incendunt, quam aeri immiſcent: reſoluit enim calor, & diſsipat id, quod concretum in aere, & turbulentum, & limoſum eſt. Siquidem & medici aduerſus peſtilentes morbos ita ſuccurrere videntur, & flammam ingentem accendunt, quae aerem attenuet: attenuant autem rectius, ſi odorata ligna vrant; qualia ſunt cypariſsi, iuniperi, & piceae. Acronem itaque medicum Athenis ex eo fuiſſe celebrem memorant, quòd magnae peſtis tempore ignem accendere iuxta aegrotos inſſerit, vnde non paucos iuuit.* An Hippocrates, qui diſcendae medicinae gratia Delum, Libyam, atque Scythiam (vt in Prognoſticis, & in lib. de Aere, aqua, & locis innuit) peragrauit, Aegyptum quoque inuiſerit, non liquido mihi conſtat. Attamen ab Aegyptijs eũ multa mutuaſſe facile credo. Quemadmodum ex altera parte nullam Aeliano fidem habeo dicenti 4. De varia hiſt. Hippocratem Dorica lingua natum Democriti perſuaſionibus inductum Ionice ſcripſiſſe.

pſiſſe.

pſiſſe. Neque verò inficias eò, Doricam linguam Hippocrati (quod Paetus etiam in epiſt. ad Artaxerxem fatetur) natiuam extitiſſe, quã Siculos, Calabros, Anconitanos, aliosq́ue innumeros populos ob laſciuam quandam eius dulcedinem amplexos fuiſſe ſcimus; at Ionica potius monumenta ſua poſteris relinquere voluit, quòd ipſa poſt Atticam alias elegantia & facilitatę ſuperaret; ipſaque Attica hoc maius commodum haberet, vt cum facilitate iunctam quãdam gratiam in explicandis rebus maiorem ſeruare poſſet. At quoniam in citatis Plutarchi verbis Acronis medici fit mẽtio, ſciri volo cum Acronem fuiſſe Agrigentinum, Empiricae ſectae, vt ait Plinius, auctorem, ab Empedocle commendatum, atq; Hippocrate antiquiorem: cuius facti Aetius quoq; Tetrabl. 2. lib. 1. cap. 94. & Paulus lib. 2. cap. 35. meminerunt. Quod igitur feciſſe Hippocratem conſtat, cũ Graeciam propè vniuerſam peſte vexatam crebris ignibus accenſis liberauit, ab Acrone didiciſſe facilè credi poteſt.

De vnguentis: & quid Hippocrati ſignificet Vnguentum Aegyptium. De Metopio locus Hippocratis emendatus. Quaedam ex Plutarcho de Vnguentis, & Myrrha.

CAP. XIX.

VEteres tam potibus quàm cibis vnguenta admiſcuiſſe, Plinius, Plutarchus, & Athenaeus memoriae mãdarunt. Ratio autem erat, quòd vt muſicis ſonis cantibuſq; aures, ſpectaculis viſum, edulijs palatum, ſic & varijs vnguentorum atq; florum odoribus nares in conuiuijs delectare ſtudebant. Quem tamen vſum non primis illis ſaeculis, quando nondum increuerat luxus, inuectum credimus, ſed multò poſt Hippocratis tempora; apud quem de vnguentis varijs ſaepius quidem facta mentio inuenitur, at medicinae potius, quàm vllius libidinis loco. Aegyptij quippe omnium primi ob myrrhae copiam inter alia medicamentorum genera vnguẽtorum mixtiones excogitarunt, & tamdiu caeterae nationes ab illis per vniuerſum orbem tranſportare durarũt, quamdiu in diuerſis regionibus illa parare viri & mulieres edocti ſunt. Quocirca mirari debet nemo, ſi penes celebriores veterum auctores maior vnguentorum atq; oleorum pars Aegyptiorum cognomiua ſibi vendicauit.

dicauit. Hippocrates enim, vt Galenus in eius Vocum expoſ. ſcribit, quatuor eorum genera memorat: vnum oleum Aegyptium, alterum oleum Aegyptium album, tertium vnguentum Aegyptium album, quartum vnguentum Aegyptium. hoc poſtremum quod eſſet, explicans Galenus, ait: Αἰγύπτιον μύρον. τὸ διὰ τῆς Αἰγυπτίας μύρον ἀκάνθης τοῦ ἄνθους, ὅπερ καὶ μετώπιον ὀνόμασαν. Veruntamen fuerũt, qui Hermolaum & Ruellium ſecuti, hac in re Galenum damnare auſi ſint, propterea quòd Didymus apud Athenaeum vnguentum Aegyptiũ ſtacten faciat, metopiumq; & à Dioſcoride & a Paulo valde ab Aegyptio diuerſum ponatur. Caeterùm facilè ij redarguentur, ſi quae à Theophraſto ac Athenaeo memoriae prodita leguntur, in mediũ afferamus. Ille enim in libello, περὶ ὀσμῶν hunc in modum ait: τὸ δὲ Αἰγύπτιον μῦρον ἐκ πλειόνων, ἐκ τε τοῦ κινναμώμου, καὶ ἐκ τῆς σμύρνης, καὶ ἐξ ἄλλων: ἔτι δὲ ἐκ πλειόνων τούτων τὸ μεγαλεῖον. id eſt; Aegyptium autem vnguentum ex pluribus, ex cinnamomo ſcilicet, myrrha, atque alijs. Adhuc ex pluribus quàm iſtud componitur Megaleum. Et paulò pòſt: ςάκτη δὲ καλεῖται, διὰ τὸ κατὰ μικρὸν ςάζειν, ὃ δὴ μόνον τινὲς φασὶν ἁπλοῦν εἶναι καὶ ἀσύνθετον τῶν μύρων. Iterum πολυχρονιώτατον δὲ ἐστὶ τότ' Αἰγύπτιον, καὶ τὸ ἴρινον, καὶ τὸ ἀμαράκινον, καὶ τὸ νάρδινον, πάντων δὲ μάλιςα ἡ ςάκτη. Adhuc, ταῖς δὲ γυναιξὶν ἡ ςάκτη, καὶ τὸ μεγαλεῖον, καὶ τὸ Αἰγύπτιον. Amplius: τῶν δὲ μύρων, τὸ Αἰγύπτιον, καὶ ἡ ςάκτη. id eſt, *Gutta vocatur à guttatim decidendo, quod vnguentum ſolum ſimplex eſſe, & alicui minimè commixtum quidam aiunt. Diutius autem manet Aegyptium, & irinum, & amaracinum, & nardinum, omnium autem maximè gutta. Mulieribus gutta, Megaleum, & Aegyptium. Vnguentorum verò Aegyptium & gutta.* Ex quibus omnibus luce clarius apparet, aliud Aegyptium vnguentum ex pluribus pharmacis commixtum, aliud Stacten extitiſſe: nempe quam vnguenti genus ſimpliciſſimum fuiſſe omnium, Theophraſtus; ex ſola myrrha conſtitiſſe, Athenaeus cap. 15. lib. 15. ipſius myrrhae pinguitudinem fuiſſe, Dioſcorides ſcribit. Sed huic obijciant fortaſſe, vnguentum Aegyptium Theophraſti id eſſe, quod ab Hippocrate Aegyptium album nuncupatur, & propterea ex verbis à nobis propoſitis nil aliud colligi, quam Aegyptium vnguentum album, & Stacten, non autem Aegyptium ſimpliciter differre. Quam obiectionem minimè arduum eſt refellere. Siquidem Galenus id σούσινον καὶ κρινόμυρον vocatum ſcribit; Theophraſtus verò manifeſtè Suſinum vnguentum ab Aegyptio ſeparauit, vbi ait, Vnguentorum alia à floribus nomen mutuaſſe, vt roſaceum, liliacenum, & ſuſinum (καὶ γὰρ τοῦτο, ait, ἐκ

τῶν κρίνων) alia à folijs, vt myrrhinum, & œnanthinum: alia à radicibus, vt nardinum: alia à ligno, vt phoenex: alia à fructu, vt melinum, myrteum, & laurinum: Aegyptium verò ex pluribus, ex cinnamomo, ex myrrha, atque alijs. Neque illud verum puto, qđ Theophraſto adſcribunt, nimirum in Aegyptio vnguento albedinem commendatam: quoniam is, dum myroplaſtas alia vnguenta vtpote viliora certis coloribus inficere, alia vt precioſiora nullis, refert, propterea Aegyptium tanquam precioſum album, hoc eſt, nullo colore extraneo ſaturatum, ſed ἀχρωμάτιστον eos voluiſſe innuit. quamquam ſcio Pollucem nigri quoque Aegyptij, & alterius quod Sagdas ab ipſo; & ab Heſychio etiam ψάγδας, vel, vt in Galeno & Athenaeo, pſagdas vocatur, mentionem feciſſe, forſan quòd alterum colore nigro infectum componeretur, cuius ab alio nullam mentionem factam adhuc obſeruarim. His omnibus addo, quòd ſi Theophraſtus diuerſum agnoſcit Megaleum ab Aegyptio; Galenus verò ambo haec, & Mendeſium, vnum atque idem facit: quomodo Aegyptium album Hippocratis ſub nomine Mendeſij & Megalei ſignificatum pro Aegyptio Theophraſti. quod à Megaleo diſtinguitur, accipi queat, intelligere non poſſum, niſi forſan contendant, Megaleum Theophraſti aliud fuiſſe à Megaleo Galeni. Quam rem ſi ipſis conceſſero, illud tantùm conſequentur, verum Megaleum Galeni aetate fuiſſe deſideratum, nomenq. in aliud tranſijſse. Dioſcorides enim ſcribens, tempore ſuo Megalei mixturam fieri deſijſſe, id ait, quòd Galeni tempeſtate extitiſse veriſsimile eſt: quando Megaleum quidem illud vetuſtum non ampliùs conficiebatur, ſed eius nomen duntaxat in Aegyptio albo conſeruabatur. Vt non ſine ratione is dixerit, Aegyptium album ab aliquibus Megaleum & Mendeſium eſse vocatum. Atque in hac ſententia ideò magis confirmor, quoniam Plinius Mendeſio colorem nigrum tribuere videtur. Vnde patere poteſt, Aegyptium album non fuiſse verũ Mendeſium, aut Megaleum, ſed ipſo deficiente ſolum nomen obtinuiſſe; & iccírco ex Theophraſto Stacten ac vnguentum Aegyptium ſimpliciter ita dictum, non parum inter ſe diſtare. Nunc Athenaeũ videamus, cuius verba in xv. Dipnoſ. haec ſunt, ex vetuſtiſsimo codice Alexandri Farneſij Cardinalis maximi excepta. τοῦ δὲ Αἰγυπτίου μύρου μνημονεύει Ἀχαιὸς ἐν ἄθλοις φησὶν, ἐξ ἀργυρῶν τις χεῖρε κυπρίου λίθου δώσει κάτομον χρισμάτων τ' Αἰγυπτίων; μήποτ' οὖν (φησὶν ὁ Δίδυμος) καλουμένην στακτὴν λέγει, διὰ τὴν σμύρναν; ἣν εἰς Αἴγυπτον καταγομένην κομίζεσθαι πρὸς τοὺς Ἕλληνας. id eſt, Aegyptij vnguenti mentionem facit Achaeus. *Inquit enim in certaminibus, in argen-*

tenm

teum quis manu Cyprij lapidis vnguentorum Aegyptiorum dabit ornamentum? Nunquid (ait Didymus) Guttam vocatam dicit ob myrrham, quam ſcimus in Aegyptum latam ad Graecos portari? Ex quibus nemini obſcurum eſt, Didymum aſſerere de Aegyptio vnguento ſimpliciter ſic appellato, quòd ab Achaeo pro Stacte comprehenſum ſit. At potiùs interrogantis inſtar de illo ambigere videtur. Quam dubitationem omnino leuem putare debemus, quoniam Achaeus, cuius verba is interpretari ſtudet, de Aegyptijs vnguentis, non autem de vno ſolo mentionem facit. Metopij verò nomen cùm oleo amygdalino & alijs multis tributum reperiatur, nihil inconuenit, quinetiam vnguento Aegyptio, vt ſcribit Galenus, fuerit traditum. Propterea locum illum Hippocratis in libro de Locis in homine, διίντα μετώπῳ, tam in Graecis omnibus codicibus, quàm in Latinis, corruptum, & μετωπίῳ reſtituendum arbitror. vel enim pro oleo amygdalino, vel pro vnguento Aegyptio capiamus, meliùs ſanè ad explicandam Hippocratis mentem conſultum erit: niſi quoque placeat neutro in loco μετώπων legere, ſed potius νίτωπον, quòd huius vocis apud alios atque etiam alibi apud Hippocratem habeatur mentio, alterius autem nullus alius meminerit. His addam Plutarchum in libro de Iſide & Oſiride, ex Ariſtotelis ſententia dicere, vnguentorum, florum, pratorum odoriferas reſpirationes non minùs ad ſanitatem, quàm ad voluptatem conferre, cùm cerebrum natura frigidum & concretum ſenſim calore & leuitate reſoluant: Myrrham inſuper apud Aegyptios Bal vocari, quod trāſlatum Delirij purgationem maximè ſignificat.

Morborum rara quaedam genera ex Hippocrate, Agatharchide, Plutarcho, & Galeno. Locus Hippocratis reſtitutus, & aliter Platonis indicatus. C A P. X X.

QVod Galenus in 1. & 6. de Locis affectis negauit ſe vidiſſe, vt etiam in inteſtinis hominum perinde ac in veſicis lapides gignantur, id minimè mirandum putari debet: quando & nos & alij tophaceas materias ex inteſtinis atq. alijs corporis partibus non ſine ſtupore extractas inſpeximus: immò vetuſtiſſimus auctor Hippocr. in 5. Epidemiorū famulae Dyſeridis in matrice lapidem enatum refert. Quod neque admiratione vlla dignum

videbitur, ſi quibus cauſis renes & veſica humores in lapideam cõpagem vertunt, & augent, iiſdem alias quoque partes illud efficere poſſe conſideremus. Negauit quoque ibidem Galenus ſe animalia in cruribus humanis apud Arabas genita, Dracunculos appellata, conſpexiſſe: quae tamen Auicenna 3.4.t. 2. cap.21. à ſe viſa innuit: etſi, quòd eſſent animalia, palam affirmare minùs videatur. Haec eadem fuiſſe ſemper exiſtimaui, quae Plutarchus aetate Galeno non multùm ſuperior in 8. Sympoſ. 9. huncin modum deſcripſit: οἱ δὲ περὶ τὴν ἐρυθρὰν θάλασσαν νοσήσαντες, ὡς Ἀγαθαρχίδας ἱστόρηκεν, ἄλλοις τε συμπτώμασιν ἐχρήσαντο κενοῖς, καὶ ἀνιστορήτοις, καὶ δρακόντια μικρὰ τὰς κνήμας διεσθίοντα, καὶ τοὺς βραχίονας ἐξέκοψεν, ἁψαμένων δι' αὖθις ἀνεδύετο, καὶ φλεγμονὰς ἀκαρτερήτους ἐνειλύμενα τοῖς μυώδεσι παρέσχεν. καὶ τοῦτο τὸ πάθος οὔτε πρότερον οὐδενὶ οὐδεὶς οὔτε ὕστερον ἄλλοις, ἀλλὰ ἐκείνοις μόνον γενόμενον, ὡς ἕτερα πολλά. id eſt: *Maris rubri incolae, vt retulit Agatharchides, affectionibus nouis & nunquam auditis tentati ſunt. Nam dracunculi quidam parui, crura & brachia edentes, eruperunt: qui ſi tangebantur, ſtatim emergebant, atque muſculis infixi, minimè tolerabiles inflammationes pariebant. Hoc morbi genus prius nemo vidit vnquam, neque poſterius aliis, niſi his ſolis, contigiſſe, vt alia multa.* An is morbus ab aere, an à regione, an à victu naſceretur, fortaſſe dubitandum eſſet. Sed me certum faciunt, victum potiùs ſimili morbo occaſionem dediſſe, quae in 5. περὶ τῆς ἐρυθρᾶς θαλάσσης idem Agatharchides & Diodorus Siculus lib. 3. cap. 3. ſcripta reliquit; nimirùm quoſdam populos, vt aliàs quoque retuli, ob frequẽtem locuſtarum eſum non modò breuiori caeteris vita eſſe, verùm etiam ſaeuiſſimo quodam pediculorum alatorum genere, nec admodum dracunculis praedictis diſſimili morbo conſumptos interire. Vnde vehementer mirari ſoleo, quomodo Parthi ac Iudaei potuerint (vt Leuitici 2. narratur) locuſtis victitare: niſi Dei immortalis beneficio id perinde factum eſt in ipſis, ac in Ioanne Baptiſta obſeruatum legitur apud Matthaeum: alioquin, vt Galenus 5. de Loc. affect. necnon Suidas tradunt, Seleucidas aues in Aſia locuſtis veſcentes, ſtatim ipſas excernere, & proinde nil ferè nutriri, ſic par erat homines eos vnico cibo haud quaquam diu ſupereſſe poſſe. Hiſtoriam ab Agatharchide relatam, quoniam medicos adiuturam ac delectaturam ſpero, eam Latino ſermone expoſitam hic ſubiungam. *A praedictis non multùm differunt locuſtarum eſores, gens quidem ſtaturae aliis breuioris, aſpectu macilens, ac ſupra modum nigra. Sub aequinoctium vernum, quando apud ipſos Aphrici & Zephyri ſpirant, ex loco quodam incognito ineffabilis magnarum locuſtarum multitudo vnà cum*

illis

illis ventis ad ipſos peruehitur, quae ab auibus volandi facultate parum, at corpore longè differunt. Ab hoc animalium genere toto tempore nutriuntur, ijs ſalitijs atque alio modo paratis veſcentes; venantur autem ipſas fumo ex aere in terram deijcientes. Atq; hi agilitate quidem & pedum velocitate pollere dicuntur; ſed cum valde ſiccum nutrimentum capiant, vltra quadrageſimum annum minimè vitam producunt; immò vita miſeriorem ſanè mortem obeunt. Si quidem appropinquante ſenectute eorum corporibus alata quaedam pediculorum genera innaſcuntur, figura quidem caninis muſcis ſimilium, ſed alioquin minorum. Incipiunt à pectore, ac ventre, breuiq. vniuerſam faciei cutem depaſcuntur. Atque horum alij primùm ſcabioſorum inſtar afficiuntur, deinde ſeipſos grauiter dilacerant, tandemq. morbo conſiſtente, necnon beſtiolarum exortu tenuibus effuſis humoribus, intolerabiles cruciatus ſubire miſeri coguntur; ſicq. vel ob alimentum, vel ob aeris prauitatem intereunt. In lib. de Medico, Hippocrati adſcripto, haec leguntur, ἔπειτα περὶ αὐτῶν καθαίρειν ὡς ἔχειν. Quae cùm obſcura ſint, neq. cohaereant, ſic reſtituēda puto: ἔπειτα τὰ περὶ αὐτὸν καθαρῶς ἔχειν ἐσθῆτι χρήσει. Qui enim dixerat antea de corpore medici, vt eſſe debeat, mox iure de ijs, quae ſunt circa corpus, loqui poteſt. Quod autem dixit ibi Hippocr. medicum carnoſum & optimi coloris eſſe debere, quoniam malè diſpoſiti alijs minùs auxiliari poſſe putātur, diuerſum eſt ab eo, quod in 3. de Rep. ſcriptum eſt apud Platonem, ſcilicet medicos fieri excellentiſſimos, ſi à pueritia artem diſcere auſpicati, cum plurimis aegris verſati ſint, ipſiq. omnes morbos experti, natura quoque valetudinarij ſint.

De ijs qui ſemel in die cibos capiunt. CAP. XXI.

MAiorem antiquorum partem ſemel tantùm in die cibis ſaturari ſolitam, multi varijs rationibus atq. auctoritatibus comprobarunt. Non defuiſſe tamen, & praeſertim ſeniores, qui valetudinis gratia bis terve manducarēt, & Ariſtoteles & Galenus & ante hos Hipp. lib. 2. de vict. acut. memoriae prodiderunt. Vti meliùs ſibi ipſis conſulerent, huic loco non conuenit, vt diſputetur. Id ſolùm dicam, ab auctoribus varia in ijs, qui ſemel manducarent, vitia fuiſſe notata Ariſtoteles in Phyſicis quaeſt. quemadmodum refert Apollonius in Mirab. hiſtorijs, ſcribit, τοὺς μονοσιτοῦντας πικρότερα τὰ ἤθη ἔχειν μᾶλλον, ἢ τοὺς δὶς τροφαῖς χρωμένους: *Eos*

qui in die ſemel tantum cibis veſcuntur, amarulentioribus eſſe moribus, quàm eos, qui bis. quoniam aucta in ipſis vtraque bilis, animum magnopere perturbat, eoſq. iracundos & melancholicos facit. Vnde auctor ille in fine primi libri de Diaeta, ijs qui calido temperamento ſunt, mandat, vt poſt ſumptos cibos actiones obeant, quoniam ſic calor cibi temperatus eos ſtabiliores, ac agendis rebus aptiores facit. Plinius quoq. lib. 28. cap. 5. ex ſententia Hippocratis tradit, non prandentium exta celeriùs ſeneſcere. Ante hunc dixerat Celſus, aſſuetis bis in die comedere, ſi ſemel ſolùm cibis impleantur, aluum adſtringi. Ambos vero ex ſecundo de Diaeta Hippocratis libro accepiſſe arbitror, vbi haec leguntur: *μονοσιτίη ἰσχναίνει, καὶ ξηραίνει, καὶ τὴν κοιλίην ἵστησι, διότι τῷ τῆς ψυχῆς θερμῷ τὸ ὑγρὸν ἐκ τῆς σαρκὸς καταναλίσκεται· ἄριστον δὲ τἀναντία διαπρήσσεται τῇ μονοσιτίῃ.* Quo fit, vt non omnibus tutò à medicis *τὸ μονοσιτέειν* praecipi credam: quemadmodum inutile omnibus puto, ſi cibis quotidie repleri (quod Plato in Syracuſanis notauit) bis velint. Certè alimentum in plures vices diſpertitum, faciliùs concoqui nemo negat. At ſi modus qualitatis ac menſurae non habeatur, quanto copioſiùs quis alitur, tanto deteriora pericula eum ſubire conſtat. Atq. de his locutum puto Hippocratem, quando in libro de Aere aquis & locis, *ἀριστήτας* edaces appellauit, quaſi illi ab ipſo vt intemperati damnentur, qui tam in prandio quàm in coena eſcis impleri volũt; Neque enim Cornelij Celſi ſententiam probare queo, vbi, modò cõcoquas, nullum in cibis diſcrimen haberi neceſſarium ducit: quod antè Lucretius dixerat, hiſce carminibus:

Nec refert quicquam, quo victu corpus alatur,
Dum modò quod capias concoctum didere poſsis
Artubus, & ſtomachi humectum ſeruare tenorem.

Siquidem athletae peſſimis cibis & *ἀναγκοφαγίᾳ* illa, ab Ariſtotele in Politicis & Clemente Alexandrino decantata, vtentes fortaſſe ob exercitationes & coctiones minùs offendebantur: ſed Galenus, qui illud probè nouit, in 2. de Aliment. facult. haec ſcripſit: *διὰ τοῦτο ἀπέχεσθαι συμβουλεύω τῶν πάντων κακοχύμων ἐδεσμάτων, κἂν εὔπεπτα τισὶν ᾖ· λανθάνει γὰρ ἐν ταῖς φλεψὶ χυμὸς ἐξ αὐτῶν ἠθροισμένος, ὃς ἐπειδὰν ὀλίγης εἰς τὴν σῆψιν ἀφορμῆς ἐπιλάβηται, πυρετοὺς κακοήθεις ἐργάζεται.* id eſt, *Quapropter, vt ab omnibus praui ſucci edulijs abſtineant, conſulo, & ſi illa coctu facilia ſint. Latet enim in venis prauus humor ex ipſis coaceruatus, qui cùm vel paruam ad putredinem concipiendam ſit nactus occaſionem, febres mali moris inducit.* Hoc tamen obſeruandum, *ἄριστον*, quod & Galeni & noſtra tempeſtate coenam

ſignificat,

ſignificat, ἄριστον ſiue prandium vetuſtiſſimis temporibus deſignaſſe: vt Erotianus & Galenus meminerunt. quaſi id eſſet, μεθ' ὃ δεῖ πονεῖν, ſiue poſt quòd laborare oportet.

De Caryce, & Carycia. De Apro, & Lumbo. *CAP. XXII.*

THν καρύκην, edulium ſiue intritum fuiſſe Lydium, ex ſanguine atque aromatibus eo pacto, quo in pluribus Italiae locis conficiuntur, com mixtum, & Suidas, & Philocrates Samius, Erotianus atque Gal. memoriae mandarunt; cuius item mentionem fecit Plutarchus 4. Sympoſ. prob. 1. vbi dum haec ſcribit, ὡς οὐ καρβυτάκαις, καὶ κανδύτοις καὶ καρύκαις ἐστὶ. demonſtrat ea omnia eſcarum genera ex varijs rebus apparata fuiſſe. Ad Caryces verò imitationem, aliud non illi diſſimile condimentum poſterioribus ſaeculis componi ſolitum puto, quod à multis, & praeſertim à Gal. in 4. de San. tuen. καρυκεία vocatum eſt; cuiusque apparatum maximam artem requiſiuiſſe, ex hiſce ipſius Galeni verbis perſpicuum fit: ἐπιτήδειον δὲ τοῖς οὕτω διακειμένοις ἐστὶ, καὶ τὸ διὰ τριῶν πεπέρεων, ὅταν μὴ πάνυ φαρμακῶδές τι καὶ ποικίλως σκευασθῇ: καθάπερ οἱ πολλοὶ, τῶν ἰατρῶν συντιθέασιν αὐτὸ, δίκην καρυκείας τινὸς, ἢ συὸς ἀγρίου, πρὸς τι τούτων τῶν θαυμασίων ὀψοποιῶν ἐσκευασμένον. Vnde mirari ſcribit, cur Suidas τὴν καρυκείαν ſignificare τῶν ζωμῶν ἡδύτητα ſcripſerit. Apri autem, quos etiam à coquis exquiſitiſſimè apparari conſueuiſſe, in praecitatis verbis meminit Gal. vt à veteribus in conuiuijs aeſtimarentur, Iuuenalis hoc verſu teſtatur.

--quanta eſt gula, quae ſibi totos
Ponit apros, animal propter conuiuia natum.

Ne Martialem proferam, qui vix vnquam cœnas aut nobiles eſcas memorat, quin inter ipſas apro nobiliorem propè locum tradat; quem ſicut hodie varijs iuribus ac delicatis liquoribus condiunt coqui, vt eius ſilueſtrem odorem occultent, ita quoq; maiores noſtros non minùs gulae ſtudioſos factitaſſe intelliget, quicunque Apicij illius opſodaedali varias apri conditura examinauerit. Apri lumbus omnibus alijs partibus eius praeponebatur. hunc Plautus & Cato Aprugnum vocauere, cuius tenera durities commendata ipſi etiam Calli nomen dedit: propter quod etiam Horatius longa oua extollens calloſa nuncupauit, tãquam compacta illa teneritudo in omni-

bus ciborum generibus & dentibus & palato valdè grata ſit. Quin & hodie in Italiae nonnullis regionibus, ac Venetorum praeſertim, ſuum domeſticorum lumbos inter ſuauia aeſtimari ſcimus.

Quid ſit ὠμήλυσις. De Farre factitio Aetij locus emaculatus: & quid Far hordei. De Hordeo quaedam, ex Ariſtotele, & Apollonio.
CAP. XXIII.

Quicunq; apud Abſyrtum lectitarunt, ὠμήλυσιν Graecorum mixtionem quandã ex farinis foenugraeci, ſeminis lini, & hordei, aequali pondere confarctis extitiſſe, iure dubitant, quomodo Caelius Aurelianus Acutorum 2. c. 24. & 37. interdum ſimplicis pollinis cataplaſma, interdũ pollines aqua ſolutos à Graecis ὠμήλυσιν vocari tradat. Sed omnem dubitandi occaſionem è medio tollit Galenus, qui in Expoſ. voc. antiq. eo nomine à veteribus appellari tam tenuiores quàm craſſiores & non torrefactas hordei farinas ſcribit: addens, ὠμήλυσιν quaſi crudam farinã propriè dici, abuſiue autem omne aliud farinarum genus ita nũcupari. Et quoniam farinarum mentionem feci, hic locus me admonet, vt errorem quorundam recentiorum detegam, qui apud antiquos Far etiam rẽ factitiam extitiſſe, duabus rationibus probare credunt: quarum prima eſt, ꝙ Archigenes apud Aetium lib. 9. ca. 45. manifeſte monſtrat, Romanos far ex frumento madefacto, ſiccato, & in partes craſſiores diffracto, paraſſe. Altera eſt, ꝙ Palladius farris hordei mentionem faciens, clare innuit, far illud factitium fuiſſe. Ego verò, qui nec Pliniũ Archigeni fere coaetaneum, nec quemquam alium (quod recorder) far aliud praeter natiuum adoreum vocatũ nominaſſe vidi, facile puto eos in magno errore verſatos eſſe. Et quod primò de Archigene in mediũ afferunt, ſciãt velim, ea omnia ex margine, ab aliquo inſcio librario cõtextui fuiſſe perperã interpoſita. Nam praeterquàm ꝙ nemo mediocris iudicij inueniretur, qui verba illa in Latinis codicibus poſita nec inter ſe, nec cũ praecedentibus ſubſequẽtibusve; cohaerere nõ aduerteret; accedit quoq; codicis manuſcripti vetuſtiſſimi, qui apud me reperitur, teſtimoniũ, in quo tota illa pars ſine farris factitij mẽtione hunc in modũ legitur: πολλοὶ μὲν οὖν σκευάζωσαι διὰ χόνδρου ἢ ἀλίκης, τρόφιμοι ὄντες, καὶ ποσῶς παραπλαστικοὶ, ἢ δυνέσωσαν δὲ

ἁλσὶ ἐλαχίστοις καὶ βραχεῖ ἐλαίῳ, καὶ ἀνήθῳ, ἢ μᾶλλον ἀντὶ τοῦ ἐλαίου στέατι ὄρνιθος ἢ χηνὸς προσφάτῳ, οἱ δὲ διὰ ὀρύζης ὁμοίως σκευαζόμενοι ξηραντικώτεροι εἰσίν. ἔτι δὲ μᾶλλον οἱ ἀπὸ κέγχρου. οἱ δὲ ἐκ φαρὸς σκευαζόμενοι, στυπτικώτεροι. σκευάζω δὲ αὐτοὺς ἐγώ, φησὶν Ἀρχιγένης, τὸν τρόπον τοῦτον μαγειρικόν. ἀποβρέχω ὕδατι ὀμβρίῳ, ὡς ἐν νυκτὶ ῥεῦσαι: εἶτα ἐπιμελῶς ἀποπλύνων τὸν ῥοῦν, ἐμβάλλω τῷ ὕδατι φὰρ τὸ καλούμενον κλεύσινον, καὶ πάλιν ἐάσας αὐτὸν διαβρεχθῆναι, χερσὶν σπουδαίως διατρίβω, καὶ οὕτως διηθήσας, αὐτὸν τὸν χυλὸν ἕψω, κινῶν ἀνήθου κλωσίν, συνίσταται δὲ ταχέως, ὡς ἡ εἰς τὰ βιβλία κόλλα. ideſt, *Pultes igitur ex chondro vel halica apparentur, vt qui valdè nutriant, & aliquo pacto obducant: condiantur verò minimo ſalis, oleo, & anetho, vel potius olei loco recenti gallinae aut anſeris pinguedine. Quae verò ex oryza eodem modo parantur, magis exſiccant: & quae ex milio adhuc magis: & quae fiunt ex farre magis adſtringunt. Ipſas autem paro (ait Archigenes) hoc coquorum modo. Aqua pluuia tota nocte rohem macero: deinde diligenter exprimens, aquae inijcio far cluſinum vocatum: rurſusq. ipſum macerari ſinens, manibus diligenter tero: ſicq. percolatum ipſum ſiccum coquo, anethi ramis agitans. Conſiſtit autē celeriter inſtar glutini librorum.* Quae verba vti inter ſe mirificè cōſonant, ſic Latinis Germani interpretis comparata, non modò ea corrupta eſſe, verum etiam quicquid plus in ipſis legitur, ſuperuacaneū fore monſtrant. Cùm enim aliquis recentior in margine dictionis Far adnotaſſet Farris illius apparatum: forte vel interpres ipſe, vel librarius alter, id totum textui interſerendum exiſtimauit; vnde poſtmodum alia exemplaria tranſcripta, ſimili errore innumera infecerunt. Multos etenim errores in antiquos libros ſimili ratione irrepſiſſe, apud omnes eruditos conſtat. De Palladio autem quod dicūt, ita ſentio: far hordei apud ipſum idem eſſe, quod apud Columellam, à quo omnia illa accepit. Columellam porrò farris nomine saepiſſime pro craſſiore farina vti, ſcire poſſunt, qui octaui eius libri cap. 4. 5. & 11. attente legerunt: quo pacto Varro etiam vſus saepius inuenitur, & praeſertim quando pro turdorum cibis offas modò ex craſſiore, modo ex ſubtiliore farre componi mandat. nam & farinam à farre, quo tercentum annis veteres Romani victitarunt, dictam fuiſſe, teſtatus eſt ex Verrio Plinius lib. 18. poſt quem & Iuuenalis ſimili vocabulo, pro pane ex farina vſus inuenitur Satyra 5.

——cum poſſis honeſtius illic
Et tremere & ſordes farris mordere canini.

Addam his, in Hiſtorijs mirabilibus Apollonij notatum inueniri, Ariſtotelem in Phyſicis quaeſtionibus docuiſſe, eos qui hordeo ſerendo incumbunt, pallidioribus corporibus eſſe, quàm qui tritico

cùm tamen in 21. Prob. ſect. probl. 24. id paullò diuerſius legatur: eos ſcilicet, qui cibos ex hordeo factitant, decoloratiores, & deſtillationibus magis obnoxios eſſe. eos verò, qui ex tritico, meliorem habitum referre. quòd ſicut triticum hordeo facilius coquitur, pariter eam effluxus ab illo in corpus illabentes meliùs conficiantur, & proptereà nec in crudos humores conuertantur, nec ſanguinem corrumpant, quemadmodum vapores ab hordeo effluentes efficere veriſimile eſt.

Locus Ariſtotelis de Melle correctus et expoſitus. Quod mel conſeruet mortua: & alia quaedam. CAP. XXIIII.

VLgarium quorundam iam diu fuit opinio, mellis prouentum maxime praemonſtrari, quando frequentiores arcus caeleſtes apparent. quod probant nonnulli hiſce verbis Ariſtotelis in li. 5. de Hiſt. anim. cap. 12. μέλι δὲ τὸ πίπτον ἐκ τοῦ ἀέρος, καὶ μάλιστα τῶν ἄστρων ἐπιτολαῖς, καὶ ὅταν κατασκήψῃ ἡ ἶρις. Sed ego hãc ſententiã ſemper ſuſpectam habui: proptereà quòd Ariſtoteles eodem in loco ita ſcribens, ἀλλ' αὐχμῶν μὲν ὄντος μέλι ἐργάζονται μᾶλλον, ἐν ὀμβρείαις δὲ γόνον, id clare, affirmat, quod etiam communi ferè omnium experimento conſtat, nimirũ in ſummis ſiccitatibus maiorem mellis ſuper herbas, quas depaſcuntur apes, copiam abundare. Iccirco, quin in Ariſtotelis codicibus impreſſis error aliquis lateat, nemini dubitandum puto: eo magis, quòd in vetuſtiſſimo Scipionis Carteromachi codice, quem mihi opera eruditiſſimi Fuluij Vrſini videre contigit, in hunc modum ſcriptum inueni: καὶ μάλιστα ἐν ταῖς τῶν ἄστρων ἐπιτολαῖς, καὶ ὅταν κατασκήψῃ ὁ Σείριος. Quam lectionem vt vehementer probem, in primis publica fere experientia admonet: deinde Plinij ſcriptoris inter Latinos grauiſſimi auctoritas, qui cum omnia ab Ariſtotele acceperit, ſenſiſſe videtur lib. 11. c. 14. optimum mel Sirio exoriente produci, apparente verò arcu caeleſti, ſi imber non ſequatur, medicamenta oculis & nõnulla fieri. Quid porrò Aſtrorum exortus Ariſtoteli ſignificarent, ſcio alios diuerſa ſentire: mihi verò probatur magis, vt Canem & Procyonem interpretemur: quandoquidem Theophraſtus 1. de Cauſſis plantarum cap. 6. & alibi Canem τὸ ἄστρον per excellentiam vt plerique alij vocaſſe inuenitur. Cùm enim (vt Hipparchus ac Hyginus declarant)

ſidus

ſidus Canis plures ſtellas contineat, quarum vna Sirius vel Canicula nũcupatur: Ariſtotelem id ſignificaſſe arbitror, quòd mel tunc maximè ab aere cadit, quando aſtra, videlicet Procyon, Canis, & praeſertim Sirius, qui Canis ſtella eſt, exoriuntur: eo namque tempore ardere terram, & ſiccitates maiores inſtare, vnde roris mellei vbertas naſcatur, nemo neſcit. Illud verò admiratione dignum eſt, quod Eudoxus Cnidius apud Apollonium refert, in Aphrica quãdam gẽtem eſſe, quae ſupra Sirtes & Carthaginem incolat, Gyzanteres vocata, hancque exerceat artẽ, vt flores iſtis in locis colligat, melque ea copia & qualitate ex ijs conficiat, vt apum aequet mellificium. Multas autem atque omni ex parte homini vtiliſſimas vires à natura obtinuit mel: ſed illa reliquarum praeſtantiſſima putandá, quòd vitia coerceat, nec ſerpere ea patiatur. Qua ex cauſſa etiam exanimum (ſicut Columella lib. 12. tradit) corpus hominis per annos plurimos innoxium conſeruat. Nam Plinius refert, principatu Claudij ſe vidiſſe Hippocentaurum in Theſſalia natũ, ex Aegyptó ad Imperatorem in melle allatum. Ante Plinium verò Xenophon in 5. Graecarum rerum, morem quandoque ſepeliendi mortuos in melle, vt conſeruarentur, extitiſſe tradit: quod in 3. Lucretium intellexiſſe puto, cùm ſcripſit:

Aut in melle ſitum ſuffocari, atque rigere
Frigore, cum in ſummo gelidi cubat aequore ſaxi.

Varro in Sciomachia. *Quare Herclides Ponticus plus ſapit qui praecepit vt comburerent, quam Democritus, qui vt in melle ſeruarent, quem ſi vulgus ſecutus eſſet, peream ſi centum denarijs calicem mulſi emere poſſimus.* Aemilius etiam Probus, ſiue Cornelius Nepos, in Ageſilai vita refert, ipſum inter Cyrenas & Aegyptum ex morbo deceſſiſſe, ibique amicos, quo Spartam faciliùs perferre poſſent, inopia mellis cera circumfudiſſe, atque domum ita incorruptum retuliſſe. Vt hac ratione valeant medici in vſu mellis eſſe audaciores, vbi praeſertim corruptionibus occurrere, atque putredinem compeſcere neceſſarium eſt. Alioqui ſi cum ſiccitate contendatur, detrimentum potiùs quàm commodum mellis vſui ſuccedere, meritò innuit Galenus, dum biliosis, vtpote ſiccis, magno ſtudio eum cauendum praecepit, ſicut & Hippocratis ijſdem cuncta dulcia damnauit.

Locus Theophraſti Apollonio collatus. De Helleboro quaedam. Alter Theophraſti locus non integrè à Plinio expreſſus. CAP. XXV.

THeophraſtus 18.cap.lib.9. de Hiſt.plant. quantum aſsuetudo etiam in medicamentis valeat, declarans, aliquot hominum exempla proponit, qui magna hellebori copia aſſumpta, ob cõſuetudinem neque ſuperiùs neque inferiùs purgabantur: inter alia Eunomum Chium refert viginti duas hellebori potiones in foro vna die hauſiſse, nec quicquam purgatum eſſe: quamquam hoc ab ipſo factum ſubiungit, cum poſt ſeptimã potionem pumicis pulverem aceto ſubactum ad comprimendum hellebori vim bibiſſet. Haec hiſtoria ex ipſomet Theophr. Non parum diuerſa Apollonius in lib. de Mirab. hiſt. refert, hoc pacto: Θεόφραστος ἐν τῷ περὶ φυτῶν ἐν τῇ ἐσχάτῃ τῆς πραγματείας, Εὔνομος (φησὶν) ὁ χῖος ὁ φαρμακοπώλης ἐλλεβόρου πίνων πλείονας πόσεις οὐκ ἐκαθαίρετο, καὶ ποτὲ, ἔφη, ἐν μιᾷ ἡμέρᾳ συνθέμενος τοῖς ὁμοτέχνοις περὶ τούτου, δύο καὶ εἴκοσι πόσεις ἔλαβεν ἐν τῇ ἀγορᾷ καθήμενος, καὶ οὐκ ἐξανίστη ἀπὸ τῶν σκευῶν, τότε δ' ἀπῆλθεν λούσασθαι, καὶ δειπνῆσαι, ὥσπερ εἰώθει, καὶ οὐκ ἐξήμεσεν. τοῦτο δὲ ἔπραξεν ἐν πολυχρονίῳ συνηθείᾳ γεγονὼς, ἀρξάμενος ἀπὸ ὀλίγων ἕως τοσούτων. πάντων δὲ τῶν φαρμάκων αἱ δυνάμεις ἀσθενέστεραι τοῖς συνεθισμένοις, ἐνίοις δὲ, καὶ ἄπρακτοι εἰσίν. id eſt, *Theophraſtus in lib. de Plantis, in poſtrema tractatione, Eunomus (ait) Chius pharmacopola multas hellebori potiones hauriens, non purgabatur: & nonnunquam vna die cum eiuſdem profeſſoribus re compoſita, in foro ſedens, vigintiduas potiones accepit, neque tamen à ſuis vaſis ſurrexit: tum verò abijt lotum atque coenatum, vti conſueuerat, neque euomuit. Hoc autem fecit longa conſuetudine ita paratus, à paucis ſcilicet principio accepto, ſicque ad tot potiones progrediens. Sunt enim omnium medicamentorum vires in conſuetis infirmiores, in aliquibus etiã prorſus inefficaces.* Quae verba libẽter propoſui, vt queant eruditi iudicare, Theophraſti ne vulgaris codicibus, an Apollonij ſcriptis potior fides haberi debeat. Cùm enim Theophraſti mens in eo capite exiſtat, conſuetudinis potentiam demonſtrare: videtur potiùs, ſi ſuam ſententiam tali exemplo confirmare quaerit, voluiſse, Eunomum Chium tot hellebori potiones impune accepiſſe ob conſuetudinem (vt legitur apud Apollonium) quàm quòd pumicem aceto ſubactum potaſſet.

Cur

Cur veteres helleboro, elaterio, ſimilibusque vehementiſſimis medicamentis adeò frequenter atque audacter vterentur, inopiam leuiorum pharmacorum, qua laborabant, in cauſſa extitiſse, putarunt multi. Ego verò non tam eorum conſilium huic adſcribo, quàm quòd (vt Galenus in libris de Artic. memorat) huiuſcemodi pharmacorum praeparationes varias ac tutas habebant, quas poſteros edocere neglexerunt: niſi potiùs eorum commentarijs careamus: vt contingit de lib. Hellebori Hippocr. cuius principium dumtaxat habetur. Praetereà linimentis, balneis alijsq; extrinſecis (vt notat Oribaſius) remedijs admiſcebãt, quae vt ſine noxa hominũ corpora purgabant, ſic quoque iucũditatem maiorem vel ſaltem moleſtiam minorem afferebant. His autem temporibus nihil penè huiuſce generis notum eſt: & iccirco non eſt mirum, ſi dum medicamenta leuiora ſectari ſtudemus, valentiora dimittentes, in curandis aegris ab antiquioribus tum in celeritate, tum etiam in ſecuritate non raro ſuperamur. Ita ſanè interpretor Plinij ſentẽtiam, qui helleborum ſcribit quondam terribile, poſteà tam promiſcuum effectũ, vt plerique ſtudiorum gratia ad peruidenda acriùs, quae cõmentabantur, ſumptitarent. An venenis edendis ita quoque poſſint homines aſsueſieri, vt ab illis non laedantur, dubium eſt. Multi grauiſſimi auctores id fieri poſse exiſtimarunt: ſed Auerroes, auctor in perſcrutandis rerum cauſſis acutiſſimus, in libro ſuo de Theriaca, talem ſentẽtiam acriter cõfutauit. Hìc ſubiungendus alter Theophraſti locus à Plinio non integrè expreſsus. Is enim libro de Lapid. in hunc modum ſcribit: ἀνακεῖσθαι καὶ ἐν τῷ Διὸς ὀβελίσκῳ σμαράγδους, τέτταρας, μῆκος μὲν τετταράκοντα πηχῶν, εὖρος δὲ τῇ μὲν τέτταρας, τῇ δὲ δύο. id eſt: *In Iouis obeliſco quatuor ſmaragdos fuiſſe poſitos, longitudinis quadraginta cubitorum, latitudinis verò in vna parte quatuor, in altera duorũ:* haec Theophraſtus. At Plinius ipſum citans, ſic ait 37. lib. cap. 5. *Et fuiſſe apud eos in Iouis delubro obeliſcum è quatuor ſmaragdis, quadraginta cubitorum longitudine, latitudine verò in vna parte quatuor, in altera duorum.* Mihi ſanè rationabilius videtur, in obeliſco fuiſse ſmaragdos arte infixos, quàm totum obeliſcum ex ſmaragdis conſtructum eſſe.

Locus Hippocratis de Hippace Herodoto collatus. De Lactis coagulatione. Cteſiae locus de Radice vinum coagulante. Muria dura, & Marinae vſus. CAP. XXVI.

Vetuſtiſſimus auctor Hippocrates in lib. de Aere aqua & locis, Scytharũ mores varios enarrans, inter caetera eos equino lacte Hippace vocato victitaſſe refert. Quomodo autẽ Hippacem eae gẽtes conficerent, in 4. de Morbis hac oratione edocet: ἔοικε δὲ τοῦτο, ὥσπερ οἱ Σκύθαι ποιοῦσιν ἐκ τοῦ ἱππείου γάλακτος. ἐγχέοντες γὰρ τὸ γάλα ἐς ξύλα κοῖλα, σείουσι. τὸ δὲ ταρασσόμενον ἀφρέει, καὶ διακρίνεται, καὶ τὸ μὲν πῖον, ὃ βούτυρον καλέουσιν, ἐπιπολῆς διΐσταται, ἐλαφρὸν ἐόν. τὸ δὲ βαρὺ καὶ παχὺ κάτω ἵσταται, ὃ καὶ ἀποκρίναντες ξηραίνουσι: ἐπὴν δὲ παγῇ καὶ ξυρανθῇ, ἱππάκην καλέουσιν. id eſt: *Aſsimilatur verò hoc illi, quod Scythae ex equino lacte parant. Nam lac vaſis ligneis inijcientes conquaſſant: quaſſatum ſpumeſcit atque diſſeparatur: & id quod ſuperficiei ſupernatat, Butyrum appellant, veluti leue quoddam: quod autem infrà ſubſidet graue, ſegregantes exiccant, & poſtquam concreuerit, Hippacem vocant.* Hanc eandem rem quoniam Herodotus Hippocratis coaetaneus in 4. diuerſo quodã & latiori modo exponit, eius quoque verba ſubnectam: αἱ γὰρ τῶν Σκυθέων γυναῖκες, ὥς σφι ἄνδρες ἀπῆσαν χρόνον πολλόν, ἐφοίτεον παρὰ τοὺς δούλους. τοὺς δὲ δούλους οἱ Σκύθαι πάντας τυφλοῦσι, τοῦ γάλακτος εἵνεκεν, τοῦ πίνουσι, ποιεῦντες ὧδε. ἐπὰν φυσητῆρας λάβωσι ὀστεΐνους, αὐλοῖσι προσεμφερεστάτους, τούτους ἐσθέντας ἐς τῶν θηλέων ἵππων τὰ ἄρθρα, φυσῶσι τοῖσι στόμασι, ἄλλοι δὲ ἄλλων φυσεόντων ἀμέλγουσι. φασὶ δὲ τοῦδε εἵνεκα τοῦτο ποιέειν, τὰς φλέβας τε πίμπλασθαι φυσωμένας τῆς ἵππου, καὶ τὸ οὖθαρ κατίεσθαι. ἐπ᾽ ἐὰν δὲ ἀμέλξωσι, τὸ γάλα ἐγχέαντες ἐς ξύλινα ἀγγήϊα κοῖλα, καὶ περιστήσαντες μετὰ τὰ ἀγγήϊα τοὺς τυφλοὺς, δονέουσι τὸ γάλα. καὶ τὸ μὲν αὐτοῦ ἐπιστάμενον ἀπαρύσαντες ἡγέονται εἶναι τιμιώτερον, τὸ δὲ ὑπιστάμενον ἧσσον τοῦ ἑτέρου. id eſt. *Vxores namque eorum in diuturna virorũ abſentia ad ſeruos acceſſerant viſu orbatos. Orbant autem Scythae ſeruos omnes lactis gratia, quod potant, ita id facientes. Sufflatoria oſſea fiſtulis ſimillima ſumuntur, eaque genitalibus equarum impoſita ore inſlantur: hoc alijs facientibus, alij equas emulgent. Hoc ideò ſe facere aiunt, quòd venae equarũ ſufflatae implentur, & mammae deſcen-*

deſcendunt. Poſteaquàm emulxere lac, in concaua vaſa linea diffundunt. His circumpoſiti caeci lac agitant, cuius, quod ſummum eſt, delibatur, precioſiusque habetur: vilius autem, quod ſubſidit. Ratio autem, qua ſeruos occaecarent Scythae, nulla alia fuit, niſi ne fugā capere poſſent, ſiquidem cùm in hunc vnum faciendi lactis vſum eos adhiberent, oculi ipſorum non erant neceſſarij, vt ideò poſsent ſine detrimento, ne fugitarent, ſeipſos exoculatione ſecuros reddere. Itaque ex praedictis perſpectum habetur, praeter coagulum, & ſuccos diuerſos, nobis experientia notos, quendam alium condenſandi caſei modum antiquos cognouiſſe; medicos autem ſolos fuiſse, vt 4. Meteorolog. capit. 3. ſcribit Ariſtot. qui coaguli opera lac in caſeum condenſarent, forſan quòd ſic purior & valetudini accommodatior euadat: cùm qui alijs rebus commixtis efficitur, earum qualitates imbibere neceſse habeat. Nam & Hippocrates loco citato Ariſtotelis ſententiam ratam facere videtur, cùm ipſe medicus coaguli ſic mentionem faciat: ἔοικε δὲ τοῦτο τὸ πάθος γάλακτι, ἐπὴν τὶς ὀπὸν ἐμβάλλῃ ἐς τὸ γάλα, ψύξις γινομένη ἐπ᾽ αὐτῷ γάλακτι συνεπάγνυε τὸ γάλα, καὶ ὁμοῦ ἐποίησεν. id eſt: *Similis eſt haec affectio lacti: quando quis ſuccum lacti iniecerit, frigiditas ipſi lacti inducta id condenſat, atque vnit.* Quamquam poſset aliquis ſuſpicari, nomine ὀποῦ, intellexiſse Hippocratem ſuccum ficulnum, vt ſaepè notatum eſt apud auctores, & praeſertim poetas Graecos. Hippicem quoque herbam deſcribit Plinius lib. 25. cap. 8. quam in ore habētes, famē ſitimque non ſentire, & ob id Scythas illa etiam in duodenos dies durare in fame ſitique tradit. An verò ſit herba Hippice Plinij, cuius meminit Theophr. 9. de Hiſt. plant. 13. his verbis, διὸ ταύτῃ τε, καὶ ἱππάκῃ διάγειν φασὶ τοὺς Σκύθας ἡμέρας, καὶ ἕνδεκα, καὶ δώδεκα, vt credidiſse videntur Hermolaus & Gaza, qui ἱππάκη vocem tranſtulit Equeſtri: an verò caſeus equinus, ſicut Turnebus in annotationibus in lib. Theoph. de Odoribus in hoc Plinium reprehendens, exiſtimauit: non ita facilè auſim affirmare. Certè Theophraſtus aliquid miri de Scythis dicere voluiſse videtur. Atqui eos duodecim dies ea radice & caſeo equino viuere conſueuiſse, nullam admirationem habet: quando ferunt, Zoroaſtrem interdum ſolo lacte ſex menſes tranſegiſse, quod de quodam alio narrat Athenaeus: immò ipſemet Hippocrates, atque Herodotus videntur innuiſse, plurimam temporis partem ſolo caſeo equino Scythas victitaſse. Igitur quin Turnebo diſcors ſim, hactenus facere nequeo. An verò ope caloris an frigoris ſemper lacti coagulatio accedat, dubitari meritò poſſet: ſed cùm à rebus diuerſis facultatibus praeditis hanc operatio-

nem

nem naſci conſtet, ab vtraque cauſſa proficiſci autumo, calore ſeroſum humorem exſugente, frigore terrenum condenſante, atque ab aqueis partibus ſegregante ſic, namque cynara, gallinae ingluuies; τρόλοϐος ab Ariſt. vocata, Cnicus (quod tradit Alexander Probl. auctor) coagulare conſpiciuntur. Auenzoar quoque lib. 1. tract. 15. cap. 5. myrobalanos ad lac coagulandum experientia inuentos eſſe optimos, etſi Galenus id ignorauerit, teſtatur. Illud mirum, quod à Cteſia ſcriptis mandatum eſt, radicem quandam apud Indos haberi, quae aquae aut vino parua menſura immiſſa, ita cōdenſat, vt manu veluti cera teneri ac tractari queant: quemadmodum item de aquifoliae arboris flore aquam glaciante, & coriaceſia calliciaque idem operantibus, ex Pythagorae auctoritate tradit Plinius lib. 24. cap. 13. & 17. Id autem efficere vim radicis mirificè exſiccatoriam ac frigidam, propterea exiſtimo quoniam Ariſtoteles ſcriptor grauiſſimus, in 4. Meteorol. lib. aquam, ſerum, & vrinam ſolo frigido ſicco concreſcere prodit: vbi etiam ſcribit, Arcadici quoddam vini genus eſſe, quod à fumo in vtribus ſiccatum adeò conſpiſſatur, vt gladijs abraſum bibatur. Cur itaque apud Scribonium Largum alioſque ſcriptores pro Muria dura non eam intelligamus, quae vi ſolis vſque adeò craſſefacta ſit, vt alterius liquidioris reſpectu dura quodammodo appareat? Certè Turnebus, alioquin oculatiſſimus, ſi Columellam in lib. 12. vbi muriae durae conficiendae rationem edocet, attentè lectitaſſet, non ipſi neceſſe fuiſſet eius etymologiam nimis ſubtiliter inueſtigare: ſed ſtatim intellexiſſet, maiores noſtros plures murias habuiſſe, & inter alias vnam, quam & copia ſalis & calore ſolis conſpiſſatam, vt à reliquis ſepararent, duram nuncupare voluerunt, quave etiam oliuas albas condiri conſueuiſſe innuit Celſus in 2. lib. Nam columella idem lib. 7. cap. 4. caeleſtis aquae ſub dio ſolibus duratae ad pecoris ſcabritiem curandam meminit. Mentionem quoque facit Celſus lib. 2. cap. 30. aquae durae quam difficulter putreſcentem exponit. Ad haec marinam aquam ad profligandos varios morbos tam intus quàm extra in vſum receptam ab antiquis inuenio; qua ſacerdotes Aegyptios Euripidem, illuc cum Platone appulſum, & morbo correptum, curaſſe memorat Laertius: vnde is quaſi remedio gratiam redditurus, verſiculum decantatum omnibus fecit:

Θάλασσα κλύζει πάντα τ' ἀνθρώπων κακά.

Sententia Plinij defenditur de Lino viuo, et ex alijs cõprobatur. Quid ſit Scribonio Foeniciũ. CAP. XXVII.

EX Cyprio lapide, quem Amiantum alij nominant, telas et vela ſpectaculi gratia maiores texiſſe, quæ ignibus iniecta arderẽt quidẽ, ſed flãmis inuicta & ſplẽdidiora exirent, Dioſcorides ſcripſit. Hũc ꝙ Plinius crediderit ac appellarit Linũ viuũ & inextinguibile, nõ erat à quibuſdã recẽtioribus dãnandus, quandoquidẽ Pauſanias ante ipſum Carpaſium linum, Strabo Caryſtium vocarant, quẽ Solinus Carbaſum, Zoroaſter Boſtrychitem, quidam Corſoydem, alij Poliam, alij Spartopoliam, vulgares Pulueres ſalamandrae aut Alumen ſciſſile falsò dixere. Et huiuſce generis lino mappas etiam factitatas, quae igni immiſſae, vt aliae aqua lotae, à ſordibus mũdabantur, praeter Plinium Apollonius quoque auctoritate Taci, in lib. Mirab. hiſt. hunc in modũ teſtatur. Τάκος ἐν τῷ περὶ λίθων, ὁ καρύστιος (φησὶν) λεγόμενος λίθος ἐπιφύσεις ἔχει ἐριώδεις, καὶ χνοώδεις, ἐξ οὗ νήθεται καὶ ὑφαίνεται χειρεκμαγεῖα· στρέφουσι δὲ ἐξ αὐτοῦ καὶ ἐλλύχνια, καὶ ἔστι καιόμενα λαμπρὰ, καὶ ἀκατάκαυστα. τῶν δὲ ἐκμαγείων τῶν ῥυπαινομένων ἡ πλύσις γίγνεται οὐ δι' ὕδατος ἀλλὰ κληματὶς καίεται, καὶ τότε τὸ ἐκμαγεῖον ἐπιτίθεται, καὶ ὁ μὲν ῥύπος ἀπορρεῖ, αὐτὸ δὲ λευκὸν καὶ καθαρὸν γίνεται ὑπὸ τοῦ πυρὸς, καὶ πάλιν εἰς τὰς ἐγχρήζει χρείας. τὰ δὲ ἐλλύχνια μένει τὸν ἅπαντα χρόνον ἀκατάκαυστα καιόμενα μετ' ἐλαίου. δοκιμάζει δὲ, καὶ τοὺς πτωματιζομένους ἡ ὀσμὴ τοῦ ἐλλυχνίου καιομένου. γίγνεται δὲ ὁ λίθος οὗτος καὶ ἐν Καρυστῷ μὲν, ἀφ' οὗ καὶ τοὔνομα ἔλαβεν, πολὺς δὲ ἐν Κύπρῳ, καταβαινόντων ἀπὸ τοῦ Περάνδρου ὡς ἐπὶ Σόλους πορευομένοις ἐν ἀριστερᾷ τοῦ Ἐμαίου, ὑποκάτω πετρῶν, καὶ κατὰ πανσέληνον αὔξεται, καὶ πάλιν φθίνοντος τοῦ σελήνου μειοῦται καὶ ὁ λίθος, id eſt: *Tacus in lib. de Lapidibus, Lapis (ait) Caryſtius dictus habet adnata quaedã lanuginoſa & colorata, ex qua materia nentur ac texuntur mantilia; ex eadẽ & fila pro lucernis torquẽtur, ſuntq. dũ vruntur ſplendida atq. incremabilia. Porrò ſordes mantilium non aqua eluuntur, ſed clematis vritur, atq. ei mappa imponitur, unde ſordes omnis effluit, ipſaq. mappa igne alba atq. pura redditur, rurſumq. in vſum adhibetur. Funiculi autẽ lucernarum ex ipſo facti, vſti cũ oleo, nullo vnquã tẽpore conſumuntur. Atq. harum lucernarum odore deprehenduntur, qui morbo caduco vexantur. Gignitur verò huiuſcemodi lapis tum in Caryſto, à quo nomen ſumpſit; tum copioſius in Cypro, quà à Perandro Sobolos verſus iter deorſum ducit, ad laeuam Elmaei, infra rupes; augeſcit circa plenilunium, rurſumq. luna decreſcente minuitur.* Ex quibus manifeſtè colligitur, lapidẽ ſiue linum Cyprium, nõ tantùm ſpectaculi gratia,

verumetiam ad mappas ad mantilia cōficienda, vt quoque Plinius meminit, vſurpatū eſſe; quē vſum Dioſcoridem ſanè latuiſſe, nemo dubitet; fortaſſe ꝙ illius tēpeſtate, vel potiùs in regionibus ſuis minimè amiantū in id adhiberetur. Ad hunc locū faciunt & illa, quae Plutarchus ſcripſit in lib. de Defectu oraculorū: vbi flumina, fontes, metalla, aliasq. plurimas terrae vires, aliquando deficere oſtendēs, idem eueniſſe ſcribit, lapidi Caryſtio, ſub hiſce verbis: καὶ μετάλλων τὰς μὲν ἐξαμαυρώσεις γεγονέναι καὶ ἀσβέσεις, ὡς τῶν περὶ τὴν Ἀττικὴν ἀργυρείων, καὶ τῆς ἐν Εὐβοίᾳ χαλκίτιδος, ἐξ ἧς ἐδημιουργεῖτο τὰ ψυχρήλατα τῶν ξιφῶν, ὡς Αἰσχύλος εἴρηκε, λαβὼν γὰρ αὐτόθηκτον Εὐβοϊκὸν ξίφος: τῆς δὲ ἐν Καρύστῳ πέτρας χρόνος οὐ πολὺς ἀφ' οὗ πέπαυται, μηρύματα λίθων μαλακὰ νηματώδη συνεκφέρουσα. καὶ γὰρ ὑμῶν ἑωρακέναι τινὰς οἴομαι χειρόμακτρα, καὶ δίκτυα, καὶ κεκρυφάλους ἐκεῖθεν οὔτε περικαιομένους, ἀλλ' ὡς ἂν ῥυπανθῇ χρωμένων ἐμβάλλοντες εἰς φλόγα λαμπρὰ καὶ διαφανῆ κομίζονται, νῦν δὲ ἠφάνισται, καὶ μόλις οἷον ἶνες ἢ τρίχες ἀραιαὶ διατρέχουσιν ἐν τοῖς μετάλλοις: id eſt: *Metallorum quoq. nonas haud mirū extinctiones factas, quemadmodū argēti apud Atticam regionē, atq. chalcitidis, in Euboea, ex qua aquae frigore tinctos enſes fieri ſolitum teſtatur Aeſchylus his verbis: Capiens enim Euboicum enſem acie rigentē. Petrae autē in Caryſto iā diu eſt quod vena deſijt glomos lapideos molles ferre, ex quibus fila nebantur. Nonnullos enim veſtrûm mantilia, plagulas, retia ex illa materia cōtexta aſpexiſſe puto, quae nō comburuntur, ſed vſu ſordida effecta in flamma conijcitur, atq. inde lucida et ſplendida efferunt. nunc autē euanuit, vixq: in metallis rarae veluti fibrae ac pili intercurrunt.* Laborauit Turnebus, vt quid Scribonio Foenicium ſignificaret, apertum faceret, ſed quis nō videt, ea verba in 267. ſic legi debere. Secundū quae adijcitur crocum tritū ex aceto, deinde myrrha trita per ſe aſpergitur, vltimū nitrū, & Aſius lapis, phoenicio inducitur. Marcellus enim, qui Scribonium tranſcripſit, c. 35. idē malagma deſcribēs, ſic ea verba refert: Secundū quae adijcitur crocum tritū ex aceto, deinde myrrha trita aſpergitur, vltimū nitrū, & Aſius lapis additur. Ea verò vltima duo verba, Phoenicio inducitur, arbitror ſic intelligendum, ꝙ malagma ſuper pannū vel corium purpureum, dū poſtulat vſus, duci debeat, atque ita loco patienti apponi: corij phoenicij mentio eſt apud Plautum in Pſeudolo. Nā & Marcellus & Scribonius alia huiuſcemodi emplaſmata memorant, quae pannis ſuperinducta aegrotantibus membris applicabantur, In 37. capite Marcelli: De lapide Sarcophago, Vnciā vnā tundes, & cribrabis, & ex aqua tepida permiſcebis, atq. in pannum inductum impones pedibus, & alligabis.

Finis Libri Secundi.

HIER. MERCVRIALIS

VARIARVM IN MEDICINAE Auctoribus, & alijs Lectionum.

Liber Tertius.

Loca Oribaſij ex Stobaeo reſtituta.
CAPVT I.

ORIBASIVS, qui multa veterum medicorum ſcripta collegit, cuique ob hanc cauſſam medici omnes plurimum debent, in 9. Collect. ſuorum libro, nonnulla ex Antyllo de aere profert: quae quoniam apud Stobaeum diuerſo ſatis modo leguntur, hic lectoribus proponere volui. Ea igitur quæ in cap. 4. Oribaſij ſcripta habentur, ſic apud Stobaeum ſerm. 99. leguntur: ἡμέραν λαμβάνομεν σὺν νυκτί. ἀναλογίαν δὲ αὐτὴν ἔφαμεν ἔχειν τινὰ πρὸς τὸν ἐνιαυτόν, καθάπερ Ἱπποκράτης ἐν τῇ δευτέρῃ τῶν ἐπιδημιῶν ἐπεσημήνατο. ἔστι δὲ ὁ μὲν ὄρθρος ὑγρὸς καὶ θερμός, ἔαρι ἐοικώς. διὰ τοῦτο οἵ τε ὕπνοι διηνεκεῖς, καὶ τὰ σώματα ἀνεῖται καὶ τὰ τῶν νοσούντων, ὥστε καὶ τοῖς πυρέσσουσιν κουφότατον εἶναι τὸν δὲ τὸν καιρόν. ἀναθυμιάσεις δὲ ἄνεισι περὶ τὸν ὄρθρον, καὶ αὖραι ποταμῶν ἀποπνέουσιν ὑγραί, καὶ δρόσος ἐπιπίπτει, ἄνθη ἀναβαίνει, καὶ πάντα τὰ ἐκ τῆς γῆς φυόμενα ἀνίησιν, ἔαρι τῆς καταστάσεως τῆς ὀρθρινῆς ἐοικυίας. τὰ δὲ μέσα τῆς ἡμέρας θέρει παρείκασαι. τὰ δὲ κατὰ τὴν δείλην φθινοπώρῳ: διὰ τοῦτο βαρῶν, καὶ δυσαρεστημάτων οἰστικά, νοσερῆς οὔσης τῆς δείλης, ἀνάλογον φθινοπώρῳ. τῆς δὲ νυκτὸς τὰ μὲν πρῶτα, καὶ τὰ περὶ τὴν ἑσπέραν, ὅμοια τῇ δείλῃ. ἐντεῦθεν οὔτε ὕπνου ἐπιτρέπομεν τοῖς κάμνουσι περὶ τὴν ὥραν, οὔτε ποτὸν προσφέρομεν, οὔτε ἄλλο προσάγομεν βοήθημα, εἰ μή τι ἕτερον προκαλοῖτο, ὑποψόμενοι τὸν καιρὸν τοῦτον, ὥσπερ καὶ τὸν δειλινόν. τὰ δὲ μέσα τῆς νυκτὸς χειμῶνι ἐξείκασαι· πλεῖστον γὰρ τότε

ὁ ἥλιος, καθάπερ καὶ ἐν χειμῶνι, ἀφέστηκεν ἡμῶν. αὔτε οὖν ὀδύναι τοῖς νοσοῦσιν ἰσχυρότεραι τῆς νυκτὸς εἰκότως, διὰ τὸ ψύχος πυκνουμένης τῆς ἐπιφανείας, καὶ ἀπολαμβανομένης τῆς κατὰ τὸ ἄδηλον διαπνοῆς. καὶ τὰ ῥεύματα δὲ, καὶ τὰ τῶν ὀφθαλμιώντων, καὶ τὰ τῶν δυσεντερικῶν, καὶ κοιλιακῶν, καὶ τὰ αἱμαχτικὰ, ἀπὸ τῆς αὐτῆς προφάσεως ἐπιγίνεται, πάντες τοῦ εἰωθότος ἀπιέναι κατὰ τὸ ἀφανὲς εἰς ἕνα τόπον συνωθουμένου τὸν ῥευματιζόμενον. τὰ δὲ τελευταῖα τῆς νυκτὸς διὰ τὴν πρὸς τὸν ὄρθρον γειτνίασιν τῆς αὐτῆς ἐκείνῳ κράσεως μεταλαμβάνει. Ea verò in Latinis codicibus hunc in modũ reſtituenda erunt; *Diem vnà cum nocte modo intelligimus, eumque anno ſimilem eſſe pronunciamus, quemadmodum Hippocrates in ſecundo Epidem. ſignificauit. Matutinum enim tempus humidum calidumq. eſt veri ſimile; quamobrem ſomni puri, & corpora tam ſanorum quam aegrotantium recreantur. Ex quo fit, vt febricitantes hac hora placidiſsimè degant: nam exhalationes mane diſſoluuntur, & humidae fluminum aurae reſpirant, & ros cadit, flores exurgunt, omniaq. è terra orientia attolluntur: nimirùm matutina conſtitutione veri ſimili exiſtente. Meridies autem aeſtati comparatur. Pars verò quae ad occaſum pertinet, autumno: propter hoc grauitates ac faſtidia infert, quippe cùm occaſus morboſus ſit. Noctis verò pars prima, et quae circa veſperam eſt, occaſui ſimilis eſt, eo tempore neque ſomnũ aegroto ſuademus, neque potum damus, neque vllum aliud auxilium adhibemus, niſi quid aliud admoneat: quod facimus, veluti illud tẽpus aequè ac tempus occaſus vereamur. Mediae noctis tempus hiemi comparatũ eſt, ſiquidem tum ſol primum à nobis, vt hibernis diebus, diſtat. Ergo dolores nocturno tempore vehementiores ſunt, idque meritò, cùm nox ſuo frigore extremam cutim denſet, & perſpirationem, quae clàm in corporibus fit, intercipiat: & defluxiones, tum eorum qui lippitudine laborant, tum eorum, quos tormina inteſtinorum exercent, tum eorũ qui Coeliaci nominantur, tum eorũ quibus ſanguis fluit, ab hac eadem cauſſa promouentur, cùm ij, qui defluxionibus correpti ſunt, id totũ, quod clàm ferri conſueuit, vnum in locum amandent. Vltima noctis pars, propterea quòd matutino tẽpori propinqua eſt, eiuſdem cum eo temperamenti eſt particeps.* In eodem ſimiliter lib. 11. quae ſcribuntur, ita Stobaeus refert: οἱ ὑψηλοὶ τῶν τόπων ὑγιεινότεροι. τοῦ ἀέρος ἐν αὐτοῖς μὴ μένοντος, ἀλλὰ περιεχομένου, καὶ ἀπὸ τῶν ἀνέμων συνεχὲς ἀπωθουμένου. εὔπνοοί τε δὴ, καὶ διαθέσεσι πάσαις ἐπιτήδειοι, τοῖς περὶ θώρακα καὶ κεφαλὴν πεπονθόσι, καὶ τοῖς ἀσθενικοῖς πᾶσιν. οἱ δὲ ταπεινοὶ τοῖς μὲν προειρημένοις ἀνάρμοστοι, διαφορουμένοις δὲ, ἢ καὶ συγκοπτομένοις ἐπιτήδειοι, καὶ γέρουσι δὲ ἁρμόζουσι μᾶλλον τῶν ὑψηλῶν. οἱ δὲ παραθαλάττιοι τόποι τοῖς τε ὑδρωπικοῖς, καὶ τοῖς ὑπὸ ῥεύματος ὅτι σιτίων ἐνοχλουμένοις ἁρμόδιοι, καὶ ὅπου διαμύξαι, ἢ θάλψαι, ἢ ἀναστομῶσαι:

ἀγαθοὶ δὲ καὶ νευρικοῖς ἢ ἀρθριτικοῖς πᾶσιν, ἐπιτήδειοι δὲ, καὶ εἰς ὄρεξιν κακωμένοις, οἱ δὲ μεσόγειοι ψυχρότεροι τῶν παραθαλαττίων, καὶ πρὸς μὲν τὰ ὀξέα νοσήματα, ἐάν γε μὴ ἑλώδεις ὦσι, μηδὲ κοῖλοι, κρείττους τῶν παραθαλαττίων, πρὸς δὲ τὰ χρόνια χείρους. οἱ δὲ ἑλώδεις κακοὶ μὲν ἀεὶ, θέρους δὲ, καὶ λοιμώδεις, πετρώδεις θέρους μὲν πνιγώδεις, χειμῶνος δὲ χαλεπῶς ψυχροὶ, οὐ φαῦλοι δὲ πρὸς ὑγείαν. οἱ δὲ παραποτάμιοι, ψυχροὶ καὶ ἀνώμαλοι, ἀτροφίαις μόναις ἐπιτήδειοι ταῖς δι' ὑγρότητα συνισταμέναις. χείρους δὲ τούτων οἱ τελματώδεις. οὐ γὰρ μόνον φαῦλον τὸν ἀέρα κατασκευάζουσιν, ἀλλὰ καὶ τοὺς καρποὺς κακίους, στόμαχόν τε λυμαίνονται, καὶ τὰ σπλάγχνα σκληροῦσι, καὶ καχεξίας καὶ κακοχυμίας καὶ ὕδρωπας ἀποτελοῦσι, κακοὶ δὲ καὶ οἱ πρὸς μετάλλοις τισὶν ὑφεστῶτες: ξηροὶ γὰρ, καὶ πνιγώδεις, οἱ δὲ βαθύγειοι εὐχυμώτεροι ὄντες, ταῖς ξηροτέραις ἁρμόζουσι διαθέσεσιν. οἱ δὲ ἀργιλλώδεις διαλυτικοὶ τοῦ στομάχου, ἔκλυτον ἔχοντες τὴν ἀναθυμίασιν. οἱ δὲ πυρόγειοι ξηραντικώτεροι τούτων. οἱ δὲ μελάγγειοι πάντες ἄριστοι. Sic verò Latinè interpretãda sũt: *Loca ſublimia ſaluberrima ſunt, cùm aer in eis non ſit permanens, ſed perfundatur, & à ventis continenter exagitetur; tumq. rectè perſpirentur, omnibus thoracis affectionibus erunt accõmodata, & capiti laboranti, & omnibus ſenſuum inſtrumentis conuenient. At loca humilia antè dictis non ſunt idonea: ijs verò qui per halitum digeruntur, qui in ſyncopas cadunt, & ſenibus, magis quàm ſublimia apta ſunt. Loca verò maritima hydropicis, & quibus quaeuis defluxio moleſta eſt, accommodata ſunt, itemque vbi detergendum, aut calefaciendum, aut aperiendum eſt, conueniunt; ſed proſunt etiam omnibus ijs, qui neruorum & articulorum doloribus torquentur. Iam deprauatis quoque appetitibus proſunt. Mediterranea verò ſunt maritimis frigidiora: caeterùm ad morbos acutos, ſi neque paluſtria, neque caua fuerint, ſunt maritimis accommodatiora; ſed ad morbos diuturnos ineptiora. Stagnantia cùm ſemper ſunt in vitio, tum verò etiam aeſtate ſunt peſtilentia; Petraea aeſtate quidem ſuffocant, hieme verò moleſta frigora faciunt, neque tamen ſanitati incommodant. Quae verò ſunt prope flumina frigida ac inaequalia exiſtunt, ſolis atrophia ob humiditatem laborantibus accommodata. Hiſce peiora habentur lutulenta: quoniam non ſolùm aerem prauum, ſed & fructus deteriores reddunt, ſtomachum corrumpunt, viſcera indurant, malos habitus, cacochymias, & hydropas pariunt. Praeterea quae metallis propinqua ſunt, mala itidem exiſtimantur, ſiquidem ſicca ſunt, & ſuffocantia. Quae verò ſub terra ſunt, ſi boni ſucci fuerint, ſiccioribus affectionibus apta cenſentur, Argilloſa verò robur diſſoluunt, cum exhalationem habeant, in qua exſoluendi vis ineſt. Rufa maiore exſiccandi vi, quàm quae nunc diximus, ſunt praedita: nigra verò omnibus bonitate longè praeſtant.*

De Cyphoide, & Cyphi, Galeni, Plutarchi, & Herodoti loca collata, emendata, & explicata, De verbo ταριχεύειν, *in condiendis corporibus mortuis vſurpato.* C A P. I I.

EX praeclariſſimis, quas ad varia morborum genera reliquit Andromachus, cōpoſitionibus, vna fuit pro hepaticis curādis, Cyphoides appellata, cuius Gal. 8. de Comp. med. ſecūdùm loca, mentionē faciens, ſic ab ipſo vocatā ſcribit ob ſimilitudinē illius Cypheos, quod Aegyptij omniū primi inuenere, ac in honorem Deorum quotidie accendere, eiusque vapore templa ſuffumigare conſueuerunt. Cypheos verò cōpoſitionē, etſi Damocrates ex Rufo, in 2. Antidotorū Gal. lib. clariſſimè explicaſſe videatur: nihilominùs & à Plutarcho traditā deſcriptionem proponere gratum futurū putaui, vt vtriſque ſimul conlatis, Galeni hiſtoriae ſplendor & gratia maior addatur. Plutarchus itaq. in libello de Iſide & Oſiride, prope finem, ſic lingua noſtra loquitur: *Cyphi autem temperamentum eſt ex decem & ſex rebus compoſitum, cypero, melle, vino, & vua paſſa, & reſina, & myrrha, & aſpalatho, & ſeſeli, & iunco odorato, & bitumine, & muſco, & lacaphtho (nā vbi Graecè* τρύυ *legendū* βρύε, *&* λαπάθυ) *praeter haec vtraque iunipero, quarum alteram maiorem, alteram minorem vocāt & cardamomo, & arundine. Componunt autem non temerè, ſed recitatis interim, dū ſeplaſiarij temperant, ſcripturis ſacris, Numerus verò tametſi maximè videtur quadratus ex quadrato, & ſolus habere aequalem aequaliter numerū eò, quòd loco aequalē ambitum decenter inducat, minimè eſt nominandus. In hoc autem cooperari oportet inter ſe ſimul plurima, quae cōiuncta ſunt, cùm odoriferas habeāt facultates. Dulcem enim ſpiritum & vtilem emittunt exhalationem, per quam & mutatur aer, & corpus etiam ſpiritu commotū conſtringit, vt & erga nos accommodetur, & temperamentū blandum habeat, et continuas grauesq. curas diuturnas ſine ebrietate relaxat, ac ſoluit, & vim imaginatiuam & inſomniorum capacem veluti ſpeculū laeuigat, ac puriorem reddit, nihilo deteriùs quàm lyrae pulſus, quibus ante ſomnum vtebantur Pythagorici. Odorata enim ſenſum deficientem reuocant ſaepe, rurſus obtundunt & auferunt diffuſis prae tenuitate per corpus humoribus: ſicut & medici nonnulli ſomnū fieri dicunt, cùm cibi exhalatio leniter circa viſcera*

ſcera ſerpens, & blandè attrectans, pruritum quendam facit. Cyphi autem tum potione tum maſſa vtuntur. Potum enim interiora purgare videtur: maſſa verò emollit. Et praeter haec reſina Solis opus eſt, & myrrha, earum plantarum, quae ad Lunam lacrymas emittunt. At inter ea, quae Cyphi conſtituunt, ſunt quae nocte gaudent magis, vt ſunt quaecunque ventis frigidis, & vmbris, & rore, & humoribus nutriri ſolent: quando ſolis quidem lumen vnũ eſt, ac ſimplex, & ſolem Pindarus nullo contradicente dicit per aetherem cerni: ſed nocturnus aer commixtio eſt ac temperamentum multorum luminum, multarumque virtutum veluti ſeminum ex omnibus in vnum ſidus confluentium. Meritò itaque illa, cùm ſimplicia ſint, & ex ſole originem trahant, interdiu, haec verò cùm mixta ſint, & varia qualitatibus, incipiente nocte ſufficiunt. Quemadmodum autem Plutarchus Cypheos potionem interiora purgare ſcribit, ſimiliter quoque dixit Damocrates: τινὲς δὲ καὶ τοῖς ἧπαρ, ἢ τὸν πνεύμονα, ἢ καὶ τί γε ἕτερον σπλάγχνον ἐξηλκωμένοις, πίνειν διδόασιν ὡς δραχμὴν τοῦ φαρμάκου. id eſt: *Quidam autem ijs, qui iecur, vel pulmonem, vel quodpiam aliud viſcus vlceratum habent, drachmam pharmaci bibendam tradunt. Vt inter ipſos conueniat, nõ ſolùm ſuffitu, ſed etiam potu pro medicamento in vſu extitiſſe id mixturae genus.* Quod porrò memoriae mandauit Galenus 3. de Loc. affect. Cypheos odorem, capitis dolorem inducere; id intelligendum eſt de quibuſdam, qui leui qualibet de cauſſa eius partis dolore occupantur, quando praeſertim caput calidum à natura habent, alioquin ſcriptum eſt ab eodem Plutarcho in lib. citato, Ariſtotelem voluiſſe cerebrum ab odoribus maximè recreari: quin ipſemet Gal. 2. de Comp. medic. ſ. l. vbi in febribus humores frigidi dolorem capitis faciunt, frõti illini Cyphi praeſentaneũ remediũ putat, quod cùm tradat Damocrates Aegyptios Dijs quibuſdã in ſacrificio ſuccendere cõſueuiſſe, fit vt credã, de illo Herodotum ſermonẽ facere, quando in 2. lib. eius gentis in ſacrificando ritus enarrans ait. *His actis, reliquum bouis corpus ſtipant panibus puris, & melle, & vua paſſa, & ficis, et thure, & myrrha, atque alijs odoribus: vbi haec infarcerunt, adolent, multum vini oleique infundentes.* Et quoniam de Aegyptijs ſermonem hactenus habui, non omittam notare, apud Herodotũ hoc verbũ ταριχεύειν iccirco vſurpari ſaepiſſimè, in corporum mortuorum cõdituris, quòd cùm plures gens illa haberet modos, quibus mortuos à putredine ſeruarẽt, primus omnium atque etiam frequentiùs à populo vſurpatus fuit, qui ex ſolo cõſtabat ſale. vnde iure cõdire corpora dicebatur ſalire, & condita τεταριχευμένα. Nã ſimpliciora & cuiuis promptiora primò cognita & in vſu poſita fuiſſe, rationi valde conſentaneum eſt.

De turdis Horatij & Martialis defenditur iudicium, & Galeni ſententia improbatur. Modus coquendi phaſianos. Locus Varronis emendatus. CAP. III.

MVlti mirati ſunt, quòd Horatius Flaccus ſcripſerit:

Nil melius turdo, nil vulua dulcius ampla.

idque Martialis confirmarit, dicens:

Inter aues turdus (ſi quis me iudice certet)
Inter quadrupedes gloria prima lepus.

in eamq. venerunt ſententiam, vt veteres tanquam gulae indoctos damnarent. Sed ſi rem hanc exactiùs conſiderare velimus, profectò apparebit haud quaquam malè eos iudicaſſe: Nam quantam nutriendis pinguefaciendisq. turdis maiores operã impenderent, M. Varro in 3. de Re ruſt. lib. & Columella poſteris teſtatum fecerunt: vbi praeter alia innumera circa turdos ſtudia in cibum illis quotidianum offas & ficis & farina aliàs craſſiore aliàs ſubtiliore confarctas, nec non milium cũ aqua copioſa & clara praebitum fuiſse, mõſtrat: vt hac ratione perſuaſum cuique eſse poſſit, aues ſimilibus cibis, aliiſq. curis enutritas, iucundiſſimas euaſiſse, adeò vt ſinguli turdi ternis denariis iure emptitari potuerint, quemadmodũ interdũ tempore ſuo Varro, quotidie aetate ſua factum ſcribit Columella, Atqui tẽporibus noſtris turdorum ſaginandorũ cùm nullus curam gerat, ſed quales capiuntur in coquinas mittantur, neceſse eſt eam in ipſis manducãdis ſuauitatem minùs percipi. Illud ſanè de turdis non parua admiratione me afficit, quomodo Galenus eos & paſserculos duriores eſse cõcoctu perdicibus, attagenis, columbis, gallis, phaſianis, & gallinis ſcripſerit 3. de Alim. fac. Quem locum aliquo mendo ſcatere, poſset quis ſuſpicari, niſi eadem verba apud Oribaſium & Aetium notata haberentur. Cur autem hoc admirer, potiſſimùm in cauſsa eſt, quòd & 7. Methodi, & alibi ex Galeno colligitur, quaecunque magis nutriunt, debere difficiliùs (datis caeteris paribus) à calore naturali cõfici, vnde ſi turdis & paſseribus magis perdices, gallinae, & phaſiani nutriunt, ſuntq. (vt loquitur Celſus) materiae firmioris, par eſt quoque difficiliùs concoqui. Iam verò phaſianos, quos, quãtum ad coctionem ac nutriendi vim ſpectat, gallinis pares, edendi verò ſuaui-

tate

tate ſuperiores facit Galenus, ſolis vaporibus à culinarum magiſtris ob maiorem gulae iucunditatem coqui cōſueuiſſe, apud D. Hieronymum obſeruaui. Is enim in Epiſtola ad Oceanum 83. ſacerdotis munera typicè enarrans, ſic eum depingit: Debere eſſe domū ſuam bene regentem, non vt opes augeat, non vt regias paret epulas, non vt caelatas patinas ſtruat, nō vt phaſiadas aues lentis vaporibus coquat, qui ad oſſa perueniant, & ſuperficiem carnis non diſſoluant artifici temperamento. Hoc etiam pacto ſolitum fructus coqui pro valetudinarijs meminit Galenus 2. de Comp. medic. vbi examinat ſcripta Apollonii ad capitis dolorē ex ebrietate: & Alexander Trallianus lib. 12. cap. de Tertiana, Aethiopas in arenis carnes coquere multorum teſtimonio comprobatum eſt, ob id apud Varronem περιαιρέσεων, ita legendum puto, *neque in puluere libyco, non mythico, coquam carnes, quibus ſatullem corpora, ac famem ventris.*

De Aconiti nomine, ex Antigono, De eodem Athenaei locus emendatus: item alter Theophraſti melius quàm à Gaza interpretatus. De Cicuta quaedam. Error Macrobij. CAP. IIII.

Diu inter auctores diſputatum fuit, à quonam aconiti nomen acceptum eſſet; tandemque potior pars Theophraſto adhaeſit, qui in 9. de Plantarum hiſtoria ſic ipſum vocatū ſcribit, ab Achonis Periandinorū ſiue Mariandinorum (vt quidam corrigendum volunt) pago ad Heracleam Ponti. Theophraſti ſententiam ex Theopompo comprobauit primò Aelius Promotus, cuius verba haec ſunt ex lib. περὶ ἰοβόλων καὶ δηλητηρίων φαρμάκων, qui in Vaticana bibliotheca ſeruatur: τὸ ἀκόνιτον φύεται μὲν ἐν Ἀκόναις, λόφος δὲ ἐστὶν ἐν Ἡρακλείᾳ οὕτω καλούμενος Ἀκόναι, ὡς ἱστορεῖ Θεόπομπος: καὶ Εὐφορίων δὲ ἐν τῷ ξενίῳ ἐστὶ δὲ τὸ ἀκόνιτον ῥίζιον ἀγρώστει δὴ ἐμφερές, ἀπὸ τοῦ τόπου τοῦτο ὄνομα κέκτηται, ὃ καὶ παρδαλιαγχές τινες ὀνομάζουσι, διὰ τὸ τὰς παρδάλεις ἀπογευομένας τούτου πνιγμὸν ὑπομένειν. id eſt: *Aconitum in Aconis quidem naſcitur: mons autem eſt in Heraclea ſic vocatus, vt narrat Theopompus; vt verò Euphorion ſcribit in Xenio, Aconitum radicula eſt gramini ſimilis, à loco huiuſmodi nomen ſortita, quam nonnulli Pardalianchen vocāt, propterea quòd par-*

dali, ſi eam guſtauerint, ſuffocantur. Deinde Antigonus in Collectaneis paradoxis, vbi haec ſcribit, Θεόπομπος δὲ φησὶν ὁ ἱστοριόγραφος τὸ καλούμενον ἀκόνιτον γίνεσθαι μὲν περὶ Ἡράκλειαν τὴν ἐν ταῖς ὀνομαζομέναις Ἀκόναις, ὅθεν καὶ τῆς προσηγορίας τετυχηκέναι· δυναμικὸν δὲ ἐναργῶς ὄν, οὐκ ἐνεργεῖν οὐθὲν, ἂν πίῃ τις πήγανον ταύτην ἡμέραν. ὡς Ἀγαθάρχου τοῦ τυράννου πολλοὺς ἀποκτείναντος φαρμάκῳ, καὶ πειρωμένου λανθάνειν, ὡς ἐγένετο συμφανὲς, τοὺς πλείστους Ἡρακλεωτῶν οὐ πρότερον ἐξιέναι, πρὸ τοῦ φαγεῖν πήγανον. id eſt, *Theopompus verò hiſtoriarum ſcriptor aconitum vocatum circa Heracleam in Aconis vocatis naſci, atque inde nomen habuiſſe narrat: cùm autem magnas vires poſsideat, quicquam non operari, ſi quis eadem die rutam potet. Vnde Agatharcho tyranno multos eo pharmaco tollere, atque latere cupiente: vt primùm res detecta eſt, plurimi Heracleotarum non exibant domo, priuſquàm rutam comediſſent.* Quomodo verò Agatharchus Heracleotas aconito interficeret, Theopompus apud Antigonum clarè non expreſſit: conijci tamen poteſt, occultum aliquem modum habuiſſe, quando ipſe tanto tempore latuit, atque Heracleotae, vt illaeſi euaderent, antequàm è domibus proprijs exirent, rutam bibebant; quaſi nulla vi, aut arte alia ſeſe tueri valerent. Quo in caſu id venenum etiam extimarum partium contactu fortè iugulare potuiſſe crederem, poſtquàm Heracleotae ſtatim extra domos venenum formidabant: ac Theophraſtus & Plinius retulerunt, aconitum θυλήφορον, genitalibus quadrupedum foeminarum ſolummodò inditum, eo die enecare: alijque ſcripſerũt aconitum tam extrinſecus, quàm intrinſecus homini nocere, niſi veriſimilius eſſet Agatharchum eo ſecreto cõponendi aconiti modo ad interimendos Heracleotas vſum, cuius Theophraſtus 6. de Hiſt. plant. cap. 16. meminit; vbi ſecundùm interpretationem noſtram ſic loquitur de aconito: *Petroſis locis maximè gaudet, eo nec oues, nec aliud animalis genus paſcitur. Ad hoc autem vt operetur, quodam modo componi dicunt: nec cuiuſuis eſſe: & propterea cum medici eam ignorent, pro putrefactorio vti; quinimmò nec in vino, nec in mulſo ad quaecunque alia propinatum ullatenus ſentiri. Ita uerò componi, ut quibuſdam ſtatis temporibus ueluti duorum, aut trium, ſexue menſiũ, aut unius anni uel duorum ſpatio, ſuſtollat: atque eos infelicisſimè mori, quibus longiori tempore corpus conſumitur, feliciùs autem, quibus citiùs. Nec ullam eius antidotum ſponte naſcentem (ut audiuimus) inueniri, ſed quaedam auxilia illis, qui acceperũt, eſſe reperta: ſi quidem incolae nonnullos melle, & uino, & ſimilibus, ſed rarò, & cum labore, à morte reuocant.* Haec Theophraſtus. in quibus quot graues errores commiſerit Gaza, cognoſcet, quicunque eius verba & noſtra Graecis conferre

ferre voluerit. Id quod ex Antigono retuli, apud Athenæum quoque 3. Dipnoſ. paullò diuerſiùs legitur, hoc pacto: Εἴτις τούτους ἀπιστεῖ, μαθέτω καὶ παρὰ Θεοπόμπου τοῦ χίου, ἀνδρὸς φιλαλήθους, καὶ πολλὰ χρήματα καταναλώσαντος εἰς τὴν ἐπὶ τῆς ἱστορίας ἐξέτασιν ἀκριβῆς, φησὶ γὰρ οὗτος ἐν τῇ ὀγδόῃ καὶ τριακοστῇ τῶν ἱστοριῶν περὶ Κλεάρχου διηγούμενος τῶν ἡρακλεωτῶν τῶν ἐν τῷ πόντῳ τυράννου, ὡς βιαίως ἀνῄρει πολλούς, καὶ ὡς τοῖς πλείστοις ἐδίδου κώνειον πίειν. ἐπειδὴ οὖν, φησί, πάντες ἔγνωσαν τὴν τοῦ φαρμάκου φιλοτησίαν, οὐ προῄεσαν τῶν οἰκιῶν πρὶν φαγεῖν πήγανον: τοῦτο γὰρ τοὺς προφαγόντας, μηδὲν πάσχειν πίνοντας τὸ ἀκόνιτον; ὃ κληθῆναι φησί, διὰ τὸ φύεσθαι ἐν τόπῳ, Ἀκόναις καλουμένῳ, ὄντι περὶ τὴν Ἡράκλειαν. id eſt, *Si quis fidem his adhibere non vult, apud Theopompum Chium diſcat, hominem veritatis amantiſſimum, quiq. in exacta hiſtoriarum cognitione comparanda multum pecuniarum conſumpſit. Hic enim in 38. Hiſtoriarum libro ſermonem faciēs de Clearcho Heracleotarum in Ponto tyranno, vt vi multos ſuſtulit, & vt plurimis aconitum potu dedit; Poſtquàm, ait, omnes pharmaci in potu faciendam à rege inuitationem cognouerunt, haud priùs domo exierunt, quàm rutam comederent; eò quòd nil ab aconito lædantur illi, qui priùs hanc potarint. Aconitum vocari ſcribit à loco circa Heracleam Aconis appellato.* Sed vbi apud hunc habetur, ἐδίδου κώνειον πιεῖν, corrigendum eſſe puto, ἀκόνιτον: quoniam cùm Antigoni, nuper citati auctoritas id expoſtulat, tum maximè ipſiuſmet Athenaei poſtrema verba requirunt. Vt interim quoque non omittam, cicutam valde aconito lenius eſſe venenum, & iccirco eam maiori menſura propinari, atque interdum fallere: Niſi malumus, Athenaeo κώνειον & ἀκόνιτον idem extitiſſe: quemadmodum Stephanus in libro de Vrbibus, cum citans, in voce Ἀκόναι atteſtari videtur, quo pacto Arabum errorem tegere quoque poſſemus, qui κώνειον & ἀκόνιτον forſan idem putantes, turdos ſiue ſturnos aconito veſci tradiderunt: cùm non aconito, ſed cicuta eos nutriri, Galenus & alij veriùs tradant, vt enim vulgò hodie Toxici nomine genus veneni quoduis ſignificamus, ſic fortè & cicutam & aconitum veteres indifferenter vſurparunt, quando ſcilicet, venenum, & non plantarum genus diuerſum erat ſignificandum. Ex ijs quoque Athenaei verbis clarum eſſe poteſt, apud Antigonum non Agatharchum, ſed Clearchum eſſe legendum, atque illum ea die, in qua olim reges pocula prægustata porrigebant populo, vt hac propinatione ſuam erga ipſum beneuolentiā teſtarentur, ipſa pocula aconito inficere, atque hoc pacto illos interficere decreuiſſe. Porro cicutam vino hauſtam irremediabile malum inducere, & ſi poſt ipſam vinum bibatur, eius prauitatem atque

vim

vim caſtigare, Plinius intellexit, quando lib. 16. cap. 5. ſcripſit, Sicut cicuta homini venenum eſt, ſic cicutæ vinum, cuius euentus eã rationem afferre ſoleo, quòd cicuta pauco vino hauſta citiùs ad vitalia penetrat, nec ab illo ſui vis hebetatur: at ſi vinum largè bibatur, poſtquàm ipſi per aliquod tempus cum natiuo calore pugna fuit, vim eius in pugna iam retuſam ab illo vtpote calido penitus extingui neceſſe eſt: & iccirco apud Platonem in Phædone voluerunt ſatellites, vt Socrates hauſta cicuta non moueretur, timentes ne calore motus veneficum cicutæ frigus nimiùm retuſum foret, ſicque mors, vel impedita vel ſaltem prorogata eſſet. Itaque Macrobium erraſſe facilè hinc patet, quando lib. 7. cap. 6. ſcripſit, Aconito poto ſuperhauſtum vinum eſſe remedio: ſicut vinum cum aconito tritũ, & potu hauſtum, irremediabile malum facit. Praeterquàm enim quòd de aconito id nullus probatæ fidei auctor tradidit; niſi vt ſuprà ipſum quoque tueamur, Plutarchus etiam, à quo omnia illa accepit. 3. Sympoſ. 5. monſtrat, non de aconito, ſed περὶ κωνείου, ſiue de cicuta ea vera eſſe; vt Macrobrius hallucinatus ſit, κώνειον, id eſt, cicutam aconitum eſſe putans. Eſt apud eundem Plutarchum in lib. περὶ ἀδολεσχίας. hiſtoria ſcitu digna de illis, qui templum depopulaturi, priùs cicutam potarant, ſecumq. lagænam vino plenam attulerant, vt ſi capti fuiſſent, veneno interirent: ſin minus, vini potu ſeſe à veneno liberarent.

Macrobij error ob imperitiam medicinae. Quòd potus ad pulmonem pertingat, non vnum Platonem dixiſſe. Plutarchi locus ex Macrobio emendatus: alter Theophraſti explicatus, & ab errore Gazae vindicatus. CAP. V.

MAcrobius, qui totum Saturnalium ſuorum ſeptimũ librum ex Sympoſiacis Plutarchi verbotenus furatus, illius nunquam mentionem fecit, ſi à nobis interdum damnabitur, eum ingratitudinis ſuæ debitas luere pœnas æqui iudices clamabunt, quemadmodum hoc loco, vbi Plutarchi, quem Latinum eius nomine occultato faciebat, veſtigia deſerere, & medicorum arenas ingredi non veritus, calumnijs locum ſatis amplum parauit. Dũ

enim

enim eius lib. cap. 4. quattuor virtutes, quas medici naturae in perficiendis nutrimentis ſubminiſtrare ſciunt, exprimere conatur, quaſi in primo limine maximo errori impegit, ſiquidem nullus eſt vel in medicinæ auctorum lectione minimum verſatus, qui ignoret, eas facultates appellari, ἑλκτικὴν ſiue attractricem, καθεκτικὴν, id eſt retentricem, ἀλλοιωτικὴν vel alteratricem, & ἀποκριτικὴν ſiue expultricem: quam verò ipſe falsò καθεκτικὴν vocat, ἑλκτικὴν eſſe: & quã καταδεκτικὴν, καθεκτικὴν, ex ipſiuſmet verbis intelligere facilè licet. Neque etiam vllus adeò rudis grammaticus inueniatur, qui κατέχειν pro trahere, & καθεκτικὴν facultaté pro attractrice vſurpare velit. Sed hoc illius fortè non proprium, at librariorum culpa erratũ ſit. Aliud autem cum multis illi commune, & forſan cum Plutarcho & Galeno, qui Platoni adſcripſerunt, tanquam primus & ſolus potum per aſperam arteriam ad pulmones deſcendere ſenſerit: cùm ante ipſum fuerint celebres medici idem ſentientes; aduerſus quos Hippocrates ſiue Polybus in 2. de Morbis diſputauit, & quos potiùs quàm Platonem ab Ariſtotele in libris de Animalibus damnari crediderim. Immo verò Plutarchus in Stoicorum repugnantijs hanc opinionem etiam Hippocrati tribuit, multiſque alijs veteribus. Hippocrates verò in lib. de Corde (ſi tamen eius eſt) id planè ſenſiſſe videtur. Hiſce adijciam, aliquas quoque gratias Macrobio habendas eſſe, nempe qui plures in Plutarchi Problematibus, lacunas explendi, & errores corrigendi ſcriptis ſuis poteſtatem faciat; ſicuti ex loco citato hos verſus Eupolidis apud Plutarchum corruptos reſtituere poterit quiuis:

Βοσκόμεθα ὕλης ἀπὸ παντοδαπῆς, ἐλάτης,
Πρίνυ, κομάρυ τε πτόρθους ἁπαλοὺς ἀποτρώγουσαι,
Καὶ πρὸς τούτοισιν ἔτ' ἄλλ', οἶτον, κυτισόν τε, ἠδὲ
Φάσκον εὐώδη, καὶ σμίλακα τὴν πολύφυλλον,
Κότινον, σχῖνυ, μελίαν, συκῆν, δρυῦ κιττὸν, μυρίκην,
Πρόμαλον, ῥάμνον, φλώμον, ἀνθέρικον, κισθὸν,
Φηγὸν, θύμα, θύμβραν.

Quos ſi Adrianus Iunius legiſſet, non traduxiſſet, φάσκον εὐώδη, Legumina odora, ſed aut alio quodam modo legiſſet, aut φάσκον intellexiſſet ſaltem apud Heſychium, ſi nõ apud alios, eſſe τὸ ἐπὶ τῶν δρυῶν γινόμενον. quae omnia vnà cum caeteris enumeratis ab Eupolide, capras lubentiùs quàm legumina paſci, nunquam negarent paſtores. Quamquam illius poetae ſententiam nequaquam opinioni eorum fauere putem, qui multiplices cibos faciliùs concoqui ſimplicibus aſſerunt; propterea quòd ex Eupolide nõ conuincitur capras

ſimul tot eduliorum genera manducare; ſed quòd, cùm maior pars aliarum pecudum duobus tribusve tantùm cibis vtatur, ipſae vno vel altero deficiente, adhuc multa habent, quibus veſci queant, plãtas vel herbas. Quid porrò ſit φάσκος fuſiùs Heſychio indicarunt nobis Theophraſtus, atque Plinius. Is.n.3. de Hiſt. plant. c.9. ſic ait: ἡ αἰγίλωψ μόνη φέρει πίλιον καὶ βράγχιον. καὶ γὰρ πηχυαῖον κατακρήμναται καθάπερ τρύγχος ὀθονίου μακρόν. φύεται δὲ τοῦτο ἐκ τοῦ φλοιοῦ, καὶ οὐκ ἐκ τῆς κορυνῆς, ὅθεν ἡ βάλανος, οὐδ᾽ ἐξ ὀφθαλμοῦ, ἀλλ᾽ ἐκ τοῦ πλαγίου τῶν ἄνωθεν ὄζων ἔχει. Quae verba dũ trãsferret Theodorus, miror cur, (quod plerunque facere ſolet) Plinij verbis hac de re vſus non ſit, quae ſic ſe habent lib.16.c.8. *E glandiferis ſola, quae vocatur aegilops, fert panos arentes, muſcoſo villo, canos, non in cortice modò, verùm & è ramis dependentes, cubitali magnitudine, odoratos, vt diximus inter vnguenta.* Hactenus Plinius. qui licet in aliquibus a Theophraſto diuerſa ſcribere videatur, cùm (vt Dioſcorides & Eupolides) odoratum faciat huiuſcemodi muſcum, quod non indicat Theophraſtus: attamen omnia mirè ipſi plantae accommodantur. Quemadmodum nec rei, nec Theophraſti verbis conuenit, quod Gaza, ἐκ τῆς κορύνης, tranſtulit, *E ſurculo*, ſiquidem κορύνη apud Theophraſtum modo vocatur germinatio arborum, à clauae ſimilitudine, ſicut lib.3.cap.6. de Hiſt. modò geniculatum incrementum. & cacuminum articulatio, quod ait Plinius lib.16.ca.25. & quod in loco propoſito ſignificare exiſtimo: Surculus verò id germen eſt, qđ ramis enaſcitur: a quo non eſt dubitandum quin muſcus exeat.

Lucretij locus de Peſte Hippocrati collatus, & eius defenſio. CAP. VI.

MVlti fuere ex veteribus, qui peſtis rationem explicare, & poſteris tradere tentarunt: ſed vnum Hippocratem in eo genere omnes alios excelluiſſe inter medicos conſtat, non modò in ijs, quos Epidemicos inſcripſit, libris, verum etiã alibi, & praeſertim in illo volumine, vbi περὶ φυσῶν, ſiue de Spiritibus diſertiſſimè tractat: qđ cùm ab Erotiano, Galeno, Gregorio Nazianzeno, Stobaeo, & ab alijs fide dignis ſcriptoribus, vt Hippocraticũ citetur, quin magnae apud medicos exiſtimationis tamquam Hippocratis doctrina plenum eſſe debeat, neminem negaturum ſpero; quemadmodum etiam latiſſimè in noſtris, quas edituri aliquando

ſumus

ſumus ſuper Hippocratem adnotationibus, probabitur. Itaq; in lib. de Spiritibus ſapientiſſimus ſenex omnium morborum aliquam dari communem originem, nempe aerem, ante cetera oſtendens, ita ſcribit: Μετὰ τοῦτο τοίνυν εὐθέως ῥητέον, ὅτι οὐκ ἄλλοθεν εἰκός ἐστι γίνεσθαι τὰς ἀῤῥωστίας μάλιστα, ἢ ἐντεῦθεν, ὅταν τοῦτο ἢ πλεῖον ἢ ἔλασσον, ἢ καὶ ἀθροώτερον καὶ μεμιασμένον νοσεροῖσι μιάσμασι τὸ σῶμα ἐσέλθῃ. id eſt: *Poſt hoc igitur ſtatim dicendum, quòd non aliunde potiſsimùm morbos naſci conſentaneum eſt, quàm hinc: quando ſcilicet hic (de aere loquebatur ſiue ſpiritu) vel copioſior, vel potior, vel cumulatior atque morboſis inquinamentis infectus corpus ingrediatur.* Ex quibus liquet, eum ſenſiſſe, quòd licet aliunde quoque morbos naſci contingat, nihilominùs tunc maximè contingunt, quando aer morboſis contagijs affectus corpus intrat. Paullò pòſt febres in duo genera partiens, alterum commune omnibus Peſtem vocat; alterum ijs, qui mala viuendi conſuetudine vtuntur, ob victum proprium facit; vtrumque tamen ab aere ortum capere ſcribit. De primo ſiue de peſte hunc in modum loquitur: ὁ μὲν οὖν κοινὸς πυρετὸς διὰ τοῦτο τοιοῦτος, ὅτι τὸ πνεῦμα τοῦτο πάντες ἕλκουσιν, ὁμοίου δὲ ὁμοίως τοῦ πνεύματος τῷ σώματι μιχθέντος, ὅμοιοι οἱ πυρετοὶ γίνονται. ἀλλ᾽ ἴσως φησί τις, διὰ τί οὖν οὐχ ἅπασι τοῖσι ζώοισι, ἀλλ᾽ ἔθνει τινὶ αὐτέων ἐμπίπτουσιν αἱ τοιαῦται νοῦσοι; διότι (φαίην ἂν) διαφέρει σῶμα σώματος, καὶ φύσις φύσιος, καὶ τροφὴ τροφῆς. οὐ γὰρ πᾶσι τοῖσιν ἔθνεσι τῶν ζώων ταὐτὰ οὔτ᾽ ἀνάρμοσα, οὔτ᾽ εὐάρμοστά ἐστιν, ἀλλ᾽ ἕτερα ἑτέροισι ξύμφορα. ὁκόταν μὲν οὖν ὁ ἀὴρ τοιουτέοισι πληθῇ μιάσμασιν, ἃ τῇ ἀνθρωπίνῃ φύσει πολέμιά ἐστιν, ἄνθρωποι τότε νοσέουσιν; ὅταν δὲ ἑτέρῳ τινὶ ἔθνει ζώων ὁ ἀὴρ ἀνάρμοστος ᾖ, τὸ νούσημα κεῖνοι νοσέουσιν. ideſt: *Communis itaque febris ideo talis eſt, quòd ſpiritum huiuſcemodi omnes attrahant: ſimili verè ſpiritu ſimiliter corpori commixto, ſimiles quoque morbi efficiuntur. At fortaſſe dicet quiſpiam, Cur igitur non cunctis animalibus, ſed alicui ipſorum generi contingunt tales morbi? Cauſſa eſt (inquam) propterea quòd corpus à corpore, natura à natura, nutrimentum à nutrimento differunt. Non enim omnibus animalium generibus incongrua eadem vel congrua ſunt; ſed alia alijs conueniunt. Quando itaque aer huiuſcemodi contagijs, quae hominum aduerſantur naturae, repletus fuerit, tunc homines aegrotant; quando tunc alicui alteri animalium generi aer incongruus extiterit, illa ſimiliter aegrotant.* Quam ſententiam Lucretius in 6. de Natura adeò eloquenter ac appoſitè expreſſit; vt non aliunde, quàm ex hoc Hippocratis libro ea omnia excerpſiſſe, & quae breuiter hic docentur, ibi fuſiùs & luculentius declaraſſe videatur. Verſus ipſius hiſce ſubijcere placuit:

Nunc

Nunc ratio quae ſit morbis, aut vnde repente
Mortiferam poſsit cladem conflare coorta
Morbida vis hominum generi, pecudumq́; cateruis,
Expediam. Primum multarum ſemina rerum
Eſſe suprà docui, quae ſint vitalia nobis,
Et contra quae ſint morbo mortiq́; neceſſe eſt
Multa volare. Ea cùm caſu ſunt fortè coorta,
Et perturbarunt caelum, fit morbidus aer,
Atque ea vis omnis morborum, peſtilitasque
Aut extrinſecus, vt nubes nebulaeque, ſupernè
Per Caelum veniunt; aut ipſa ſaepe coorta
De terra ſurgunt, vbi putorem humida nacta eſt,
Intempeſtiuis pluuijsq́; & ſolibus icta.
Nonne vides etiam caeli nouitate & aquarum
Tentari procul à patria quicunque domoque
Adueniunt? ideò, quia longè deſcrepitat res.
Nam quid Britannis caelum differre putamus,
Et quod in Aegypto eſt, qua mundi claudicat axis?
Quidve quod in Ponto eſt differre à Gadibus, atque
Vſque ad nigra virum percoctaque ſaecla calore?
Quae cùm quatuor inter ſe diuerſa videmus
Quatuor à ventis, & caeli partibus eſſe,
Tum calor & facies hominum diſtare videntur
Largiter, & morbi generatim ſaecla tenere.
Eſt elephas morbus, qui propter flumina Nili
Gignitur Aegypto in media, neque praeterea vſquam.
Atthide tentantur greſsus, oculiq. in Achaeis
Finibus; inde alijs alius locus eſt inimicus
Partibus ac membris. varius concinnat id aer.
Proinde vbi ſe caelum, quod nobis fortè alienum
Commouet, atque aer inimicus ſerpere caepit,
Vt nebula ad nubes paullatim repit, & omne
Quà graditur conturbat, & immutare coactat;
Fit quoque vt in noſtrum cùm venit denique caelum,
Corrumpat, reddatque ſui ſimile, atque alienum.
Haec igitur ſubitò clades noua peſtilitasque
Aut in aquas cadit, aut fruges perſidit in ipſas,
Aut alios hominum paſtus, pecudumq. cibatus,
Aut etiam ſuſpenſa manet vis aere in ipſo,
Et cùm ſpirantes mixtas hinc ducimus auras,

Illa

Illa quoque in corpus pariter ſorbere neceſſe eſt.
Conſimili ratione venit bubus quoque ſaepe
Peſtilitas, etiam pecubus balantibus aegror.
Nec refert vtrum nos in loca deueniamus
Nobis aduerſa, & caeli mutemus amictum:
An caelum nobis vltro natura corruptum
Deferat, aut aliquid quod non conſueuimus vti,
Quod nos aduentu poſſit tentare recenti.

Si igitur quis attento animo Lucretiana Hippocraticis conferat, ſanè cognoſcet Latinum ſcriptorem non modò ſententiam atque principia à Graeco accepiſſe, immò & ſaepè verba verbis alterius reſpondere perſpicuò animaduertet. Quod eò magis miror, quoniam cùm Epicurus, & Democritus, cuius diſcipulus fuit Hippocrates, eandem opinionem tenuerint, facilè dici poſſet, Lucretiũ potiùs illos quàm Hippocratem ſecutum eſſe. Vt verò cumq. ſit, manifeſtè patet, peſtis originem apud illos omnes penè eandem haberi, atque in hoc dumtaxat varietatem aliquam apparere, quòd Democritus atomos, Hippocrates *μιάσματα*, Lucretius Epicurum imitatus ſemina appellare maluerit. Conferrem quoque Thucydidis de Athenenſium peſte narrationem Lucretianae, quando praeſertim Galenus ſaepenumerò Thucydidis mẽtionem facit: ſed quia id à multis eleganter factum inuenio, quos Fuluius Vrſinus ſingularis probitatis, & eruditionis vir in ſua Virgilij collatione non parum anteceſſit, libentiſſimè abſtinebo. itaque illud vnum admonebo, nonnullos iniquè profectò agere, qui Lucretio vertunt vitio, quòd interdum à Thucydidis oratione ac mente deflectat; quandoquidem non ipſe Thucydidis verba ad vnguem exprimere inſtituerat, ſed tantum modò hiſtoriam Latinis carminibus complecti; quam vt feliciſſimè aſſecutus eſt, ita magnam laudem meretur, vbi praeter ſententias, verba quoque Graeca (id enim ſaepiſſimè facit) Latino ſermone reddit.

Hippocratis, & Herodoti loca de morbo Scytharum foemineo collata. De Amazonibus.

CAP. VII.

Herodotus in Clio auctor eſt Scythas praelio fuſis Medis, vniuerſa Aſia potitos, iamq. vt in Aegyptum contenderent, Syriam, & Palaeſtinam ingreſſos, à Pſammittico rege precibus, & muneribus fuiſſe perſuaſos, vt ea regione intacta relicta, in loca ſua reuerterentur: cũq; in Aſcalonem Palaeſtinae vrbẽ perueniſſent, multos ipſorum vetuſtiſſimum Vraniae Veneris templum depeculatos eſſe: ob quod facinus Deam illam templi ſpoliatoribus, eorumq. poſteris omnibus morbum foemineum immiſiſſe, quo quicunq: laborabant, à reliquis Scythis ἐνάρεες, ſiue ἐνάρεις, hoc eſt, euirati vocabantur. Ceterùm quinam fuerit is morbus cùm Herodotus non docuerit, Hippocratem, qui & morbum, & originem veram, eiuſque nominis rationem explanat, in medium adducemus, cùm vt Herodoti hiſtoriae maior claritas addatur, tum maximè vt per Herodotum Hippocratis verba ac ſentẽtias faciliùs intelligamus Sic ergo in lib. de Aere aquis, & loc. ſcribit: ἔτι τε πρὸς τουτέοισιν εὐνυχίαι γίνονται πλεῖστοι ἐν Σκύθεσιν, καὶ γυναικεῖα ἐργάζονται καὶ ὡς αἱ γυναῖκες διαλέγονταί τε ὁμοίως, καλεῦνταί τε οἱ τοιοῦτοι ἀνανδριεῖς. οἱ μὲν ἐπιχώριοι τὴν αἰτίην προστιθέασι θεῷ, καὶ σέβονται τουτέους τοὺς ἀνθρώπους, καὶ προσκυνέουσι, δεδοικότες περί τε αὐτέων ἕκαστοι. ἐμοὶ δὲ καὶ αὐτέῳ δοκεῖ ταῦτα τὰ πάθεα θεῖα εἶναι, καὶ τ᾽ἄλλα πάντα. καὶ οὐδὲν ἕτερον ἑτέρου θειότερον, οὐδὲ ἀνθρωπινώτερον, ἀλλὰ πάντα θεῖα: ἕκαστον δὲ ἔχει φύσιν τῶν τοιουτέων, καὶ οὐδὲν ἄνευ φύσιος γίγνεται: καὶ τοῦτο τὸ πάθος ὥς μοι δοκέει γίγνεσθαι, φράσω. ὑπὸ τῆς ἱππασίης κέδματα λαμβάνει, ἅτε ἀεὶ κρεμαμένων ἀπὸ τῶν ἵππων τοῖς ποσίν. ἔπειτα ἀποχωλοῦνται, καὶ ἑλκοῦνται τὰ ἰσχία οἱ ἂν σφόδρα νοσέωσιν: ἰῶνται δὲ σφᾶς αὐτοὺς τρόπῳ τοιῷδε. ὁκόταν ἄρχηται ἡ νοῦσος, ὄπισθεν τοῦ ὠτὸς ἑκατέραν φλέβα τάμνουσιν: ὅταν δὲ ἀπορρυῇ τὸ αἷμα, ὕπνος ὑπολαμβάνει ὑπὸ ἀσθενείας, καὶ καθεύδουσιν. ἔπειτα ἀ:αγείρονται, οἱ μέν τινες ὑγιέες ἐόντες, οἱ δὲ οὔ. ἐμοὶ μὲν οὖν δοκέει ἐν ταύτῃ τῇ ἰήσει διαφθείρεσθαι. εἰσὶ γὰρ παρὰ τὰ ὦτα φλέβες, ἃς ἐάν τις ἐπιτάμῃ, ἄγονοι γίνονται οἱ ἐπιτμηθέντες. ταύτας τοίνυν μοι δοκέουσι τὰς φλέβας ἐπιτάμνειν. οἱ δὲ μετὰ ταῦτα ἐπειδὰν ἀφίκωνται παρὰ γυναῖκα, καὶ μὴ οἷοί τε ὦσι χρῆσθαι σφίσιν αὐταῖς, τὸ πρῶτον οὐκ ἐνθυμεύονται, ἀλλ᾽ ἡσυχίην ἔχουσιν. ὁκόταν δὲ

δὶς καὶ τρὶς καὶ πλεονάκις αὐτέοισι πειρωμένοισιν μηδὲν ἀλλοιότερον ἀποβαίνῃ, νομίσαντές τι ἡμαρτηκέναι τῷ θεῷ, ὃν ἐπαιτιῶνται, ἐνδύονται στολὴν γυναικείην, καταγνόντες ἑωυτέων ἀνανδρείην, γυναικίζουσί τε καὶ ἐργάζονται μετὰ τῶν γυναικῶν, ἃ καὶ ἐκεῖναι. τοῦτο δὲ πάσχουσι Σκυθέων οἱ πλούσιοι, οὐχ οἱ κάκιστοι, ἀλλ' οἱ εὐγενέστατοι, καὶ ἰσχὺν πλείστην κεκτημένοι διὰ τὴν ἱππασίην. οἱ δὲ πένητες ἧσσον, οὐ γὰρ ἱππάζονται, καίτοι ἐχρῆν, ἐπεὶ θειότερον τοῦτο νόσευμα τῶν λοιπῶν ἐστιν, οὐ τοῖς γενναιοτάτοις τῶν Σκυθέων, καὶ τοῖς πλουσιωτάτοις προσπίπτειν μούνοις, ἀλλὰ τοῖς ἅπασιν ὁμοίως, καὶ μᾶλλον τοῖσιν ὀλίγα κεκτημένοισιν οὐ τιμωμένοισιν ἤδη, εἰ χαίρουσιν οἱ θεοὶ καὶ θαυμαζόμενοι ὑπ' ἀνθρώπων, καὶ ἀντὶ τουτέων χάριτας ἀποδιδοῦσιν. εἰκὸς γὰρ τοὺς μὲν πλουσίους θύειν πολλὰ τοῖς θεοῖς, καὶ ἀνατιθέναι ἀναθήματα ὄντων χρημάτων, καὶ τιμᾶν, τοὺς δὲ πένητας ἧσσον, διὰ τὸ μὴ ἔχειν, ἔπειτα καὶ ἐπιμεμφομένους, ὅτι οὐ διδόασιν χρήματα αὐτέοισιν. ὥστε τῶν τοιούτων ἁμαρτιῶν τὰς ζημίας τοὺς ὀλίγα κεκτημένους φέρειν μᾶλλον, ἢ τοὺς πλουσίους. ἀλλὰ γὰρ, ὥσπερ καὶ πρότερον ἔλεξα, θεῖα μὲν καὶ ταῦτά ἐστιν ὁμοίως τοῖς ἄλλοις. γίνεται δὲ κατὰ φύσιν ἕκαστα. καὶ ἡ τοιαύτη νοῦσος ἀπὸ τοιαύτης προφάσιος τοῖς Σκύθαις γίνεται, οἵην εἴρηκα. Quibus, vt facil iùs à quocunque intelligi, & conferri queant, etiam Latina adiungam: *Amplius autem plurimi Scythae eunuchi fiunt, & muliebria officia obeunt, inſtarq́ foeminarum omnia faciunt, & loquuntur, vocanturque hi Effoeminati. Et regionis quidem incolae cauſam ad Deum referunt, coluntq́ hos ipſos homines, & adorant, ſibi ipſis timentes, ne quid tale accidat. Mihi verò hi affectus diuini quidem eſſe videntur, ſicut, & reliqui omnes; neque vllum aliquem alio eſſe diuiniorem aut humaniorem, ſed diuinos omnes: verùm vnuſquiſque eorum ſuam propriam habet naturam, neque aliquis citra naturam accidit. Quare quomodo hic affectus contingat, vt mihi videtur, narrabo. Ab equitatione ipſa diuturni eos corripiunt articulorum dolores, nimirùm propendentibus ſemper ex equis eorum cruribus; deinde claudi fiunt, contrahunturque coxendices, cùm inualuerit morbus. Medicantur autem ſibiipſis hoc modo. A principio morbi vtranque venam retro aures incidunt: quo facto, ſanguine multo permanante, ſomnus eos corripit prae imbecillitate, ſicq́ obdormiſcunt: quorum quidem aliqui depulſo ſomno ſani exurgunt, aliqui verò minimè. Atque mihi ſanè videntur ea medicatione ſeipſos perdere. Sunt enim venae poſt aures, quas ſi quis ſecet, ſteriles fiant, ij, quibus ſecantur. Quare id etiam ipſis ex earum inciſione accidere certum eſt. Quando igitur poſteà vxores adeunt, impotenteſq. ſe factos vident cum illis coire, primum quidem nihil moleſtius cogitantes quieſcũt: cùm autem bis, aut ter, aut amplius fruſtrà opus tentarunt, neque quicquã proficiunt, mox putant ſe Deum offendiſſe; in quem culpam reijciunt,*

induuntq́, ſe veſte muliebri, palàm ſe euiratos eſſe confitêtes, ad mulierumq́ contubernia tranſeunt, earum opera tractantes. Hoc itaq. malo ditiſsimi Scytharum afficiuntur minimè vero infimi, immo qui maximè & genere & potentia praeualent, ex nulla alia, quàm continuae equitationis cauſa hoc perpetiuntur: pauperes verò minus, quum non multum equitent. Atqui oportebat, ſiquidem is morbus alijs diuinior eſt, vt nō nobiliſsimis neque ditiſsimis Scytharū ferè ſolis accideret, ſed eſſet omnibus aequaliter peculiaris, immo magis inuaderet pauperes circa cultum deorū negligentiores, ſi gaudent Dij etiam in hominum admiratione conſtitui, & pro hoc beneficia hominibus retribuunt. Diuites.n. ſaepius dijs ſacra faciunt, victimas offerunt, ſtatuas erigunt, coluntq́; quum pecunijs abundent: pauperes autem minus id faciunt, quū non habeant, quinetiam aliquando deos deteſtantur, qui eis opes non ſuppeditent; vt veriſimilius eſſet, pauperes ác parum abundantes hoc malo propter crimina ſua puniri, quàm diuites, & qui opibus abundant. Verum (ſicut & prius dixi) diuinus quidem hic affectus eſt ſimiliter atque alij omnes, ſinguli autem ſecundum naturam fiunt. Atque eiuſmodi morbus ex ea, quam dixi, occaſione Scythis contingit.

Hactenus Hippocrates: à quo facile vnuſquiſque comprehendere poteſt. Scytharum morbum ab Herodoto nominatum eūdem eſſe, quem ipſe refert: & quando hic eos ἀνανδριεῖς vocat, vel ἐνάρεις, vt apud Herodotum, corrigi debet, vel vtramque dictionem idem ſignificare putandum: nimirùm euiratos ſeu effoeminatos: ſicuti quoque Scytharum vates, vtpote caſtratos appellatos eſſe in Melpomene meminit. Quae verò Hippocrates de morborum omnium diuinitate diſſerit, quaeve de pauperum & nobiliū moribus, unde Ariſtoteles multa 2. Rhet. ſcripta accepiſse potuit: ita interpretari debet tanquam a viro potiùs philoſopho, quàm vllo verae religionis lumine praedito proficiſcantur. Id non eſt abſque animaduerſione praetereundum, Amazonum genus, quòd ab aliquibus fabuloſum reputatum eſt, ab Hippocrate ante uerba citata apertiſſime cōfirmatum eſse, ſicut etiam confirmauit 3. de Artic. textu 85. quamquam ibi neget, eas conſueuiſse infantibus maſculis articulos luxare, ut claudi imbecilliores fierent. Has etenim mulieres multis ſaeculis perduraſſe, probaret aliquis, quòd Eradius in uita Poemenis Abbatis narrat Amazonas foeminarū crudele genus uiuente eo Abbate in Scythiā deſcendiſse, multoſq. patres ſanctos interemiſse, qđ pluribus annis poſt natum Chriſtum contigit. Haec tamen hiſtoria haud parum uerò diſſimilis uidetur, quoniam regio, in qua Amazones regno ſunt potitae, plus diſtabat ab Aegypto, quā ut potuerint in ipſius regionē uenire: praeterquàm quòd nullus auctor fide dignus Amazonū imperium

petium tanto tempore perduraſſe tradidit; quod tamen aliquem ſcripturum fuiſſe, ſi verum fuiſſet, rationi conſentaneum eſſet. quanquam Dionyſius Afer eas aliquando in Africa quoque regnaſſe ſcribat, ac Diodorus Siculus lib. 4. cap. 4. eos refellat, qui in Africa Amazonas regnaſſe negarunt.

Iecur anſerinum in precio fuiſſe antiquitus. De carne ſuilla locus Plutarchi. Caupones Italos ſolum immeritò damnari à Plutarcho.

CAP. VIII.

IEcur anſeris apud Romanos in mēſis fuiſſe celebre probatum eſt ab Athenaeo Dipnoſ. 9. vbi etiam anſeres ipſos ſaginari ſolitum habetur: quod potiſſimū gratia iecoris factum puto, nempe quòd ſagina maxime omnium creſcit: ideoq. Martialis hoc ſignificans ait:

Aſpice quàm tumeat magno iecur anſere maius.
Miratus dices, Hoc, rogo, creuit vbi.

Quamobrem nullus mirari debet, ſi pariter ſuillam carnem qui ſummopere commendent, ipſiuſq. ſolam concoctionis difficultatem dānent, inueniantur multi: ex quorum numero antiquitus fuit Plato Comicus, qui in comedia, quae inſcribitur, Feſta, vt recitat Clemēs vij. Strom. ſolas quadrupedum ſues occidendas eſſe dixit, quòd carnes habeant ſuauiſſimas, & a ſue nil aliud proficiſcatur, quàm ſetae, clamor, & lutum. Poſt Platonē etiam Galenus eiuſq. ſectatorum maior pars hoc ſenſiſſe videntur. Ante hunc, qui vſq. adeò extulerint huiuſmodi cibum, raros obſeruaui, excepto Celſo, qui ſuillam carnem inter domeſticas quadrupedes leuiſſimam male putauit: immo complures rationes recenſere poſſumus, quibus antiquitus, ſicut & hiſce temporibus ſuem in cibum aſſumere religio erat, quòd eos plerunque ob ſanitatem factitaſſe, potiùs quàm ob ſuperſtitionem credo. Et ne ſententia ſine autore aliquo proferatur, Plutarchum adducam, qui in 4. Sympoſ. prob. 5. rationem reddēs cur Iudaei carnibus ſuillis abſtinerent, ſic loquitur: τὸ δὲ ὕειον κρέας οἱ ἄνδρες ἀφοσιοῦσθαι διὰ τὴν ὑγίειαν δοκοῦσιν, ὅτι μαλιςα πάντων οἱ βάρβαροι τὰς ἐπιλευκίας, καὶ λέπρας δυσχεραίνουσι, καὶ τῇ προσβολῇ τα τοιαυτα καταβόσκεσθαι πάθη τοὺς ἀνθρώπους οἴονται. πᾶσαν δὲ ὗν ὑπὸ τὴν γαστέρα λέπρας ἀνάπλεων καὶ ψωρικῶν ἐξανθημάτων ὁρῶμεν, ἃ δὴ καχεξίας τινὸς ἐγγενο-

μένης τῷ σώματι, καὶ φθορᾶς ἐπιτρέχειν δοκεῖ τοῖς σώμασιν. οὐ μὴν ἀλλὰ καὶ τὸ θολερὸν περὶ τὴν δίαιταν τοῦ θρέμματος ἔχει τινὰ πονηρίαν. οὐδὲν γὰρ ἄλλο βορβόρῳ χαῖρον οὕτω καὶ τόποις ῥυπαροῖς καὶ ἀκαθάρτοις ὁρῶμεν, ἔξω λόγου τιθέμενοι τὰ τὴν γένεσιν καὶ τὴν φύσιν ἐν αὐτοῖς ἔχοντα τούτοις. λέγουσι δὲ καὶ τὰ ὄμματα τῶν ὑῶν οὕτως ἐκκεκλᾶσθαι καὶ κατασπᾶσθαι ὄψεσιν, ὥστε μηδενὸς ἀντιλαμβάνεσθαι μηδέποτε τῶν ἄνω, μηδὲ προσορᾶν τὸν οὐρανὸν, ἂν μὴ φερομένων ὑπτίων ἀναστροφήν τινα παρὰ φύσιν αἱ κόραι λάβωσιν. διὸ καὶ μάλιστα κραυγῇ χρώμενον τὸ ζῷον ἡσυχάζειν, ὅταν οὕτω φέρηται, καὶ σιωπᾶν, καταπεθαμβημένον ἀηθίᾳ τὰ οὐράνια, καὶ κρείττονι φόβῳ βοᾶν συνεχόμενον. Quae verba, quoniam aliqua ex parte nos reſtituimus, necdum à quoquam Latinè interpretata vidimus, vt a nemine deſiderentur, etiam lingua noſtra ponam: *Carnem porrò ſuillam ob ſanitatem quoque reuereri iſti homines videntur, propterea quòd barbari maximè omnium gentium vitiligine ac lepra laborant, huiuſque carnis eſu à talibus morbis homines conſumi arbitrantur: omnem verò ſuem ſub ventre, lepra ac efflore ſcentijs refertam ferè ſemper intueamur: quae nimirum ob malum quendam habitum, atque corruptionem corpori ingenitam in corporibus ſummis efflore ſcere videntur. Verum enimuerò huiuſcemet beſtiae circa victum ſordities prauitate non caret: quandoquidem nullum aliud animal aequè fimo ac lutulentis immundiſq; locis gaudere cernimus, exceptis ijs, quae generationem in his ipſis, naturamque ſimilem poſſident. Ferunt etiam oculos porcorum vſque adeò inter videndum hebetari, atque contrahi, vt nec vllam rem ſuperiorem apprehendere, neque coelum aſpicere valeant, niſi ipſis reſupinè collocatis pupillae conuerſionem acquirant; & proinde animal illud, dum vehementer ſtridet, tunc praeſertim, ſi ita feratur, quieſcere, ac tacere, quaſi inſuetudine coeleſtia videns ſtupeat, & maiore metu à clamando deterreatur.* Sed quoniam Plutarchi meminimus, non tacebo me ſummopere illius iudicium mirari, qui ſecundò Sympoſ. probl. 10. Italos caupones prauitatis ac moleſtiae incuſat, quaſi Graeci nō eſſent alijs deteriores Alexidis apud Athenaeum teſtimonio qui ſcribit eos vinum prius aqua dilutum pro mero vendere conſueuiſſe atque etiam Platonis aequiſſimi iudicis ſententia: qui dum Graecis legem de cauponaria in 11. lib. de Legibus ferret, enumeratis pluribus cauponum maximis vitijs, eos ex viliori ciuitatis gente, tanquam prauos omnino futuros creari mandat. Polybius quoque dum libro ſecundo Italiae eximiam feracitatem celebrat inter alia dicit cauponas ſolitos liberaliter peregrinos tractare, nec pro praemio quicquam pluſquàm ἡμιασσάριον hoc eſt dimidium parui aſſis accipere. At fortaſſe Plutarchus

chus ab aliquo caupone deceptus; quòd vel vinum Falernum adulteratum, vel nouum aut recentatum pro vetere (vt ſaepe eos facere conſueuiſſe narrat Galenus) ei vendiderit, ea dicere non erubuit. Niſi malumus à Plutarcho tacitè laudatam Italorum ſobrietatem, quòd ſcribat, ideò fuiſſe moleſtos conuiuatoribus, quoniam repeterent quantum in coenam hauſerant vini: vt qui Italorum moribus aſſueti, non facilè Graecorum multo plus vini bibentium intemperantiam ferrent.

De Meliloto Cratinus expoſitus. De Coronis: de Lemniſcis. CAP. IX.

QVaeſitum eſt apud Athenaeũ in 15. Dipnoſ. qua de cauſſa Cratinus melilotũ herbam ἀείφρουρον, ſemper cuſtodem, vocarit. Cui quaeſtioni cùm eo in loco nihil reſpõſum habeatur, ne lectorũ animi perpetuò ſuſpenſi maneat, ſciri velim, inter herbas coronarias apud veteres melilotũ primas ferè ſemper tenuiſſe, ac ob id à Latinis modò ſertulã, modò campanicam ſertã vocatã eſſe. Cur verò id eſſet, puto, quoniã coronis ad ſedandum ebrietatis feruorẽ inſtitutis melilotum mirã operam praeſtabat: quando nimirum in 3. eiuſdẽ Athenaei libro legitur, ὅτι μελιλώτινοι στέφανοι εὐώδεις, καὶ καύσωνος ὥρᾳ ψυχτικώτατοι. Qui igitur apud Cratinum Sẽper cuſtodem melilotũ dixit, nil aliud (mea quidem ſentẽtia) ſignificare nobis voluit, niſi ꝙ eius herbae poteſtate ſemp ab ebrietate cuſtodiretur. Coronas aũt laneas antiquiſſimis tẽporibus, vt ait Feſtus eſſe factitatas, nemo mirari debet, ſi Plutarchi, Athenaeiq. de coronarum origine ſcripta attentè conſiderarint. Veteres enim potui magnoperè dediti, ſaepenumero ex ebrietate maximis capitis doloribus ſollicitabantur, nec vllũ magis praeſentaneũ remedium experiebantur, quàm vt arctis vinculis tempora ligarẽt. Ligamina verò illa primò ex rudi & vili materia fuiſſe cõfiċta veriſimile eſt, vtpote lino lanave, non tincta, coloria a Feſto appellata: quarũ vtilitas quotidie maior apparens, homines tandẽ excitauit, vt (quemadmodum in rebus luxus ſuccreſcere ſolet) primò vtilitatem illam ornamentis quibuſdam pararent, vnde coronas inuenerũt: deinde vt cõmoditati iucunditatem etiã annexam vellent; quo tẽpore laneis lineiſq; inuolucris dimiſſis coronas ex hedera: myrto, roſis, meliloto, alijſq. fragrã

ſibus herbis texere aggreſſi ſunt, quae & odore coloreq; ſenſus obleſtarent, ac ſimul vi refrigeratoria incendium vini & ciborum, & vt ait Gal. lib. de cauſis procatar. aeſtum leuarent. Quod remedij genus excogitaſſe medicos valde rationi conſonat, ac Athenaeus atteſtatur. Nam (vt ſcribit Plin. lib. 21. cap. 3.) apud Graecos de coronis priuatim ſcripſere Mneſitheus, atq; Callimachus medici, quae nocerent capiti; quoniam & in hoc eſt aliqua valetudinis portio, in potu atque hilaritate praeſertim. Nec his hominum vaſta cupiditas delicijs ſatiata eſt; immo referente Plinio, ex auro atque argento folia coronarum tegere, eaſq; vnguentis precioſis perfundere, & capiti collove circumponere coeperunt; quaſi parum eſſet odoribus florum à natura elargitis perfrui, niſi & illam vincere, aut ſaltem dehoneſtare tentaſſent. Habuerunt coronæ faſciolas quaſdam intortas dependentes, vt illis poſſent ſubligari, ne capite laberentur, vel potiùs vt aliquid ornamenti ijs adderetur; quas faſciolas à Graecis λημνίσκους, à Latinis Lemniſcos vocatos ſcio: quamquam apud Plinium lib. 21. cap. 3. non Lemniſci, ſed Lemnici falsò legantur. Hi verò ex varijs rebus fiebant, ſed celebres erant ex tenuiſſimis philyris earum tunicarum, quae inter corticem, & lignum tiliæ inueniuntur. Ad illarum porrò ſimilitudinem Celſus, Aetius, Paulus, alijque medici Lemniſcorum nomen indiderunt inuolucris quibuſdam lineis lõgis retortis, quibus in dilatandis vulnerum, nec non amplificandis aliquorũ locorum anguſtis oris vtebantur. At Lemniſcos anguſtas vittas vocaſſe Syracuſios, auctor eſt Heſychius.

Plinij & Galeni loca de Doloribus. Plutarchus correctus. Pro oculis vſtio venarum temporalium. De Colico. Lotio pedum. Origanum. Sordes aurium in morientibus quales. CAP. X.

PLinius lib. 25. cap. 3. memoriae mandauit, auos experimento iudicaſſe aſperrimos omniũ cruciatus eſſe calculorum à ſtillicidio veſicæ. Proximum ſtomachi, ob quẽ epoto gypſo C. Proculeium Auguſti Caeſaris familiarem ſeſe enecaſſe prodit lib. 36. c. 24. Tertium eorum quae in capite doleant, non ob alios ferè morte cõſcita. Ad haec Galenus in 2. de Comp. med. ſ. l. ſcribit, neminem ob capitis dolorem vehementem vnquã animi de-

liquio

liquio comprehenſum interijſſe, neque ſeipſum occidiſſe; quemad-
modum quidam coli dolore vexati fecerunt: quinimmò vtcumque
quis capite doleat, ſemper eius minorem dolorem eſſe; quàm eorũ,
qui coli, aut auris, aut dentis, aut oculi, vexantur dolore. Attamen q;
vllus dolor capitis id habeat, vt non ſentiatur, à nullo vnquam prae
terquàm à Plutarcho in principio libri de Animi & corporis mor-
bis, proditum inueni: ex quo iure locum illum ſemper ſuſpectum ha-
bui; tanto magis, quòd reliqui morbi ibi enumerati minimè ſentiun-
tur, & à dolore capitis, quòd ad hoc ſpectat, multum diuerſi ſunt, vt
autem eum locum reſtituendum putem, breuibus dicam. Verba Plu-
tarchi haec ſunt, λιθαργοι κεφαλαλγίαι, ἐπιληψίαι, πυρετοὶ αὐτοῖτε.
Senſus autem germanus erit, ſi ita ſcribatur λιθαργοὶ, παραπληγίαι,
ἐπιληψίαι, πυρετοὶ ἑκτικοί. eſt enim Παραπληγίη Paralyſis ſeu
priuatio ſenſus & motus in toto, aut aliqua parte corporis, apople-
xiam vel epilepſiam ſequens. Inter alia verò quae antiqui habuerũt
pro vetere capitis dolore tollendo remedia, vnum erat, temporum
venas inurere, ab Hippocrate in lib. de Locis in homi. ſummoperè
cõmendatum: quo ſimiliter vſos ad compeſcendas oculorum fluxio-
nes ſcriptum reliquit Ariſt. 31. probl. ſect. 5. vbi ſic ait: διὸ τῶν ῥευματι-
χῶν εἰς τοὺς ὀφθαλμοὺς τάς τε περὶ τὺς κροτάφυς φλέβας καίουσι, πυχιο-
ῶντες τὺς τῶν ὑγρῶν πόρους, καὶ ξύουσι τὴν κεφαλὴν, διαθερμαίνοντες τὸ ἐν
αὐτῇ δέρμα. id eſt: *Propter quod in illis, qui fluxionibus, oculorum tentan-
tur, venas circa tempora inurunt, humorum ductus occludentes, caputque
obſcalpunt, eius cutem incidentes.* Qui tamẽ hanc medicationis ratio-
nem damnarent, poſterioribus temporibus non defuerunt, quẽad-
modũ Aetius, qui ſolos barbaris legibus ſeruiẽtes hoc factitaſſe mẽ-
morans, non medicationem ipſum, ſed imprudentem potiùs eã ad-
hibendi modum improbaſſe videtur. Cur autem in lib. 5. & 7. Epid.
notatum habeatur, pedes aquâ vel igne maximè calefacere oculis no-
xium eſſe, certè videre nequeo: niſi maximam calefactionem vapo-
res plures, quàm par ſit, ad caput mittere dicamus, & proptereà eos
libros qui non approbarunt, aliqua ratione id effecerunt. At quod
ibidem ſcribitur, Origani potum oculis obeſſe, non vſquequaque à
veritate abhorret: quando Ariſtoteles 31. ſect. prob. 9. origanũ ocu-
lis nocumentum afferre innuit, quoniam tantummodo deſiccando
cutem indurat, neque lachrymas ciet. Et ne aures penitus ſilentio
praetermittantur, de illis hoc in loco adnotare placet, quod ex ſen-
tentia Ariſtotelis ſcriptum reliquit Apollonius in Hiſt. mir. & quod
antea memoriae mandauerat Hipp. 6. Epi. comm. 5. text. 19. videli-
cet ſordes, quae in auribus naſcuntur, cùm ſint alioquin amarae,

fieri dulces morituris, idque in multis eſſe obſeruatum, cuius euentus cauſſam ab ipſo in Quaeſt. nat. explicatam tradit: qui liber cùm hodie deſideretur, atq; à Galen. in comm. ad citatum Hipp. locum ieiunè ſatis cauſſa explicetur, iccirco putamus nos, eam ibi rationem allatam; quòd morituris calor natiuus extinguitur, vnde humores in capite dilutiores ac frigidiores multiplicantur, vt etiam ex lacrymis conſtat, ac deſtillationibus, quae tunc tẽporis maiores fiũt. Illi igitur humores ſordibus aurium permixti, dulceſcere faciunt, perinde ac lupinos aqua potabilis. Niſi potiùs dicamus,91 bilioſos ichoras, vtpote calidos qui ſordibus, commixti amarorem inducebant, morientibus vnà cum calore expirare, & propterea, quod relinquitur pituitae dulciùs videri.

De Carbonibus loca Galeni, Caſſij, Lucretij, et Theophraſti. De Lumbricis & Grano Gnidio, locus Plinij ex Theophraſto correctus. Error Gazae. CAP. XI.

MVltos ex halitu Syrorum, ſpeluncarum, ex cubiculis recenter oblitis, atque etiam a carbonibus, tùm antiquis tum noſtris temporibus interijſſe, nemo ſanus inficias ibit; quorum euentuum cauſſam tenuitati ſpirituum attribuens Eraſiſtratus, iure a Galeno refellitur 7. de Vſu partium, necnon lib. de Vtil. reſpir. Sed neq; ipſe omnibus placere potuit, dum ea omnia, & praeſertim carbonum effectus in occultas & nobis inimicas qualitates retulit. Caſſium itaque medicum (vt vocat Celſus) ingenioſiſſimum Tiberij aetate Romae aeſtimatum magis laudare debemus, q in Probl. ſuis, carbones capitis dolorem parere, nõ arcana ratione, ſed nimio calore caput exiccante cõdenſanteq. ſcripſit; eſſe namq. maiorem vim in exuſto carbone, iterumque flagrante, Plinius quoque lib. 33. cap. 5. affirmauit. Cur autem Caſſius ad euitandam carbonum noxam eos vino pauco extingui praecipiat, eam rationem afferrem, quòd vinum maxime penetrans carbones non ſolùm prauis vaporibus priuat, qui ſi ſuffocatione extinguantur, in ipſis retinentur; verùm etiam eos rariores ac tenuiores efficit, vt cùm iterũ accendantur, puriorem ac blandiorem calorem emittant. Huic rationi id nõ parum fauet, quod Theophraſto in libro de igne ſcriptũ eſt, ignẽ ſcilicet citiùs ab aceto, & vino, quàm ab aqua extingui, qm

intimiùs penetrans, poroſq. latiores reddens, ſomites, vbi ignis cõſeruatur, meliùs tollit. An verò quicquam ad hunc Caſſij locum faciant Lucretiani illi verſus in 6. ſic ab Oberto Giſaniò reſtituti:

Carbonumque grauis vis atque odor inſinuatur
Quàm facilè in cerebrum, niſi aquam praecepimus antè,
Aut niſi membra priùs pertexit frigida ſeruus,
Aut ſit odos vini plagae manabilis mora.

Alijs cogitandum propono. Nunc poſtquàm Theophraſti mentio incidit, aliquid ex ipſo memoria dignum interſerere libet, id ſcilicet quod in fine ex lib. Hiſtor. plant. notatum inuenitur, ἕλμινθας lumbricorum genus nonnullis nationibus connaſci: ex aduerſo alias ipſis omnino carere. Habere quidem Aegyptios, Arabas, Armenios trans Mediam, (ſic enim corrigo, Ἀρμένιοι κατὰ μήδους, quod & Plinius & Gaza omiſerunt) Syros, Cilices, & inter Graecos Thebanos in gymnaſijs verſantes, ac Boeotios omnes: carere autẽ Athenienſes, Phrygas, atq. Thracas. Vnde Plinij verba in fine 27. libri ex hoc loco ſumpta ſic corrigenda ſunt, quemadmodũ in manuſcripto Pauli Manutij codice leguntur: Sicut accepimus de tineis lumbricisq. ineſſe Aegypti, Arabiae, Syriae, Ciliciae populis; e diuerſo Thraciae (non Graeciae, vt eſt in vulgatis omnibus) Phrygiae omnino nõ innaſci. Minùs id mirum, quam quòd in confinio Atticae Boeotiaque Thebanis innaſcuntur, cùm abſint Athenienſibus. Hoc autem an peculiare illarum regionum donum ſit, an potiùs ex victus diuerſitate naſcatur (vt ego magis reor) alijs diſcutiendum relinquam, ſi tamen hiſce adiecero errorem in eodem cap. à Gaza commiſſum. Nã quod Theophraſtus de Grano Gnidio loquens, ita ſcribit: διὸ καὶ ὅταν διδῶσι κατὰ ποτὸν, διδόασι γὰρ πρὸς κοιλίας λύσιν, ἐν ἄρτῳ ἢ σταιτὶ περιπλάττουσι: ipſe tranſtulit, Contra alui ſolutionem: cum potiùs, Ad aluum ſoluendã interpretari debuiſſet, ſi quidem granũ Gnidiũ apud medicos, & praeſertim apud Hippoc. nunquã nõ pro maximo purgatorio vſurpatũ eſt. Sed fortaſſe deceptus eſt Theodorus à Plinio, qui lib. 27. c. 9. ſcripſit, granum Gnidium aluum ſiſtere, cõtra rationẽ, cum ſit adurens, & contra experientiam: quanquam etiã Dioſcorides eius vim purgatoriam magnã facit, qui ſemen Thymeleae granũ Gnidium eſſe, & à Syris Linũ, vt quoque Plinius, vocari ſcriptũ reliquit. Niſi tamen vbi Plinius dicit, Siſtit aluum, reſtituamus, Ciet aluum. nam vix poſſum exiſtimare, Plinium adeo ignarum, vt quod de grano Gnidio in ore omnium erat, ipſum latuerit. Quae verò dicit Plutarchus. 4. Sympoſ. 4. & in fine libri de ſale, omnia veriſſima ſunt, ſcilicet, panem eo condire conſueuiſſe, carnium,

& ſuum eſſe Animam, coctionem iuuare, generationi prodeſſe, venerem excitare, ob idque Aegyptios ſacerdotes à ſale abſtinuiſſe; Qua etiam ratione Graecos ſacerdotes, ad vitandam ſalis in ventre excitanda vim, eum torrere conſueuiſſe narrat Fulgentius.

Thucydidis locus à Lucretio expreſſus, ac illuſtratus. C A P. X I I.

PEtrus Victorius, vir aetate noſtra cùm ob raram eruditionem, tum ob incredibilem probitatem omnibus admirãdus, in ijs, quos poſtremo Variarum lectionum edidit, libris, cogitãdũ proponit, án ea Thucydidis verba, καὶ πολλοὶ στερισκόμενοι τούτων διέφυγον, à Lucretio exactè ſint interpretata his verſibus,

Et grauiter partim metuentes limina lethi
Viuebant ferro priuati parte uirili.

De qua re cum iam diu ipſi ſententiam meam per litteras Roma ſignificaſſem, humaniter ſanè nonnullis alijs rebus, quae in ipſis continebantur reſponſum dedit, de hac vero nullum quidem verbum fecit: ob quod ratus opinionem meam ſaltem ab illo improbatam non eſſe, hic ponere non timebo. Homines enim vitam membris, dũ periculum conſpiciunt, praeponere, nemo eſt qui neget. Porrò medicis in peſtiferis morbis (qui facilè, niſi compeſcantur, & ſerpendo ſeſe in viſcera propagare, & inde citò iugulare ſolent) ferro atque igne, vt ſtatim virus de corpore tollant, crebrò vti, clarũ eſſe cuique puto. Itaque veriſimilis fit, in ea ſaeuiſſima peſte à Thucidide deſcripta, homines, ne perirent, genitalia luce peſtifera iam corrupta ſibi amputãda ferro praebuiſſe, quàm permiſiſſe, vt emortua ſponte caderent. Rarum planè eſt, vt peſtis aliquod membrũ depaſcens ſpõte deſinat, niſi medicamentorum opera coerceatur: quod tanto minùs in partibus genitalibus euenire putandum eſt; nimirùm quae malè affectae, ob viciniam & συμπάθειαν ceteris viſceribus affectiones ſuas facilè impertiunt. Quando igitur Thucydides illos genitalibus priuatos euaſiſſe narrat, ſecundum medicos neceſſarium propè eſt intelligere, quòd ferro illa abſcinderent, neque ſinerent morbum intimius penetrare, necareque: vt eueniſſet, ſi partes à peſte infectae atque corruptae, vt ſponte ſua deciderẽt, expectaſſent, neque ſtatim à ſanis eas diſiunxiſſent. Accedit his luculentiſſimum Gal. teſtimonium,

nium; qui comm. 3. ad 3. Hippoc. Epid. tex. 26. exponens quomodo Hippoc. ſcribat in ea peſtifera conſtitutione grauiſſimum malũ fuiſſe, vbi vel inflammatio, vel ſacer ignis pubem & pudenda vrgebant, inquit: Hos morbo etiam citra peſtem ita interdum ea membra putrefacere, vt ipſa praecidere cogamur, atque vrere. Ergo Lucretium commendare potiùs debemus, qui breuitati ac obſcuritati Thucydidis claritatem afferre, nec non eam peſtem diligentiùs deſcribere voluit. Hanc noſtram ſententiam Lambinus quoque in ſuis poſtremò ad Lucretium editis commentarijs, nulla noſtri mentione facta ſecutus eſt. Num autem peſtis haec illa fuerit, à qua Athenas Hippocratem lignorum & herbarum odoratarum incendijs liberaſſe, in ipſius vita, in Athenienſium decreto, & apud Galenum legitur, non multùm intereſt ſcire; attamẽ ipſiſſimam fuiſſe credere quoque poſſumus, eo praeſertim, quòd Thucydidem, Hippocrate iam aetate prouecto hiſtoriam ſuam condidiſſe conſtat.

Locus Virgilij ſecus quàm à grammaticis ex Ariſtotele declaratus. Et cur ab ipſo Medicina ars muta vocata ſit. CAP. XIII.

MVlti declarare conati ſunt, cui Virgilius mare Aquilonibus flantibus atrum fieri ſcripſerit, eo verſu Aeneid.

— Fluctusque atros Aquilone ſecabat:

Quorum omnium ſententias & ſi improbare non intendam, nihilominus quid & ego ſentiam hoc loco exponam: atque ante alia ſupponam, duo prima coloris genera eſſe, album nempe & nigrum, ex quibus vario modo ſimul commixtis, variae ac penè innumerae colorũ ſpecies enaſcuntur. Niger color, nonnunquam obſcurus, interdum tenebroſus, aliquando ater (ſicut à Virgilio) nuncupatus inuenitur: atque hic quandoque verus & naturalis exiſtit, quandoque ſolummodò talis apparet: multos enim colores apparere, & non eſſe, pluribus exemplis demonſtrari poſſet, niſi quòd de columbae collo Septici diſputabant, atque in iride conſpicitur, totum hoc manifeſtum faceret. De verò atro colore quoniam Virgilius, mea ſententia non loquitur, de apparẽte duntaxat ſermonem habebo: qui, ceu in lib. de Coloribus (ſiue ſit Ariſt. ſiue Theophraſti) ſcriptum habetur, hiſce modis apparet: ἢ γὰρ ὅλως τὸ μὴ

ὁρώ-

ὁρώμενον ἐστὶ τῇ φύσει μέλαν. ἢ ἀφ' ὧν μηδὲν ὅλως φέρεται φῶς πρὸς τὰς ὄψεις. τὸ γὰρ μὴ ὁρώμενον, ὅταν ὁ περιέχων τόπος ὁρᾶται, φαντασίαν ποιεῖ μέλανος. φαίνεται δὲ καὶ τὰ τοιαῦτα ἡμῖν ἅπαντα μέλανα, ἀφ' ὅσων ἀραιὸν καὶ ὀλίγον ἀνακλᾶται τὸ φῶς. id eſt, *Vel enim omnino quod non videtur eſt natura nigrum, vel à quibus nullum prorſus lumen fertur ad oculos. Nam quod nō videtur, quando ambiens locus videtur, nigri ſpeciem reddit. Apparent item omnia huiuſmodi nigra, quibus rarum & paucum lumen reflectitur.* His itaque modis nigredine in rebus apparēte, proculdubiò mare aquilonibus ventis agitatum vno ipſorum atrum atque obſcurum videri neceſſum eſt: ſed quoniam non primo, id fieri cuiuis mediocriter in philoſophia verſato perſpectum eſt, ſequitur vt altero modo appareat. Mare ſanè & omnis aqua cùm ſuapte natura alba videatur, eò quia ſolares radij à laeuore ac planitie ſuperficiei reflexi eam illuſtrādo lucidam efficiunt, amiſſo laeuore, radijsq; languentibus fractis atque imminutis; iure merito albedo deperditur, contrariaque ipſi nigredo ſuccedit. Quamobrem (vt ad Vergiliana verba deſcendam) aquilones ſuis vehementibus motibus mare perturbantes, necnon illius planam laeuemque ſuperficiem aſperam reddētes, ita vt altera pars depreſſa, altera eminens euadat, iuxta id quod Poeta 3. Aeneidos expreſſit, dicens;

Et glacialis hiems aquilonibus aſperat vndas.

Propter ſimilem aquae inaequalitatem paucis radijs, illiſque fractis & imminutis incidentibus, haud ſuperficies depreſſae pars illuminatur, immò ab illa aſperitate diuulſum & diſſipatum lumen aboletur; & propterea ſuperficies aquae vmbris quodammodo plena, lumineque priuata, nigra apparet. quam apparitionem inſinuaſſe Virgilium apud me certum eſt, ſicut etiam Ariſt. 23. part. prob. 23. fieri auctoritate Homeri abundè demonſtrauit. Iam verò ſententiam hanc ex veris philoſophiae fundamentis capi, quae Poetae ignota minimè fuerunt, apertum erit, ſi bellum de Coloribus magna doctrina refertum eo in loco perlegamus, vbi haec ſcribuntur: ὁμοίως δὲ καὶ τὸ ὕδωρ μέλαν φαίνεται, ὅταν τραχυνθῇ, καθάπερ ἡ τῆς θαλάττης φρίκη. διὰ γὰρ τὴν τῆς ἐπιφανείας τραχύτητα ὀλίγων τῶν αὐγῶν προσπιπτουσῶν, καὶ διασπωμένου τοῦ φωτὸς, τὸ σκιερὸν μέλαν φαίνεται. id eſt: *Similiter autem & aqua nigra apparet, quando aſperata ſit, veluti in maris aeſtu. Nam ob ſuperficiei aſperitatem cùm pauci radij incidant, ac lumen diuellatur; quod vmbroſum eſt, nigrum videtur.* Quo in loco atque in Problematis φρίκης nomine vtitur Ariſtoteles, ad ſignandam maris perturbationem: perinde ac medici idem vſurpant ad horrores & concuſſiones febrium ſignificandas. Cur autem Virgilius 12. Aeneidos

medi-

medicinam Mutam artem vocarit carminibus his:

Ille vt depoſiti proferret fata parentis,
Scire poteſtates herbarum, vſumque medendi,
Maluit, & mutas agitare inglorius artes.

non deſuerunt, qui explicare conati ſint, ita ſcilicet à Poeta vocatam dicentes, quoniam comparata muſicae, ignobilis ac parum celebris eſt. Sed eorum mendacia faciliter redarguuntur, quòd Homerus multis antea ſaeculis medicum magnis nominibus dignum fecerit. Itaque appoſitiſſimè Fuluius Vrſinus doctiſſimus, mihique ob candidiſſimos ſuos mores, & miram eruditionem valde carus, atque arcta amicitia coniunctus, in ſuis collationibus, Mutam à Vergilio artem medicam nuncupatam inſinuauit, quòd tota eius vis in operationibus ac remedijs potius, quàm in ſermonibus atq. eloquentia collocetur, vt non modò Cornelius Celſus, verùm etiam Galenus vbique praedicat. Vnde in medicos loquaces dicterium emanauit:

Ιατρὸς ἀδόλεσχος νοσοῦντι πάλιν νόσος.

Caſſiodorus in varijs ad Albinum, & Labienum ſcribit Pantomimorum artem à veteribus eſſe vocatã mutam, quae ore clauſo manibus loquitur & geſtibus facit intelligi, quod vix lingua, aut ſcriptura perciperetur. Claudianus.

Qui geſtu manibusque loquax.

Loca Ariſtotelis & Strabonis de Generatione animalium in niue, et igne collata, atque examinata. Locus Ariſtotelis emendatus. CAP. XIIII.

ARiſtoteles 5. de Hiſt. animal. cap. 19. animalia quaedam ex niue atque igne oriri hũc in modum ſcribit: καὶ γὰρ ἐν τοῖς δοκοῦσιν ἀσηπτοτάτοις ἐγγίνεται ζῷα, οἷον ἐν χιόνι τῇ παλαιᾷ σκώληκες· γίνεται δὲ ἡ παλαιὰ ἐρυθροτέρα, διὸ καὶ οἱ σκώληκες τοιοῦτοι καὶ δασεῖς, οἱ δὲ ἐκ τῆς ἐν Μηδίᾳ χιόνος, μεγάλοι καὶ λευκοί· δυσκίνητοι δὲ πάντες. ἐν δὲ Κύπρῳ, οὗ χαλκῖτις καίεται, ἐπὶ πολλὰς ἡμέρας ἐμβαλλόντων, ἐνταῦθα γίνεται θηρία ἐν τῷ πυρὶ τῶν μεγάλων μυῶν μικρόν τι μείζονα, ὑπόπτερα, ἃ καὶ τοῦ πυρὸς βαδίζει, καὶ πηδᾷ. ἀποθνήσκουσι δὲ καὶ σκώληκες, καὶ ταῦτα χωριζόμενα τὰ μὲν τοῦ πυρὸς, οἱ δὲ τῆς χιόνος. *Quinetiam in ijs, quae putredinẽ nullam poſſe recipere exiſtimantur, naſci animalia nouimus, vt vermes in niue vetuſtiore, qui hirti*

ſunt

ſunt pilis, & rubei, quoniam & ipſa nix vetuſtate rubeſcit. Sed in niue in Media candidi & grandiores inueniuntur, Torpent omnes, ac difficulter mouentur. In Cypro inſula aerarijs fornacibus, vbi chalcites lapis ingeſtus compluribus diebus crematur, beſtiolae in medio igne naſcuntur pennatae, paulò muſcis grandioribus maiores, quae per ignem ſaliant, atque ambulent. Emoritur & hoc genus, & aliud niuis alumnum, cùm alterum ab igne, alterum à niue demotum eſt. Quae cùm referat etiam Antigonus in Paradoxis, non μυῶν, ſiue murium, vt in Graeco & Latino codice legitur: ſed μυιῶν, id eſt, muſcarum legendũ eſt. Animalia verò haec, & praeſertim ex niue generata, quoniam Strabo, vt in Armenia fiant, ex Apollonide monſtrat, eius verba haud Ariſtotelicis diſſimilia hic ex libro eius Geographiae. 12. ſubiungam: ἐν δὲ τῇ χιόνι βώλους πήγνυσθαι φασὶ κοίλας περιεχούσας χρηστὸν ὕδωρ, ὡς ἐν χιτῶνι, καὶ τὰ ζῶα δὲ ἐν αὐτῇ γεννᾶσθαι· καλεῖ δὲ σκώληκας Ἀπολλωνίδης· Θεοφάνης δὲ θρῖπας, καὶ τούτοις ἀπολαμβάνεσθαι χρηστὸν ὕδωρ, περισχισθέντων δὲ τῶν χιτώνων πίνεσθαι. τὴν δὲ γένεσιν τῶν ζώων τοιαύτην εἰκάζουσιν, οἵαν τὴν τῶν κωνώπων ἐκ τῆς ἐν μετάλλοις φλογός, καὶ τοῦ σπινθῆρος. *In niue glebas quaſdam concauas congelaſcere prodiderunt, aquam optimam tanquam in tunica continentes: in niue animalia quaedam concreari, quae Apollonides Vermes appellat, Theophanes verò Montanas Teredines: atque in illis aquam optimam contineri, & ruptis tunicis bibi: Horum animalium generationem talem putant, qualem culicum ex flamma & bractea metallorum.* Quae omnia ſanè creditu difficilia ſunt, quòd ad animalium generationem neceſſariò tũ calor tum humor requiruntur; quorum alter ab igne, alter à niue maximè abſunt: immò agricolae, dum ſemina in terra adhuc latent, hieme niuium copiam exoptant, quo inter cetera beneficia id conſequantur, ne beſtiolae frugibus pernicioſae alantur, ſed exiſtentes enecentur. Itaque ſi in niuibus interdum vermiculi conſpiciuntur, ex terra emanaſse, ipſiſque ſe inuoluiſse putandum. Pariter animalia apparentia in fornacibus metallorum potiùs crediderim ex terra metallis commixta, in qua naſcuntur, erumpere, quàm in igne ipſo oriri. eo maximè quòd Ariſtoteles quaſi ſui immemor in 2. de Gener. animalium cap. 3. vbi maturiùs, quàm in Hiſtoriarum libris naturae res examinauit, nec in igne ipſo, nec in ignitis vllis, ſiue humidis, ſiue ſiccis animal quodpiam gigni, hunc in modum ſcripſit: διὸ πῦρ μὲν οὐδὲν γεννᾷ ζῷον, οὐδὲ φαίνεται συνιστάμενον πυρουμένοις, οὔτ᾽ ἐν ὑγροῖς, οὔτ᾽ ἐν ξηροῖς οὐδέν. Idem quoque proditum inuenitur 4. meteor. ſum. 2. cap. 1. & 2. de gener. & corr. tex. 21. Hactenus de re ipſa ab Ariſtotele narrata. Nunc occaſio poſtulat, in eius V. de

Hiſtor.

Hiſtor. anim. ſuprà citatis verbis Graecis maculã inſignem deleam: quoniam vbi legitur, οἱ δὲ ἐκ τῆς ἐν ἰνδίᾳ χιόνος μεγάλοι, legendum monſtrat antiquiſſimus apud me manuſcriptus codex, οἱ δὲ ἐν τῇ ἐν Μηδίᾳ χιόνι μεγάλοι. Ita verò legi debere vt ſentiam, duae rationes impellunt. Vna eſt, quòd nix ſereno tempore vel liquatur interdiu, vel noctu gelatur: & propterea quomodo ex ipſa grãdiores vermes naſci queant, non video. Altera ratio eſt, quòd Strabo, qui in Armenia huiuſcemodi animalium generationẽ fieri ſcribit, etiam regionem eam Mediae finitimam, atque in producẽdis rebus ſimillimam facit. Itaque prudenter Gaza, vel coniectura ductus, vel optimo codice adiutus, verba in vulgatis deprauata ſic tranſtulit; quemadmodum ex manuſcripto noſtro transferendum cenſemus.

…niae genus ab Aretaeo medico deſcriptum, & monſtratum. CAP. XV.

ARetaeus medicus in eo libro, quem περὶ χρονίων παθῶν inſcripſit, explicatis multis inſaniae generibus, vnum in fine narrat his verbis: τέμνονται τινὲς τὰ μέλεα θεοῖς ἰδίοις ὡς ἀπαιτοῦσι χαριζόμενοι εὐσεβεῖ φαντασίῃ: καὶ ἔστι τῆς ὑπολήψιος ἡ μανίη μοῦνον, τὰ δὲ ἄλλα σωφρονέουσι. ἐγείρονται δὲ αὐλῷ, καὶ θυμηδίῃ, ἢ μέθῃ, ἢ τῶν παρεόντων προτροπῇ: ἔνθεος δὲ ἡ μανίη κἢν ἀπομένωσι, εὔθυμοι, ἀκηδέες, ὡς τελεσθέντες τῷ θεῷ ἄχροοι δὲ, καὶ ἰσχνοὶ, καὶ ἐς μακρὸν ἀσθενέες πόνοις τῶν τρωμάτων, id eſt, *Sunt qui membra ſibi ipſis amputant, tanquam Dijs proprijs ea repetentibus, gratam rem pia cogitatione facturi. Atque inſania huiuſmodi in opinione duntaxat collocatur, cùm in reliquis temperatè ac prudenter degant. Excitantur verò tibia, animive oblectatione, aut temulentia, aut adſtantium exhortationibus. Manat huiuſcemodi furor à Deorum afflatu. Quòd ſi incolumes deſiſtant, bono & pacato animo ſunt, tanquam Dijs initiati: at decolores, macilenti, & prae vulnerum doloribus infirmi longo tempore remanent.* Hos verò fuiſſe Cybeles ſacerdotes, Gallos vocatos, Corybantas, & omnes eos, qui matris Deum ſacris initiabantur, facile eſt illis intelligere, qui eorum ſacrorum ritus ac modus paſſim ab auctoribus deſcriptos in memoriam reuocarint. Nunc ſatis erit meminiſſe ſacerdotes & miniſtros eius Deae cymbalis atque tympanis curſitantes, ſeſe furore correptos ſimulare, aut etiam opinari conſueuiſſe,

ſicque

ſicque inſanientes caput rotare, genitalia abſcindere, cultris faciem, & muſculos corporis totius (ſicut Catullus, Strabo Geog. x. & Apuleius n viij. Transformationum memorant) diſſecare, morſibusque ſeipſos impetere, quaſi flagitijs ſimilibus eam Deam gaudere putarent. Nec aliquis mirari debet veteres, lumine Chriſtianae veritatis orbatos, vſqueadeò ſpurciſſima ac immaniſſima facinora ſub religionis titulo peregiſſe; ſiquidem Plutarchus in libro περὶ δεισιδαιμονίας, prauam religionem & ſimilia, & his peiora hominibus ſuggerere, exemplis Galatarum, atque Scytharum humano ſanguine Dijs ſacrificare ſolitorum copioſe ſatis oſtendit. Vnde non immeritò apud Herodotũ in Melpomene Scythae vitio verterunt Graecis agendi Bacchanalia conſuetudinem, negantes rationi conſent neum eſſe, excogitare Deum, qui homines ad inſaniam adigat. D rò furorem hũc inter morbos à medico antiquiſſimo. & Hip tis doctrinae ſtudioſiſſimo maximè recenſeri, commendo Caelium Aurelianum nequaquam improbo, quòd & in 4. c narum affectionum Molliciei inter morbos locum fecerit: quae ſolo animi vitio, & non corporis naſci videatur, aegritudinem ta maximam ſi quis appellet, minimè errauerit, quemadmodum vocauit Iuuenalis in 11. Satyr. vbi ſic ipſam deteſtatur:

Magna inter molles concordia, non erit vllum
Exemplum in noſtro tam deteſtabile ſexu:
Taedia non lambit Clauiam, nec flora Catullam:
Hiſpo ſubit iuuenes, & morbo pallet vtroque.

Defenditur Galeni inſcriptio περὶ πεπονθότων τόπων. Loca Aretaei & Galeni collata de ijs, qui corde patiuntur. C A P. XVI.

IVlius Caeſar Scaliger, vir certè noſtrorum temporum doctiſſimus ac ſubtiliſſimus fuit: ſed dum in Galenum ingenij acumen exercere nimis ſtuduit, plerunque maledicentiam ſuam atque imprudẽtiam detexit: vt ipſi tunc contigit, quando in primo commentariorũ, ſiue potiùs accuſationum, quas in libros de Plantis Ariſtoteli inſcriptos edidit, eum damnare nititur, quòd libros inſcripſerit περὶ πεπονθότων τόπων, cũ potiùs περὶ παθόντων inſcribere debuiſſet. Quod πέπονθε (inquit) non

ampliùs patitur: non igitur eget opere medici. Pulchra ratio, & ſubtili homine digna. Videamus itaq; quomodo vir iſte Galeni doctrinam parum guſtauerit. Nam quicunq; antiquorum de Locis affectis tractarũt, vt fecit Archigenes medicorum ſui temporis princeps, inter τόπους παθόντας, καὶ πεπονθότας id diſcrimen poſuerunt, quòd παθόντας vocarunt eas partes, quae extra ſe cauſſam paſſionis tantũ habent, atq; ea abeunte incolumes & ſanae relinquuntur: πεπονθότας verò eas vocarunt partes, quibus non tantùm cauſſa externa eſt, quae ipſis morbum faciat, verùm etiam quae propriam in ſeipſis ac iam factam affectionem, licet aliquando inſenſibilem, retinent, ita vt etiam recedente cauſſa nihilominùs affectae remaneant: & ſic vocarunt, quaſi non modò patiantur, ſed etiam iam paſſae ſint. Cùm itaq; Galenus in libris de Locis affectis totam tractationẽ conſumat praecipuè in docendo, quà methodo partes iam paſſae, & affectione propria à cauſſa ſibi externa & (vt dicunt) per conſenſum occupatae dignoſci queant, περὶ πεπονθότων τόπων eos inſcripſit. Hae namque proprio ac inteſtino affectu laborantes ſunt, quae potiſſimùm curationem expoſtulant: non illae, quae nihil in propria eſſentia paſſae, aliunde ſolummodò vexantur, & cauſſa extincta, nihil offenſae, aut parum admodum remanent; & propterea παθόντες τόποι nuncupantur. Patet igitur quàm iniuſtè Galenus reprehendatur, quem iam aetate prouectum, quando eos libros ſcribebat, in titulo ponendo feſelliſſe, apud me à ratione alienum omnino videtur. Cur autem Rabi Moſes in ſuis Aphoriſmis citans libros hos, appellet Scientiarum libros, hactenus certè diuinare non potui. Ex quinto eorum librorum id mihi obſeruatione dignum in primis videtur, quòd quicunque corde vulnerantur, vſquequo vitam trahant, ſemper mente conſtent, ac ſapiant quaſi neceſſariò inde colligatur, animam rationalem minimè in corde collocari. At Galeno vetuſtior Aretaeus in ij. de Acutis paſſionibus, ſimile quid de corde in Syncopis tractatione ſcriptum reliquit: vbi differentiam oſtendens eorum, qui ore ventriculi infeſtantur, & eorum quos cordis labor aliquis exercet, de poſtremis ita loquitur: ἔπι δὲ τοῖσι καρδιώσσουσι, καὶ αἰσθήσιες ὀξύτεροι, ὡς ἰδεῖν, καὶ ἀκοῦσαι μᾶλλον, ἢ πρόσθεν, καὶ γνώμη ἀσφαλέστεροι, καὶ ψυχῇ καθαρώτεροι. καὶ τὰ δὲ οὐκ εἰς τὰ παρ᾽όντα μόνον, καὶ ἐς τὰ μέλλοντα μάντιες ἀτρεκέες. Eſſe ſcilicet, qui corde laborant, ſenſibus auctioribus ita, vt magis quàm anteà videant, audiantque, & praetereà mente conſtare, animumque puriorem habere, ac nedum in praeſentibus dignoſcendis: verumetiam in futuris exactos diuinatores exiſtere.

Quid ſit apud Galenum. Ellychnium Tarſicum: Error Cornarij de fungis, et de Goſſypio. CAP. XVII.

GAlenus in libro Meth. 13. modum, quo ad cicatricem ducuntur vlcera, docens, ellychniorum Tarſenſium meminit: quemadmodum etiam in 14. eiuſdem tractationis libro, vbi oedematis curandi rationem tradens, ſpongiam poſca madidam probat, eaq; deficiente ellychnium Tarſenſe ſubſtituendum monet. Quibus in locis quid ſub ellychniorum eiuſmodi nomine intelligi debeat, ab omnibus ferè hactenus ignoratum eſt. Ego verò quae illa fuiſſe ex auctoribus coniecerim, in medium afferam, ſententiam mutaturus, quotieſcunque meliorem quis mihi monſtrauerit. Ex varijs namque lignorum generibus pro lucernis accendendis ellychnia feciſſe veteres, apud omnes conſtat: iccirco & Tarſenſia à Galeno vocata, ex huiuſcemodi materia fuiſſe conflata, putare debemus. Inter alia autem cùm vnum extiterit Goſſypium à Latinis, à Graecis ξύλον nuncupatũ, vt Plinius lib. 19. cap. 1. meminit: hoc ἐλλύχνιον ταρσικὸν Galeno ſignificaſſe, tribus rationibus, vti credam, impellor. Vna eſt, quòd Galenus nullibi goſſypij mentionem facit: vnde, niſi his locis illud deſignet, ipſi ignotum extitiſſe dicendum, quod tamen non admodũ veriſimile videtur, quando Plinij tempore Romae praeſertim, cuique abundè ſuppetebat & ad varios medicinae vſus inſeruire poterat. Altera ratio, quòd Galenus ellychnijs illis mollitiem prae ceteris attribuit. De goſſypio ſcribit Plinius, nulla ipſi in candore mollitiave praeferenda. Tertia eſt, quòd loco ſpongiarum (vt Galenus monet de Ellychnio Tarſico) xylinum linum, ſiue goſſypium aptiſſimè in vſum medicum reuocatur. Sed duo huic opinioni obſtare fortaſſe alicui videantur. Alterum eſt, Galenum ellychnio Tarſico carnem excreſcentẽ deprimendi poteſtatem tribuiſſe, quae in goſſypio minimè reperitur. Alterũ, quòd nullus ex Tarſo Ciliciae vrbe xylinum linum inuectum ſcribit, ſed Plinius in ſuperiori Aegypti parte in Arabiam vergẽte oriri memorat. Attamen haec dubia facilè diſſolui poſſunt, ſi dicamus, goſſypiũ in fila redactũ, quemadmodum pro ellychnijs fiebat, atq; et hodie paſſim fieri cõſpicitur, eandẽ penè operam in cõpeſcenda carnis luxurie praeſtare, quam & fila linea. Praeterea tpe Plinij in Aegypto

illa fila fieri conſueſſe, tempore verò Galeni optima in Tarſo fieri coepta: ſicuti temporibus noſtris in Cypro, in Italia, & in alijs regionibus. Nec ſanè mirum videbitur, ſi cogitemus, facilè ob tractus viciniam ab Aegyptijs Cilices, & ab his Cyprios, deinde alias nationes tale lini genus accipere potuiſſe: neque verò ferre poſſum Cornarium, qui ſungorũ genus fuiſſe ellychnium Tarſicum leuibus coniecturis inducitur lib. iij. com. medic. cap. vltimo, vbi prae caeteris, qui fuerint lucernarum ſungi, ſimpliciter admodũ ignoraſſe videtur. Non enim Plinius, aut quiuis alius eo in loco intellexit fungorũ genus ellychnijs lucernarum conficiendis vſurpatum, ſed excrementum inſtar fungi circa lucernas, dum vruntur, cõcretum, vt Virgilius primo Georg. à quo accepit Plinius, Scintillare oleum, & putres cõcreſcere fungos. Quod porrò memoriae Plinius mandauit, ex goſſypio veſtes ſacerdotibus Aegyptijs gratiſſimas fieri conſueuiſſe, vſque etiam ad tempora noſtra perdurare, nemo ignorat: quando veſtes illas ſacerdotum, quas Itali vocabulo populari Cottas, Rochettosve appellant, ſaepenumerò xylinas, & praeſertim ditiorum ac nobilium eſſe videamus: Nunc in regno ampliſſimo & ditiſſimo Chinae vſque adeo copioſe fit goſſypium & ſericum, vt ignobilis quiſque xylinis veſtimentis, nobiles autem ſericeis induantur.

Morbus Deliorum ab Aeſchine deſcriptus. Locus Celſi notatus, & alter Nonij emendatus. Contradictio Herodoti & Plinij. CAP. XVIII.

AEſchines rhetor nauigationem quandam Philocrati per epiſtolam ſuã deſcribens, cuiuſdam Deliorum peſtiferi morbi meminit: qui quòd forſan ab aliquibus ignorari poſſet, hoc in loco (vt mea fert ſententia) notũ facere ſtudebo. Sic itaque in lib. Graecarum Epiſt. legitur: λύσαντες ἐκ Μουνιχίας, ἑσπέρας λαμπρῷ σφόδρα σκίρωνι, περὶ μέσην ἡμέραν κατήχθημεν εἰς νῆσον τὴν Κίον. καθίσαντες δὲ ἡμέρας ἐννέα (σκαιὸς γὰρ ἦν ὁ ἄνεμος) εἶτα πάλιν λύσαντες, ἅμα τῇ ἕῳ εἰς Δῆλον ἤλθομεν: Δήλιοι δὲ ἐνόσουν λοιμώδη τινὰ νόσον, τὰ μὲν πρόσωπα ἐνέπιμπλαντο λευκῆς, καὶ τὰς τρίχας λευκοὶ ἐγίγνοντο, ὁ δὲ τράχηλος αὐτῶν καὶ τὰ στέρνα ἀνῴδει. πυρετοὶ δ' οὐκ ἐγίγνοντο, οὐδὲ ἀλγηδόνες μεγάλαι, οὐδὲ τὰ κάτω μέρη παρήλλαττεν οὐδέν. ταύτην δὲ ἐπείθοντο κατὰ μῆνιν Ἀπόλλωνος αὐτοῖς συμβεβηκέναι, τεταφότας

ἐν τῇ νήσῳ τινὸς τῶν ἐπιφανῶν, οὐ πρότερον εἰωθός, ἐκ τούτου οὖν προσβάλλειν αὐτοῖς τὸν θεὸν τὴν νόσον ταύτην ὑπελάμβανον. ἡμεῖς δὲ ὥσπερ τι ἔθνος ἀλλόφυλον ἢ νῆσον ἐν τῇ ἔξω θαλάττῃ ἀφιγμένοι, καὶ ἰδόντες ἐξαίφνης χρῶμα ποικίλων ἀνθρώπων, νυκτὸς ἀποφεύγοντες ᾠχόμεθα ὦ πυνθανόμενοι ἀλλήλων κατὰ τὸν πόρον, εἰ τὸ χρῶμα ἔχοι ἕκαστος οἷον ἐκόμιζεν οἴκοθεν καὶ τὰς τρίχας: *veſpere ex Atticae portu, Cauro valde claro perflante, ſoluentes, circa meridiem Chium peruenimus: ibique dies nouem (erat enim aduerſus ventus) morati, deinde rurſum aurora ſoluentes, Delum iuimus. Laborabant Delij peſtifero quodam morbo. Vultus quidem vitiligine plenos, capillos pariter albos habebant: ipſorum autem collum & pectus erant tumida: febres verò non aderant, neque dolores inſignes, neque inferiores partes quicquam permutatae fuerant. Atque haec Apollinis ira ſibi contigiſſe credebant, cùm praeter veterem conſuetudinem illuſtris quidam in inſula ſepultus fuiſſet: ob hoc igitur Deum ipſis huiuſcemodi morbum mittere ſuſpicabantur. Nos autem tanquam externas gentes, vel tanquam inſulam in externo mari accedentes, hominumque diverſorum colorem inſpicientes, nocte fuga capta diſceſſimus, mutuo nos ipſos inter abeundum percunctantes, an quiſque colorem & pilos, quos domo geſtauerat, haberet.*

Fuerunt itaque quae tale morbi genus conditiones comitabantur quinque. Primò peſtilens erat; ſecundò leuce ſeu vitiligine ora replebantur, tertiò pili albeſcebant: quartò collum & pectus tumeſcebant; quintò doloribus exiguis aegrotantes exercebantur; aberant febres: Nunquid autem contagioſum malum foret, clarè non explicuit Aeſchines: attamen cùm Delo iam relicta eius ſocij timerent, ne colores atque pilos exigua mora ibi facta mutaſſent, non ſine ratione quis colligeret etiam contagioſum extitiſſe. Quod verò maximè ambiguum in hac re videtur, eſt, an ille morbus fuerit leuce ſiue vitiligo, an alphi, an elephantiaſis alba à Plinio lib. xv. cap. v. vocata. Mihi ſanè cogitanti alphos atque vitiligines neque peſtiferos neque contagioſos fieri; praetereà ſine tumore vllo ac ſine dolore exiſtere, magis inclinat animus vt putem, elephantiaſim ſiue lepram albam fuiſse, quàm peſtiferam, contagioſam, cum tumore & cum dolore fieri, confirmant Medici. Quod ſi cruſtarum leprae huiuſcemodi propriarum nulla fit mentio, ob id non neceſſe videtur ab hac ſententia recedere: quoniam vel ſub leuces nomine, qua replebantur facies, eas comprehendi non inconuenit. Ad id magis forſan repugnat de pilis albis dictum: quos tamen in elephantiaſi ſecundum humoris naturam mutari, valde rationi cõgruit. Videbunt doctiores, quae potior ſententia haberi debeat. Interim obſeruari

velim, Arnobium, qui ſub Diocletiano floruit, in primo Aduerſus gentes libro, voluiſſe eam lepram, quam Chriſtus curauit, nullam aliam fuiſſe, quàm vitiliginem albam. Etenim eius miracula recenſens, vitiliginis ſaepius, leprae nunquam meminit: immò ſi leprae ſigna, quae in xiij. cap. Leuitici copiosè recenſentur, animo voluamus, perſpectum erit, lepram Iudaeorum ipſammet vitiliginem extitiſſe. Addendum eſt hiſce, Celſum Gangraenam vocaſſe Cancrũ; ſicut, & gloſſae antiquae, nam veteres omne ferè mali, quod vt cancer ſerperet, genus, Gangraenam dixerunt, vt ex Lucilio & Varrone docet Nonius: apud quem legitur. *Non vituperamus, cùm ſciamus dictum praecidi oportere, ſi ob eam rem gangraena non ſit ad brachium ventura*, loco dictionis, Dictum, reſtituendum eſt, Digitum, quemadmodum etiam Lypſius iuuenis ingenioſiſſimus iam corrigendum monſtrauit: quanquam is deceptus ſit, putans gangraenam eſſe morbum manus peculiarem, cùm potiùs nulla ſit corporis pars, quae illi obnoxia non ſit. Ad inſulam Delum reuertor; quam eo tempore commotam ſcribit Herodotus in Erato, quo Datis, vt Delijs ipſum fugientibus reditum patefaceret, aduerſus Eretriam claſſem, & ſimul Ionas atque Aeolas ſecum egit; cùm nec priùs, nec poſteriùs (ſic enim legendum: & non, quemadmodum Latinus interpres) vſque ad aetatem ipſiùs Herodoti commotionẽ paſſa foret. Ceterùm Plinius lib. 4. cap. 12. eandem Delum diu fluctuatam vſque ad Varronis tempora, qui paullo minùs trecentis annis poſt Herodotum vixit, immotam perduraſſe teſtatur. Quam virorum diſcordiam alijs conſiderandam relinquo.

Heracliti morbus: eius & Aſclepiadis ſententia de Vrina, Galeni ad idem locus notatus. De Iberis dentes vrina lauantibus. CAP. XIX.

AEgrotabat Heraclitus, vt ipſemet in epiſtola ad Amphidamantem narrat, cumque eum medici conueniſſent, nec alter alteri concordaret, vt philoſophus eorum inſcitiam atque petulantiam retunderet, obſcuris verbis (vt ſui moris erat) ab ipſis quaeſiuit, quomodo ἐκ τῆς ἐπομβρίας ποιητέον αὐχμόν. Cui neſcientes ignari medici quicquam reſpondere, ab Heraclito iure expulſi fuerunt. Laborabat enim ille ventris hydrope, ἀσκίτην vocant Graeci: qui vt facilè notis proprijs manifeſtatur, ſic non ar-

duum erat & ipſum cognoſcere, & curandi rationem ex iſs verbis intelligere. Sed ante Heracliti atque Hippocratis tempora medici Empiricem tantùm profitebantur, & iccirco neque morborum naturas, neque veras curationum regulas noſcebant, vt iure meritò tum ipſe in huiuſcemodi medicos inuehatur, oſtendens nihilo ſecius medicum humanos languores, curare debere, atque Deus magna mundi corpora medicatur, dum eorum inaequabilitates adaequat, atque contraria contrarijs cohibet: dum etiã ille apud Athenaeum non inſulsè prorſus dixerit, *εἰ μὴ ἰατροὶ ἦσαν, οὐδὲν ἂν ἦν τῶν γραμματικῶν γένος μωρότερον. quòd ſcilicet, niſi eſſent medici, nullum grammaticis ſtultius inueniretur genus.* Neque ſolummodo aſſeuerabat Heraclitus perinde hominibus medicinam atque Deo exercendam eſſe; immò & omnia in corpore noſtro fieri, ſicut & in mundo magno opinabatur: ita nanque vrinam in veſica gigni, quemadmodum in aeris ſecunda regione pluuiam: quòd vt hic ex vaporibus à terra elatis, ac in nubem condenſatis pluuia efficitur, ſic ab eſculentis poculentisve halitus in veſicam emanantes vrinam producant. Heraclitum verò hũc in modũ ſenſiſſe auctor eſt in 13. *ſect. prob.* 6. Ariſtoteles; quam falſam ſententiam Aſclepiadem quoque medicum olim celeberrimum ſecutum eſſe docet Galenus in 1. de Fac. naturalibus libro, in cuius fine diſputans aduerſus Lycum de vrinae natura, ſentire videtur, id totum, quod potatur, per vrinam excerni, praeter pauca quaedam per aluum, per ſudorem, aut per inſenſibilem vocatam expirationem interdum exeuntia. Quod dogma verum eſſe, vt ipſemet ex euidentibus, atque Eraſiſtrati auctoritate probare nititur, in Lectionibus noſtris iam opera & ſtudio auditorum editis, latiſſimè probauimus, vbi clarè (ni fallor) & rationibus, & veterum medicorum ac philoſophorum auctoritatibus apparet, vrinae materiam nullam aliam eſſe, niſi ſubſtantiam ipſammet potulentam. Hic illud addam, quod Catullus in Egnatiũ, & Strabo lib. 3. Geog. necnon Diodorus in quinto ſcribunt, Celtiberos, Hiſpanoſque conſueuiſſe manè lotio proprio dentes atque gingiuas ad abſtergendum nocturnas ſordes colluere. Quod ſane magis ferri poteſt, quàm vrina in cloacis inueterata ſeſe lauare, vt Iberos factitaſſe memoriae prodidit Strabo.

Aetius redarguitur, cur Caſtrati non fiant leproſi. Locus de Satyriaſi. De Manu Gregorij Nyſſeni ſententia noua.

C A P. X X.

Aetius lib. 13. cap. 125. multa praeclarè de Elephanticorum victu memoriae mandauit: ſed in duobus inſigniter eum lapſum ſemper exiſtimaui. in vno, dum cauſſam, qua caſtrati eo morbo non tentantur, aſſignare ſtuduit: in altero, dum elephantiaſi correptos generandi gratia cum mulieribus aliquando conſuetudinem habere conſuluit. Quòd in caſtratis larga fiat ſeminis generatio, atque non caſtrati vtilem ac bonum humorem in eo ita abſumant, vt illi à morbo ea ratione euadant, hi verò faciliùs capiantur, ridiculum ſanè eſt fateri: ſicuti abſonum eſt, quos elephantiaſis exercet multo abundare ſemine putare. In ijs enim, qui omne membrorum alimentum vitiatum & corruptum habent, quomodo ſemen, quod vltimi ac vtilis alimenti περίττωμα eſt, multiplicari poſſit, non video. Quare verior ſeſe offert ratio, cur eunuchi ab eo malo immunes reddantur; ſiquidem praecipua illius generationis occaſio à caliditate & ſiccitate cùm iecoris, tum vniuerſi corporis habitus dependet, & iccirco huiuſcemodi affectio Aegypto familiaris traditur. Eunuchi verò frigidi atque humidi citra omnium controuerſiam fiunt: vt nemini arduum ſit intelligere, hinc naſci, quòd caſtrati non ſolùm leprae, verumetiam vlli alteri morbo à calido, & ſicco naſcenti non facilè ſubijciantur. Conſulere porrò, vt laborantes lepra generandi gratia concumbant, eſt non modò malè affectos iugulare, ſed etiam reliquos peſte inficere, morboſumque genus humanum reddere velle. Cur autem Elephantici vſque adeò veneris appetitu ſtimulentur, non aliam cauſſam puto, niſi quia vaſa ipſorum omnia multo & craſſo flatu humoreve incocto replentur, qui tam genitalia ipſorum, quàm ora ſatyris ſimilia efficit: ob quod etiam σατυρίασις & σατυρίας à veteribus medicis tale mali genus nuncupatum inuenitur: quemadmodum apud Ariſtotelem in 4. de Gen. animal. cap. 3. vbi haec leguntur: παραπλήσιον δὲ τοῦτο καὶ τὸ νόσημα τὸ καλούμενον Σατυρίας. καὶ γὰρ ἐν τούτῳ διὰ ῥεύματος ἢ πνεύματος ἀπέπτου πλῆθος εἰς τὰ μόρια τοῦ προσώπου πα-

ῥευματισόντος, ἄλλου ζώου καὶ σατύρου φαίνεται τὸ πρόσωπον. id eſt: *Similis huic eſt morbus Satyriaſis vocatus. Etenim in hoc ob fluxionis & crudi flatus copiam vultus partes ingredientis, alterius animalis, & ſatyri facies apparet.* Niſi igitur Plutarchus eo modo exponatur, quo in 1. lib. harum obſeruationum notauimus, excuſari non merebitur, cùm Ariſtoteles elephantiaſis mentionem faciat, quam is tempore Aſclepiadis tantùm, qui tercentum annis plus minusve poſt Ariſtotelem vixit, apparuiſſe, in Sympoſ. tradidit. Id quoque eſt huic loco accommodatum, quod ſcribit Galenus in ling. Elephantiaſim eſſe Hippocrati vocatam φοινικείην νόσον. id eſt, morbum Phoenicium quòd ea gens aut prior alijs, aut magis eo morbo ſit vexata; vnde pariter licet corrigere locum Hippocratis in fine 11. prorrhet. vbi male legitur φθινικὴ νοῦσος pro φοινικείη. Manus à natura hominis tributas fuiſſe duabus rationibus auctor eſt Ariſtot. 4. de Part. animal. cap. 10. Vna quod ſit erectus atque ob id non cruribus, vt bruta terram prona ſpectantia, ſed brachijs & manibus egeat. Altera, quòd ſit omnium prudentiſſimus, ſicque ad exercenda prudentiae munera magna inſtrumentorum copia exigatur, pro qua vnae manus ſufficere poſſunt: nempe quae non vnum, ſed multa inſtrumenta ac veluti inſtrumentorum inſtrumentum ſint. Ariſtotelis ſententiae addidit acutiſſimus Gal. 1. de Vſu partium, hominem à natura manibus ornatum fuiſſe, quoniam ſicuti ratio ipſius animo tributa eſt veluti quaedam artium ars: ipſaque ſine inſtrumento ſibi accommodato operari nequit: ſimiliter inſtrumentum omnium praeſtantiſſimum dari conueniebat. Gregorius Nyſſenus auctor non ignobilis in lib. de Opificio hominis, praeter haec, alium naturae in extruendis manibus finem fuiſſe putauit: nimirum ſermonem, homini omnium maximè proprium: quandoquidem niſi manus, quibus cibum pararet, atque in os mitteret, habuiſſet, neceſſariò os ſumendis è terra cibis, vt in ceteris brutis, idoneum fabricare cogebatur: os autem eiuſcemodi loquelae atque ſermoni planè ineptum fuiſſet: vnde, vt loqui poſſet, manus homo habuit.

De Cretae generibus locus Plinij explicatus. Faſciae, Toga, Mappae cretatae. Error Cornarij. De Gypſo Tymphaico Theophraſti loci correcti, & alter Plinij notatus. CAP. XXI.

Ceruſſa ad faciem dealbandam antiquiſſimis vſque temporibus vſas fuiſſe mulieres, praeter multos alios Plautus copioſe teſtatus eſt. Verùm ad candorem atque ſplendorem veſtibus togiſve cōciliandum veteres cretae quodam genere vſos eſſe, Iſidorus in Etymolog. & ante ipſum Plinius lib. 36. cap. 17. memoriae mandauit. Quo in loco cùm non parum obſcure loquatur, & interdum à Galeno diuerſa ſentire videatur, eius ſententiam breuiter explicabo. Itaque Latinus auctor cretae tria genera facit, Cimoliam, Argentariam, & viliſſimam. Cimoliarum altera erat vera, à Cimolo vna Cycladarum inſula, vnde deferebatur, ſic nominata. Altera per ſimilitudinem ita nuncupata, atque huius plures ſpecies fuerunt. Aliae namque ad medicos pertinebant, veluti Theſſalica, atque Lycia: aliae in veſtibus vſurpabantur, ſicuti Sarda, Vmbrica, & Saxum vocata. Sarda aquae commixta & eliquata veſtes abluebantur, mox ſulphure ſuffitae Cimolia vera laeuigabantur; cumque viliſſima eſſet, togis candidatorum dealbandis illuſtrandiſque eam minimè adhibitam puto. Vmbrica, quae precioſior habebatur, poliendis veſtibus in vſu erat: modò enim eliquata, modò ipſis affricata nitorem quē dam gratum ceteris veſtium coloribus praeſtabat: non enim ſolis candidis, vt Sarda, ſed etiam verſicoloribus inſeruiebat. Saxum pumicis inſtar & ipſum candidis veſtibus ſulphure ſuffitis affricatū non modò albedinem augebat, verumentiam nitorem, & lumen quoddam, atque ſoliditatem conciliabat; quo pacto mulieres hodie amylo vel oryzae decocto ad dealbandas ſolidandaſue mappas & vela vtuntur. Hac veteres etiam togis candorem, ſoliditatem, ac nitorem, necnon faſcijs caligarum atque mappis comparare cōſueuiſſe opinor, vnde M. Tullius 2. Epiſt. Ad Atticum 18. faſcias cretatas dixit; & Martialis lib. 12.

Cretatam praetor vellet cùm mittere mappam,
Praetori mappam ſurripit Hermogenes.

Hac

Hac eadem etiam hoſtias mactandas dealbari ſolitas, indicat Iuuen. Satyra 9. ita dicens:

Igne domi lauros, duc in Capitolia magnum
Cretatumque bouem.——

Cretenſes tamen calceos ab Hipp. 4. de Artic. monſtratos, quibus monticolae in Aſia & venatores vtebantur, diuerſos à cretatis extitiſſe, nemo neſcit. Cimolia verò nullo modo candorem tradebat. ſed alios colores precioſos & veros emolliebat, necnon ſulphure contriſtatos quodam nitore exhilarabat: perinde ac hodie factitant ſericarum telarum textores, vbi varijs tincturis nitorem ipſis conciliant, illuſtrantque. De hac locutum credo Galenum, quando denigrandis capillis cimoliam cum alijs rebus commendat, alias namque cimoliae ſpecies eum aut non nominaſſe, aut vno cimoliae vocabulo in 9. de Simpl. med. comprehendiſſe conſtat. Tot igitur Cimolias apud Plinium inuenio, quae primum cretae genus faciunt. Secundum verò cretae genus erat Argentaria, quam Galenus praecitato loco *γῆν ἀργυρῖτιν* appellat, vbi eam abſtergendi poteſtatem habere, & iccirco ad ſplendorem vaſis argenteis ſordidis reddendum homines vſurpaſſe memorat. Qua in re accuſandus eſt Cornarius, qui, vbi Aetius lib. 2. ſcribit, Creticam terram facultatem abſtergendi habere, qua *τὸ ἀργύρεον ῥύπτει*, tranſtulit, Ipſam argentum exterere, ac depurare. Tertium genus fuit Viliſſimae: qua circulos victores domibus vel earum veſtibulis praeducebant, vt eſſent ſpectatoribus (quemadmodum coronis etiam feneſtris appoſitis interdum faciebant) victoriae ſigna; quaque ſeruorum venalium pedes tingebant, vt ab omnibus eos fuiſſe vendendos intelligeretur; ob quod Iuuenalis quendam, qui pro ſeruo venditus fuerat, notans in prima Satyra ſcribit:

Nuper in hanc vrbem pedibus qui venerat albis;

& ante ipſum Tibullus:

Barbara gypſatos ferre catasta pedes.

Nunquid autem huiuſcemodi cretae genere etiam facies eorũ puerorum oblinerentur, qui aut venundari debebant, aut dominis inſeruiebant, ſequebanturque, nondum mihi compertum eſt: illud certè ſcio, veteres puerorum ſuorum vultus oblinire ſolitos, ne gelu aut ſole deturparentur: vt teſtatur Seneca Epiſt. 124. vbi pro, Paedagia, potiùs legendum, Paedagogia, puto: quoniam ſic mancipia apud iuriſperitos vocata legimus. Quo verò ſucco vngerent, haud ſatis ſcio. Id tamen mihi perſpectum eſt, hodie Genuenſes mulieres, ne à ſole facies ipſarum denigrentur, in aeſtate ſolatri ſuccum per lintea-

 mina

mina expreſſum vultibus iungere. Quod cùm mihi Ioannes Vincentius Pinellius, ſingularis doctrinæ & probitatis vir, ſignificaſſet, perſuaſit etiam, veteres potuiſſe huiuſmodi ſucco alioquin paratu facili (quod ſimili in re exigitur) vti. Iam verò Plinius cum Tymphaici gypſi mentionem faciat, admonet, vt locum Theophraſti in libr. περὶ λίθων, lacerum & corruptum, vnde ſua ille acceperat, à me reſtitutum, hic ſubnectam, vbi terras alias arte fieri, alias ſponte naſci ſcribens, de poſtremis ſic ait: αὐτοφυεῖς, καὶ ἅμα τῷ περιττῷ τὸ χρήσιμον ἔχουσαι, σχεδὸν τρεῖς εἰσὶν, ἢ τέτταρες· ἥτε μηλία, καὶ ἡ κιμωλία, καὶ ἡ σαμία· καὶ ἡ τυμφαϊκὴ, καὶ ἡ τετάρτη τούτων ἐστὶ γύψος. χρῶνται δὲ οἱ γραφεῖς τῇ μηλίᾳ δὴ μόνον, τῇ κιμωλίᾳ δὲ οὔ, καίπερ οὔσῃ καλῇ, διὰ τὸ λίπος ἔχειν, καὶ πυκνότητα, καὶ λειότητα· τὸ γὰρ ἀραιὸν, καὶ τραχῶδες, καὶ ἄλιπες ἐπὶ τῆς γραφῆς ἁρμόττει μᾶλλον, ὃ περὶ μηλία ἔχει τῷ φαειδὴν εἶναι, καὶ ἐν τῇ μήλῳ καὶ ἐν τῇ σάμῳ διαφοραὶ τῆς γῆς πλείους. ὀρύττοντα μὲν οὖν οὐκ ἔστιν ὀρθὸν στῆναι ἐν τοῖς ἐν σάμῳ, ἀλλ' ἀναγκαῖον ἢ ὕπτιον, ἢ πλάγιον: ἡ δὲ φλὲψ ἐπὶ πολὺ διατείνει, id eſt: *Quae verò ſponte naſcuntur, ſimulque praeſtantiam vtilitati iunctam habent, tres fere aut quattuor ſunt, Melia, Cimolia, Samia, & Tymphaica, atque harum quarta Gypſus eſt. Melia per ſe ſola vtuntur pictores: Cimolia verò tametſi bona exiſtente, ob pinguitudinem, denſitatem, ac laevorem ipſi inexiſtentes, nequaquam vtuntur: nam raritas, & aſperitas, & pinguitudinis inopia magis in pictura conueniunt. Sunt & in Melio & in Samo plures terrarum differentiae. Effodientem in Samo minimè rectũ, ſed vel ſupinum, vel obliquum ſtare neceſſe eſt: vena autem ad multum protenditur.* Et paullò poſt: χρῶνται δὲ τῇ τυμφαϊκῇ πρὸς τὰ ἱμάτια, καὶ καλοῦσι γύψον οἱ περὶ τυμφαίαν τόπους, καὶ τοὺς τόπους ἐκείνους. ἡ δὲ γύψος γίνεται πλείστη μὲν ἐν κύπρῳ, καὶ περιφανεστάτη, μικρὸν γὰρ ἀφαιροῦσι τῆς γῆς ὀρύττοντες. ἐν φοινίκῃ δὲ καὶ ἐν συρίᾳ καίοντες τοὺς λίθους ποιοῦσιν. ἔπειτα δ' ἐν θουρίοις. καὶ γὰρ ἐκεῖ γίνεται πολλή: τρίτη δὲ ἡ περὶ τυμφαίαν, καὶ περραιβίαν, καὶ κατ' ἄλλους τόπους. id eſt: *vtuntur Tymphaica ad veſtes, Gypſumque appellant Tympheti atque illorum locorũ incolae. Fit autem plurimus gypſus atque praeſtantiſſimus in Cypro: nã qui effodiunt, parum longè à terra auferunt. In Phenicia verò & in Syria ex lapidibus vſtis faciunt, tum in Thurijs: nam ibi quoque plurimus naſcitur. Tertia eſt verò circa Tympheam, Perrhoebeam, & alios locos.* Ex quibus verbis clarè patet, vel Plinium habuiſſe alium contextũ, vel eſſe deceptum, quando 36. lib. cap. 24. ſcriptum reliquit, Tymphaicum gypſum è ſumma tellure peti: quod vni Cyprio & non Tymphaico tribuit Theophraſtus, à quo is tranſcripſit.

Menecrates medicus quis fuerit. Medici Clinici. Locus Plinij mutatus. De Poſca, locus Suetonij. C A P. X X I I.

MEnecratem, cuius frequentem nec incelebrem mentionem fecit Galenus in medicamentorū libris, nonnulli eum eſſe dubitarunt, qui Philippi Macedonum regis medicum egit, quive glorioſo quodam titulo ſeipſum Iouem nuncupabat: vnde poſtmodum ab Ageſilao Spartarum rege inſaniae vitio notatus fuit. At ne horum leuiſſima dubitatio alijs forſan occaſionem errandi praebeat, non alienum iudicaui declarare, Menecratem a Galeno nominatum fuiſſe quēdam Tiberij & Claudij Caeſaris medicum, libertum, ſectae Rationalium addictum, multiſque commentarijs editis inſignem: de quo forſan nec hiſtoriae repugnaret Coelium Aurelianum lib. 1. Diutur. paſſ. cap. 4. meminiſſe. Idem verò ita ſe habere, praeter Galenum, qui 5. de Comp med. ſ. l. ca. 3. Menecratem poſt Antonium Muſam paullò ante Andromachum & Neronis imperium Romae floruiſſe ſcribit, non incertum teſtimonium affert vetus haec inſcriptio, quae hodie in Vrbe ad D. Pauli ſeruatur.

ΤΙΒΕΡΙΩ ΚΛΑΥΔΙΩ
ΚΟΥΡΕΙΝΑΙ.
ΜΕΝΕΚΡΑΤΕΙ. ΙΑΤΡΩ
ΚΑΙΣΑΡΩΝ ΚΑΙ ΙΔΙΑΣ
ΛΟΓΙΚΗΣ. ΕΝΑΡΓΟΥΣ
ΙΑΤΡΙΚΗΣ. ΚΤΙΣΤΗΕΝ
ΒΙΒΛΙΟΙΣ. ΡΝΣ ΔΙΩΝ
ΕΤΕΙΜΗΘΗ. ΥΠΟ. ΤΩΝ. ΕΝ
ΛΟΓΙΜΩΝ. ΠΟΛΕΩΝ. ΨΗΦΙΣ
ΜΑΣΙΝ: ΕΝΤΕΛΕΣΙΟΙ ΓΝΩΡΙΜΟΙ
ΤΩΕΑΥΤΩΝ ΑΙΡΕΣΙΑΡΧΗ. ΤΟΗΡΩΟΝ.

Iam verò Clinicos vocatos medicos à Chirurgis & Empiricis eo modo atque etiam magis antiquitus fuiſſe ſeiunctos, quo temporibus noſtris Phyſici nuncupati ab iiſdem Chirurgis & Caeretanis vocatis ſeparantur, praeter hoc Martialis carmen.

Chirurgus

Chirurgus fuerat, nunc eſt veſpillo Diaulus,
Coepit, quo poterat, clinicus eſſe modo.

& Plinij verba, qui lib. 29. cap. 1. medicinam ab Hippocrate inuentã, Clinicen vocat. & lib. 30. c. 10. in quartanis medicinã Clinicen propemodum nil valere ſcribit: necnon epigramma hoc Graecum.

τῷ λιθίνῳ Διὸς χθὲς ὁ κλινικὸς ἥψατο Μάρκος,
καὶ λίθος ὤν, καὶ Ζεὺς σήμερον ἐκφέρεται.

ſequens inſcriptio, quam Romae marmore inſculptam vidi, ſatis perſpectum facit:

P. DECIMIVS. L. HEROS
MERVLA. MEDICVS
CLINICVS. CHIRVRGVS
OCVLARIVS. VI. VIR
HIC PRO LIBERTATE DEDIT. Hs. Iↄↄ
HIC PRO SEVIRATV IN REMP.
DEDIT Hs. ∞∞
HIC IN STATVAS PONENDAS IN
AEDEM HERCVLIS DEDIT. Hs. [symbol][symbol][symbol]
HIC IN VIAS STERNENDAS IN
PVBLICVM DEDIT. Hs. [symbol][symbol][symbol] Iↄↄ ∞∞
HIC PRIDIE QVAM MORTVVS EST
RELLIQVIT PATRIMONI
Hs. ∞ [symbol][symbol]

Ex qua itẽ manifeſtum eſſe poteſt, quãtũ Romae (quod etiã Plinius meminit) diteſcerẽt medici: nimirũ & qui pro libertate ſibi ipſis aſſerẽda (multi enim erant ſerui) & pro dignitatibus in republica conſequendis, ingentia precia ſoluebant. Hippocrates etiã in lib. de Sterilibus cũ dicat, qui phyſicus eſſe vult debere ad hominis robur atq; habitum reſpicere, ſatis aperte indicat phyſicum eo tempore eſſe vocatum, qui, & ratione non experientia tantùm mederetur. An Clinici quoq; à Romanis dicerentur, aegri decũbẽtes nonnulli, quemadmodum Plinium lib. 25. cap. 5. dixiſſe aliquibus viſum eſt, certè non parum dubito: tametſi Cyprianus lib. 4. Epiſt. 7. paralyticum illum à Chriſto ex diuturno morbo liberatum Clinicum appellare videatur: atq; D. Hieronymus in Epitaphio Paulinae ad Euſtochium manifeſte decumbentes vocet Clinicos: quod item Hermolaus Barbarus, magni iudicij, & rarae eruditionis vir, ex ſacris Bibliis quoque

probare

probare nititur: immò verò Cyprianus ibidem quoſdam ait fuiſſe, qui ludibrio, ſed opprobrio quodam Chriſtianos vocarent Clinicos, miraturque vnde nam ex Hipp. aut Sorano id nomen ipſis tribuerent. Vt his omnibus conſtare poſſit, poſt Plinij quidem aetatem Clinicorum vocabulum ipſis aegrotantibus eſſe tributum, non autem eius temporibus. Hippocratem quidem 1. de Morbis & 4. de acutis ſcio decumbentes κλινοπετεῖς vocaſse, & Plutarchum ac Athenaeum κλινῆρες: at vbi κλινικοὺς dicant, non memini legiſse. Itaque ſi quis pro Clinicis in Pliniano codice Chronicis ſubſtituat, fortaſse non aberret, quando non minùs potuit auctor in loquendo interdum liber, vti hac voce Graeca ſanè, at ab alijs vſurpata, quã Spaſticis, vocabulo ex media Graecia ſumpto, nec fortè a quoquã vllibi praeterquàm ab ipſomet in eodem loco, & alibi vſurpato. Niſi potiùs pro Spaſticis Clinicis alteri ſubſtituere placet, Spaſmis cynicis, vel paſticis cynicis: ſi quidem medici omnes ſciunt, ſpaſmum cynicum faciei eſse morbum, in quo tollendo prodeſse elleborum, ſcripſit etiam Celſus lib. 4. cap. 2. Spaſtici (ait Barbarus) ſunt quibus eſt intus aliquid concluſum conuulſumve. Mirantur nonnulli, quòd ſcribat Suetonius, Aſiaticum, Vitellij Imperatoris libertum, Puteolis poſcam vendidiſse: quaſi huiuſcemodi potus ſolùm in medicum vſum intus & extra adhiberetur. Ego verò minime illud admiratione dignum exiſtimo: quoniam vinum acidum aquae mixtum pro vili plebecula venale extitiſse, rationi conſonat, atque id Poſcam fuiſse appellatum; niſi malumus Puteolis gratia aegrorum qui eo frequentes conueniebant, id ſolummodo factitatum, vt ſcilicet vera poſca venderetur, quam ex aceto parti modò maiori, modò minori aquae mixto factam, memorat Galenus. Quanquam etiam antiquitus, ſicut eſcam pro cibis, ita Poſcam pro potibus eſse vſurpatam, inuenio: quando, vt notat Barbarus, in antiquiſſimis Feſti codicibus, & in Ferentini vetuſto monumento, Poſculenta pro Poculentis leguntur.

TERTII LIBRI FINIS.

HIER.

HIER. MERCVRIALIS
VARIARVM IN MEDICINAE
Auctoribus, & alijs Lectionum.

Liber Quartus.

Qui fuerint apud veteres Archiatri, & Archiatrorum Comites, quodve eorum munus.

CAPVT I.

QVI Galenum, alioſque medicinae ſcriptores vſque ad haec tempora interpretati ſunt, omnes penè in hoc conuenerunt, vt nomen ἀρχιάτρου medicorum principem, quaſiq. excellentiſſimum deſignare voluerint (Io. Baptiſtã Raſarium virum tempeſtate noſtra eruditiſſimum excipio, qui in ſuis Galeni commentariorum translationibus, vbicunque occurrit, Archiatrum transfert.) Id quoniam ego à veritate longè alienum ſemper putaui, credidique ἀρχιάτρον propriè Imperatoris Principiſve, atque eius familiae medicum ſignificaſſe; quibus ductus rationibus hanc opinionem conceperim, in medium proponam: videbunt deinde eruditi, ac in antiquis rebus perſcrutandis verſati viri, num ſententia noſtra aliorum placitis anteponi debeat. Nam primò nullum hactenus Graecum Latinumve ſcriptorem, qui ante Romanos Imperatores floruerit, inuenire mihi eſt conceſſum, qui hac ἀρχιάτρου voce vſus ſit; quod coniecturam non paruam facere videtur, vt Imperatores eſſe, medicosve, cum ſuae perſonae, tum familiae valetudinis curae deſtinatos habere coeperunt, ſic vocem eam tunc à medicis in vſum inuectam eſſe; quod paullò poſt Tiberij & Claudij tempora fuiſſe ideò perſuaſum habeo, quoniam ante ea tempora neque auctorum ſcripta, neque marmoreae medicorum inſcri-

ptiones Romae ſeruatae vſquam hoc nomen habent. Hanc autem Graecam vocem potius, & non Latinam elegerunt, quòd (vt refert Plinius lib.26.cap.1.) nemo Romanus medicam artem exerceret, ſed omnes ferè, aut ſaltem maiori ex parte Graeci, atque ij vt plurimũ ſerui aut liberti eſsent. Vnde ſi Archiater vel medicũ primarium, vel medicorũ principem ſignaſset, conſentaneum ſanè rationi eſset, vti res ipſa ante Imperatores extitiſset, pariter etiam nomẽ eam exprimens aliquando vſurpatum fuiſse; quod nunquã (ni me fallit) ceteri maioris lectionis viri ſecus obſeruarint) apud quempiam auctorem animaduerſum eſt. quemadmodum ex altera parte valde mihi probatur, iccirco ante Imperatores minime id nomen receptum fuiſse, quòd res ab illo ſignata, medicus ſcilicet Principis, nõdum inſtitutus foret. Quinimmò Plinius lib.25.c.8. cuius tẽpore iam Archiatri nomen in vſu haberi coeperat, cùm Damocratem Seruilium Mithridaticae antidoti auctorẽ, medicum ipſius aetate primarium nominare vellet, non eum Archiatrum, ſed è primis medentium vocauit, quaſi ſciret nomen illud medicis duntaxat Principis cõueniſse. Vt his omnibus grauiſſimis coniecturis facile iudicari queat, τȣ̃ ἀρχιάτρȣ nomen haud illis propriè attributum, qui ceteros antecellerent, ſed qui Principis vel Imperatoris perſonae atq; familiae operas ſuas locarent. Praetereà Andromachus, quem Erotianus in Onomaſtici ſui dedicatione ἀρχίατρον appellat, à Galeno item 1.de Antid.14. & de Loc. affe.c.1. Νέρωνος ἀρχίατρος vocatus reperitur, non quia is alios medicos praecellere ab ipſo putaretur, qui Archigenem ab Andromachi tempeſtate vſque ad Traiani principatum in magna exiſtimatione habitum (quod etiam Iuuenalis Satyra 6. inſinuat:

tunc corpore ſano
Aduocat Archigenem. & Sat. 14.
Ocyus Archigenem quaere, atque eme quod Mithridates
Compoſuit)

alios anteceſſiſse ſcribens, nullibi Archiatrum nuncupauit, quòd intelligeret ſolos Principis medicos eo nomine fuiſse vocatos. Quocirca ſi res ipſa non ſecundùm legentis voluntatem, ſed verè atque prudenter aeſtimetur: planè apparebit, Erotianum & Galenum concorditer Andromachum Archiatrum nuncupaſse, quòd eam vocẽ vti debitum ſibi quendam titulum, nimirùm cum Neronis medicus eſset, ei congruere intellexerint. Qua ſimiliter ratione Liuium Eutychum Archiatrum vocatum credo in hac inſcriptione, quae olim in tabellula quadam, vnã cum multis alijs vetuſtate penè conſumptis, Romae ad D. Sebaſtiani reperta eſt:

M. LIVIO

M. LIVIO CELSO TABVLARIO
SCHOLAE MEDICORVM
M. LIVIVS EVTYCHVS
ARCHIATROS OLL. D. II.
INFR. PED. IIII.

Sicut & Petrus quidam Archiater apud Aetium nudis verbis citatus inuenitur: quem eo titulo indicatum, quaſi Principis medicus, non autem medicorum princeps foret, ex Aetij 11. Tetrab. ſer. 3. ca. 110. verbis facile colligi poteſt: veluti quoque Galenum in lib. de Theriaca ad Piſonem non alia ratione puto vocaſſe Archiatros Magnum & Demetrium, atque alios multos alioqui populares potiùs, quam eminentes. Neque verò illud mihi conſonum videtur, Imperatores conſueuiſſe medicos plures conducere, atque inter eos vnũ reliquis ſuperiorem habere, quem & ob doctrinae excellentiam, & ob dignitatem ſibi maiorem delatam Archiatrum vocarent: quandoquidem non vnum, ſed plures ſimul Archiatros extaſſe, apud varios ſcriptores legimus. Qui ex legum peritis quaeſo eſt, qui neſciat, Conſtantinum Imperatorem legem tuliſſe, qua Archiatros illuſtribus priuilegijs, maximiſque gratijs ornari voluit? Quis item nõ vidit eam legem quam Imperator in l. Archia. cap. de metatis. lib. 12. Cod. tit. 41. in hunc modum tulit: Archiatros noſtri palatij, necnõ vrbis Romanae, &c. Ex quibus omnibus negari nunquam poterit, quin Imperatores nõ vnum, ſed plures ſimul Archiatros habuerint; vt hac ratione Archiatrum Principis medicum extitiſſe credendum ſit; alioquin ſi aliorum ſuperior quaſiq. Princeps fuiſſet, par erat non plures vno tempore, ſed vnum tantum eſſe. Quam rem manifeſtius adhuc Vindiciani medici, q. Octauij Horatiani, ſiue Priſciani Theodori praeceptor fuit, necnon Caſſiodori in Epiſt. ad Valent. teſtimonia comprobare queunt: quorum ille Archiatrorum Valentiniani Comes fuiſſe perhibetur; hic verò dum formam, qua Archiatrorum Comes eligebatur, 6. Variarum lib. exponit, ita clarè Archiatros ſimul plures, eoſque Principis medicos extitiſſe, atque horum praeſidem, ac veluti Principem non Archiatrum, ſed Comitem vocatum oſtendit, vt nemo niſi ſuae opinionis nimius amator hanc veritatem inficiari poſſit: quam Andreas Alciatus, auctor noſtra tempeſtate clariſſimus, in com. ſuper lib. Cod. probè cognoſcens, antiquos legum interpretes damnare non dubitauit, quòd vbi leges de Archiatris loquuntur, ſemper medicorum principes, & non principis medicos interpretentur. Porrò quatenus ad vocis ipſius etymon pertinet, etſi vſus ſcriptorum ſecus habere videatur, attamen non minùs ἀρχίατ-

τρὸς τοῦ ἄρχοντος ἰατρὸς, quam ἰατρῶν ἄρχων dici queat: vt neque huiuſcemodi ratio vlla ex parte ijs faueat, quibus diuerſam ſententiam ſequi placuit. Nunc qui eſſent Archiatri, quodve eorum munus, nõ admodum difficile eſt percipere. Si quidem veriſimile vnicuiq; apparere poteſt, vt hodie ſaepenumero contingere cernimus, ita etiã antiquitus contigiſſe, vt qui vel artis praeſtantia, vel quopiam apud Imperatores fauore pollerent, in eius atq. familiae medicos cooptarentur, atq; horum cum aliquis moreretur, alter in eius locum ſubrõgaretur: in qua ſubrogatione, quoniam interdum ob fauores nõnulli indigni locum obtinebant, ea lex condita eſt, quae in Cod. lib. 9. ti. de Profeſſ. & med. cap. 11. habetur, ne ſcilicet quis in Archiatrum eligi deberet, niſi communi meliorum iudicio comprobaretur: nemo enim erat, qui, vt Archiatri locum impetraret, nõ omnem moueret lapidem, nõ modò ob dignitatem ac gloriam, verum & ob honeſtiſſima ſtipendia, ceterave priuilegia, quibus illi fruebãtur. Scribit Plinius. l. 29. c. 1. annua horum medicorũ ſtipendia apud principes fuiſſe CCL. Hs. quae ad monetae noſtrae rationem redacta, faciunt vngaricorum ſex millia, & ſexaginta. Semuncialem vnum, duodenarios nouem, duplos quattuor, ſimplum vnum. Quae tamen non omnium Archiatrorum merces erat: cùm in legibus habeatur. Archiatros ab Imperatoribus, praeter alimenta ſubminiſtrata, quampluribus alijs priuilegijs atque fauoribus donatos eſſe; quae omnia mercedis inſtar, quòd multi forent, ipſis donabantur, perinde ac temporibus noſtris medici aliqui in Pontificis Romani curia, & in aliorum Principum domibus ob ſolam ſportulam, aliasve gratias operam ſuã medendo exhibent. De ijs ſermonem factum à Galeno puto, vbi 9. de Plac. Hipp. & Plat. alios lucri cauſſa medicinam exercere ſcribit, alios ob honorem, alios ob ſibi legibus conceſſam immunitatem, ac reipublicae vacationẽ. Iam verò illorum munus quod eſſet, ex loco Cod. citato cap. 10. ſcire vnicuiq. licet: vbi ex verbis illius legis apertè dici poteſt, Archiatros cùm à populi commodis commoda reciperent ſalaria, non ſolùm Principis familiae, eiuſq. perſonae inſeruiſſe, verũ etiam pauperibus ſine vlla mercedis ſpe obſequi, nec turpiter diuitibus inſeruire obligatos fuiſſe, neq; propterea inferendum eſt archiatros vrbis, à palatij Imperatoris diuerſos extitiſſe, quãdo rationi eſt conſentaneum eoſdem, qui ſtipendia ex redditibus populi capiebãt etiam ſi imperatori, & aulae inſeruirent, populo quoq; medicinam facere conſueuiſſe. Dicebatur verò Archiatros & Archiater, veluti ex auctoribus atque ſuperiori inſcriptione, ſubſequenteq; patet, quae Romae in vetuſto lapide ſeruatur adhuc:

D.M.

D.M.
A. ACTIVS CAIVS
ARCHIATER SIBI ET
IVLIAE PRIMAE CONIVGI
INCOMPARABILI.

Erant itaque Archiatri medici illi omnes, qui principis ſumptibus conducti, eius perſonae primùm, deinde aulae omni, poſtremò cunctis pauperibus arte propria Romae operã praeſtabant: quorum Archiatrorum Princeps quidam ſenior, prudentia & doctrina praeſtantior eligebatur, cuius ſententia & auctoritate omnes de re medica obortae diſſenſiones ſtatim dirimebantur; ijſque Comes vocabatur & prae ceteris maximam Principis curam gerebat, eiuſq. veluti imperium quoddam & poteſtatem magnam obtinebat: vt ex Caſſiodori citato nuper teſtimonio abũde perſpectum eſt. Nolo propter hoc omnino inficiari, quin in vrbe medicorum collegia quaedam & ſcholae inſtituerentur, quorum qui alijs praeſidebat, Archiatros interdũ vocaretur, vt ex inſcriptione Liuij Celſi ſuperius allata, & ex legibus colligi poteſt: verumtamen qui frequẽtius in ore hominum verſabatur, Archiater, is erat, quem deſcripſimus.

De Cydni fluuij aqua, loci Plutarchi, & Galeni & aliorum Collati. Locus Plutarchi ex Galeno reſtitutus. Locus Hippoc. emendatus CAP. II.

CYdnus Ciliciae fluuius eſt, tranſiens per mediã Tarſium, ciuitatem olim nõ minùs quã Athenas & Alexandriam viris in philoſophia, atq; omni alia doctrina praeclariſſimis florentem; cuius fluuij aquam frigidam atq; aſperam eſſe narrans Strabo Geographiae 14. eam tũ belluis, tũ hominibus neruos craſſis humoribus occupatos habentibus, atq; podagricis auxiliari ſcribit. Poſt quem Vitruuius, necnõ Plinius, ex Caſſij Parmenſis ſententia, eandem aquã cruribus podagricorum affuſam dolores leuare ſcripſerunt. Quae omnia nunquid vera ſint, certè dubitari iure poteſt: non modò quia frigidũ neruis aduerſari pro cõperto habent medici, ſed etiã quòd Galenus in lib. de Cauſſis procatarcticis, Alexandrũ Magnum aeſtiuo tempore, dũ ſe in Cydno flumine lauaret, cõuulſione ac tremore torporeve captũ fuiſſe tradit: quemadmodũ

poſterioribus ſaeculis Fridericum Oenobarbum Imperatorem eodem flumine lotum interijſſe ſcribunt hiſtorici. Niſi igitur dicamus contra Q. Curtij auctoritatem, Cydni aquam blando quodam frigore, vt Pauſanias ſcribit, pollere, & vim detergendi inſignem ſub voce, τραχὺ, à Strabone, & interdũ ab Hippoc. deſignatã obtinere, quorum illi dolores ab humore calido naſcentes mitigentur, hac verò humores ipſi neruis elidantur: quomodo podagricis & neruorũ fluore tentatis opem ferat, intelligere arduum erit. Quòd ſi interdũ experientia comprobatum eſt, frigidum affuſum conuulſionem ſoluere, dum calorem διὰ τὴν ἀντιπερίστασιν augendo humoribus diſſipandis aptiorem reddit, non propter hoc Cydni aquam iuuare credendum, alioquin de compluribus alijs aquis frigidis idem foret aſſerendum. Neque etiam immodicos eius frigore dolores conſopiri dicendum, propterea quòd potiùs ſic articulis & neruis nocumentũ, quàm auxilium inferretur. Ob hoc. n. dicebat Hippocr. de podagricis loquens, in lib. de Vſu humidorum, ψυχρὸν πολλὸν καταχεόμενον ἰσχναίνει, καὶ ὀδύνην ναρκοῖ. id eſt, *Frigidum multum affuſum extenuat, & dolorem ſopit*. Alexandrum autem ac Fridericum id paſſos fuiſſe puto, quoniam fortaſſe nimis labore vel aeſtu calefacti, aquae frigidae ſeſe immerſerunt. Cautum enim eſt medicorum praeceptis, ne quis dùm magnopere calet, in frigida lauetur; quoniam tunc corporis meatus valde aperti ingreſſum facilem noxio humoris frigori permittunt: atq; ita nerui calorq; natiuus nõ parum offenduntur, quod quidem minimè verũ eſt de interno calore, & naturali, quia vbi partes aliquae ſunt inflammatae ac rubentes, à frigida, quae influxũ cohibeat, ſicq; euacuet, ferè ſanantur, vt ob hoc dixerit Hippo. v. Aph. 25. podagricos à frigida largè affuſa leuari. Hic adnotare placet qđ ſcribit Plutarchus in vita Syllae, eum ſcilicet Athenis agentem, pedũ dolorem torpidum cum grauitate incurriſſe, quem Strabo dixit eſſe ποδάγρας ψελλισμόν. id eſt, podagrae balbutien. Aquam autẽ Cydni nõ modica detergendi facultate praeditam eſſe, Plutarchi teſtimonio confirmatur, qui libro, in quo De ſitorum oraculorum cauſſas quaerit, vt demõſtraret poſſe aquas & ſpiritus terrae inueniri, a quorum arcana quadam poteſtate animi humani ad futura praenoſcenda diſponerentur, alia alijs conuenire, & non omnia omnibus, multis exemplis ac oratione monſtrat: ἄλλα γὰρ ἄλλοις οἰκεῖα καὶ πρόσφορα· καθάπερ τῆς μὲν πορφύρας ὁ κύαμος, τῆς δὲ κόκκος τὸ νίτρον δοκεῖ τὴν βαφὴν ἄγειν μεμιγμένον. βύσσῳ δὲ γλαυκῆς κρόκος καταμίσγεται, ὡς Ἐμπεδοκλῆς εἴρηκε. περὶ δὲ τοῦ Κύδνου καὶ τῆς ἱερᾶς τοῦ Ἀπόλλωνος ἐν Ταρσῷ μαχαίρας, ὦ φίλε Δημήτριε, σοῦ λέγοντος ἠκούομεν, ὡς ὁ Κύδνος ἐκκαθαί-

ρει σί-

ροι σίδηρον ἐκεῖνοι, ὅτι ὕδωρ ἄλλο μᾶλλον τὴν μάχαιραν, ἢ ἐκεῖνο. καθάπερ ἐν Ὀλυμπίᾳ τὴν τέφραν προσαπλάττουσι τῷ βωμῷ, καὶ περιπηγνύουσιν ἐκ τοῦ Ἀλφειοῦ παραχέοντες ὕδωρ. ἑτέρῳ δὲ πειρώμενοι ποταμῷ οὐδενὶ δύνανται συναγαγεῖν, οὐδὲ κολλῆσαι τὴν τέφραν. id eſt: *Alia enim alijs propria & conuenientia: quemadmodum purpurae faba, & grani infectorij nitrum videntur tincturam commixta ducere. Byſſo autem glaucae crocus miſcetur, vt dixit Empedocles. De fluuio Cydno, & de ſacra Apollonis in Tarſo machaera, o amice Demetrie, te narrantem audiuimus, quòd Cydnus ferrum illud depurgat, neque machaeram vlla alia aqua magis, quàm illa quemadmodum in Olympia cinerem arae affingunt, & aquam affundentes Alphaei cinerem circumdenſant, alio verò flumine id tentantes, nullo poſſunt coniungere, neque cinerem conglutinare.* Vbi manifeſte declarat, Cydni fluuij aquam detergendi repurgandive (cùm ferrum, ex quo machaera Apollinis ſacra in Tarſo conflata erat, ſola depurgaret) vim magnam habuiſse. At hic admoneor primum vt putem byſſi colorem aureum & flauum à Pauſania ſibi tributum minime natiuum, & proprium, ſed potius ex croci mixtura acquiſitum fuiſse, quemadmodum hac de re fuſius in adnotationibus ad lib. Hippocr. de fiſtulis locuti ſumus, deinde vt paullò ante citatum Plutarchi uerborum corruptum in Graeco Baſilienſi codice locum reſtituam. Vbi enim is ſiccitatem calori aſsociatam ſpiritum attenuare, aetheriumque ac purum efficere dixit, ſtatim ſubiungit, *αὐτὴ γὰρ ξηρὰ ψυχὴ, καθ' Ἡράκλειτον*: quibus nil ſignificantibus, hunc in modum corrigi debet, *αὐγὴ γὰρ ξηρὰ ψυχὴ σοφωτάτη, καθ' Ἡράκλειτον*. eam namque ſententiam protuliſse Heraclitum in ſimili prope diſputatione ſcriptum reliquit Galenus eo libello, in quo temperatura corporis animi mores fingi probat: unde etiam locus Hippocratis emendandus eſt, in 1. lib. de Diaeta. ubi in omnibus codicibus Latinis & Graecis, tam uulgatis, quàm manuſcriptis legitur, *ἰσχνασίης δὲ πνεύμονος οὗτος δεῖται, καὶ ξηρασίης*: cùm legi debeat, *πνεύματος*, ſiquidem pulmonem ad prudentiam conferre nulli aſserunt, ſed ſpiritus, qui quanto ſicciores & ſubtiliores ſunt, tanto mentem acutiorem faciunt.

Loci Ariſtotelis & Herodoti collati. Darij luxatio à medico Graeco curata. CAP. III.

IMmenſae ſubtilitatis (vt ait Plinius) vir Ariſtoteles in 2. Politicorum lib. Lacedaemoniorum Reipub. inſtituta examinans, inter cetera illi vitio vertit, quòd ſenatoribus per omnem vitae aetatem de rebus magnis iudicia ferre licetret. cùm in ſenectute id non ſine periculo fieri poſſit: quoniam (ait is) ὥσπερ τοῦ σώματος, καὶ τῆς διανοίας γῆρας. Hanc eandem rationem vſurpauit apud Herodotum in Thalia Atoſſa Cyri filia, & Darij vxor, quae à Demodene medico Graeco vlcere prauo in mammilla curata, viroque ſuò, vt bellũ Graeciae inferret, aſtuto eius medici ita patriam reuiſere ſperantis conſilio, perſuadere conata, inter multa alia haec verba protulit: νῦν γὰρ ἄν τι ϗ ἀποδέξαιο ἔργον, ἕως νέος ἦ ἡλικίην· αὐξομένῳ σώματι, συναύξονται ϗ αἱ φρένες, γηράσκοντι δὲ συγγηράσκουσι, ϗ ἐς τὰ πρήγματα πάντα ἀπαμβλύνονται: id eſt: *Nunc autem, quando aetate iuuenis es, ſi opus ſuſcipias: nam augeſcente corpore ſimul & prudentia creſcit, ſeneſcente verò conſeneſcit, atque ad omnia opera hebetatur.* Vnde non immeritò apud priſcos prouerbio decantatum habetur.

Ἔργα νέων, βουλαὶ δὲ μέσων, εὐχαὶ δὲ γερόντων. id eſt.

Opera iuuenum, conſilia autem mediorum, preces verò ſenum. quem verſiculum Boethus poeta in Athenodorum ſeniorem ſic apud Strabonem in 14. mutauit.

Ἔργα νέων, βουλαὶ δὲ μέσων, πορδαὶ δὲ γερόντων. id eſt.

Opera iuuenum, conſilia autem mediorum, crepitus verò ſenum.

Athenodorus autem contra ipſum, βρονταὶ δὲ γερόντων, ſiue Tonitrus ſenum, dici iuſſit. Sanè haec omnia non de animae ſubſtantia, quam alioquin immortalem credimus, ſed de illius operationibus, quae ab inſtrumentis magna ex parte dependent: intelligi aequius eſt: etſi medici, ac praeſertim Galenus, aliter ſenſiſſe inueniantur. Democedis mentio iam impellit me, vt quam is apud Herodotũ citato loco in curando rege Dario operam praeſtitit, hiſce ſubiungã. Darius. n. in venatu magnam óſſis tali luxationem paſſus, vbi à medicis Aegyptijs, qui omnium primi ea in arte putabantur, varie tractatus eſſet, nec illi in retorquendo torquendoue quicquã proficerẽt, quin potius malũ augerent; Democedes Crotonienſis Graecis medicamentis

mentis vtens,& lenia, poſt acria admouens, Darium, qui ſeptem noctes iam nihil dormierat, & perpetuo doloris cruciatu pene confectus erat, tandem ſomni compotem fecit, breuiq; deinde tempore incolumem prorſus reddidit, cum iam poſthac validum ſe fore ad incedendum deſperaſſet. In qua re an ſolis medicamentis, an etiã manibus os tali reſtituerit bonus medicus, ex Hiſtorici ſermone nõ admodum conſtat: mirum tamen fit, ſi medicamenta tantùm (quemadmodum ex verbis colligi poſſe uidetur) adhibuerit, in eo praeſertim luxationis genere, quod quando vehemens eſt, ab Hippocrate, & Galeno omnium difficillime ſanari traditur. Atqui nec de his, neque de maioribus adhuc antiquorum operibus multum mirari debemus: quandoquidem eos in chirurgica, quae clinice prius reperta fuit, poſterioribus omnibus valde ſuperiores extitiſſe, Homeri atque aliorum teſtimoniis faciliter conuincitur.

Hippocratis & Ariſtotelis loci collati. Galeni de Demonſtrationibus libri qui fuerint: & quae Symphonia à Nemeſio citata. CAP. IIII.

QVoniam Hippocratem noſtris adnotationibus & emendationibus illuſtratum, non ita citò, vt optamus, edere, publico legendi munere atq; aſſiduis aegrotorum uiſitationibus impediti poſſumus; interim aliqua ex ipſis in hunc librum ſparſim protulimus, ut eruditi, quid in ipſo praeſtaturi ſimus, ab hiſce coniicere ualeant. Hippoc. in lib. de Aer. aq. & loc. Aſianos & Europaeos inuicem diſtinguens, illos ingenio magis, minùs uerò fortitudine ualere ſcribit, cuius euentus duas potiſſimum rationes aſſignat. Alteram, quòd Aſiae regio maximam aeris temperati clementiam obtinuit, nulliſque propemodum mutationibus ſubiicitur: Europa contrarium; quod ut ingeniorum bonitati atque menti magnopere confert, ſic animorum fortitudini, qui à mutationibus magis excitati, ualidiores fiunt nullum adiumentum praebet. Alteram, quòd Aſiani ſemper regum imperijs ſubiecti fuerunt, Europaei uerò non modò non ſeruierunt, uerùm etiam fere ſemper liberi extiterunt. Nam qui bello & armis non ſibi quicquam, ſed dominis omnia comparare ſciunt, negligentiores euadunt, quemadmoceteri ſpe lucri proprij inflammati quid uis animoſe audent. Ariſtoteles

teles ſimiliter lib. 3. polit. cap. 10. & lib. 7. cap. 7. Hippocratem ſecutus, Aſianos artibus & mente excellere quidem, vt animis nihil à natura valere, & proptereà tyrannis continuò inſeruiſſe ſcribit: ſicut Europaeos ob regionis frigiditatem mente ac artibus inferiores, animis verò & fortitudine ſuperiores, ob idque nullius regis imperium paſſos eſſe: inter quos Graecos, veluti medios, non minùs artibus & intellectu, quam armis & animorum viribus pollere. His verò atque multis alijs rationibus demonſtrare conatus eſt Galenus, Hippocratem, Platonem & Ariſtotelem, animam noſtram ſi non ipſiſſimam corporis temperaturam, ſaltem eius ſequacem exiſtimaſſe. Quã ſententiam multis, ijſque grauiſſimis argumentis damnauit Nemeſius in 3. cap. lib. de Hominis natura, ſub Gregorij etiam Nyſſeni nomine ab aliquibus falsò vulgati, quo in libro cùm multa ex Galeni commentarijs de Demonſtrationibus inſcriptis adducat, quae nil propè mutata in libro de Plac. Hippocr. & Plat. necnon in libello, Quòd animi mor. ſeq. cor. tem. ac alijs editis legantur, fit vt facilè mihi perſuadeam, Galenum in libris illis περὶ ἀποδείξεων nequaquam de rebus ad Logicam ſiue Dialecticam facultatem tantùm ſpectantibus quemadmodum ineptè arbitrantur nonnulli, tractaſſe, ſed praecipue earum rerum plurimas ſub oculis ratione & ſenſu ponere tentaſſe, quae apud medicos & philoſophos in controuerſiam trahuntur: veluti eſt de ſede ac partibus animae, quaeſtio de affectuum generatione & cauſſis, de venarum & arteriarum principiis, de teſticulorum vſu, aliaque huiuſcemodi plurima: quod ſimiliter videtur cõfirmaſſe Rabi Moſes 25. v. partic. aphoriſ. vbi hunc librum Probationes appellat. Quo in loco illud quoque adnotare placet, librum Galeni de Placitis Hippocratis & Platonis συμφωνίαν eſſe vocatum ab eodem Nemeſio, quaſi ipſius tempeſtate ſub hoc titulo ab aliquibus legeretur, cùm in illo ſummorum virorum concordantiae declararentur. Vixit verò Nemeſius, Gratiani & Theodoſij temporibus, quãdo Maximus philoſophus Platonicus, Libanius, Baſilius, Gregorius Nyſſenus, alijque plurimi praeclariſſimi viri floruerunt: quae tempora ab aetate Galeni paullò plus 150. annis abfuerunt, ut ob hoc non paucam fidem Nemeſij ſcriptis adhibendam cenſeam.

De Putaminibus fabarum, & quid ſit ὄσπρεον Athenaeo. CAP. VI.

QVòd Theophraſtus in 5. de Cauſis plantarum cap. 21. ſcribit, fabarum putamina radicibus aut germinibus plantarum nouellarum appoſita earum vitam penitùs tollere, etiam à Clemente Alexandrino Strom. 3. & ab Apollonio in Mirabilib. hiſtorijs citato, ex quinto de Cauſis naturalibus (quaſi ſic liber ille inſcriberetur antiquitùs) inuenio. qui cùm addant domeſticas gallinas iiſdem putaminibus iugiter veſcentes ſterileſcere, neque id à Theophraſto traditum ſit, eiuſcemodi ſententia non exiguam mihi ſuſpicionem parit. Quemadmodum item non admodum probo, Pythagoreos idcirco fabarum eſum vetaſſe, quod comeſtae, mulieres infoecundas reddant: quoniam, vt meminit Galenus, fabae, ſi belle nutriunt, & flatulentae ſunt, potiùs foecunditatẽ quàm ſterilitatem inducere debent. Fabam verò appellatam eſſe per excellentiam à Clemente Alexandrino in loco citato ὄσπριον, non miror; quando ſic in vſu fuiſſe apud veteres puto. Vnde Galenus in 2. de Fac. alim. legumina recenſens, primam fabam collocauit. Verſiculum ab Athenaeo citatum,

Σῦκον μετ' ἰχθῦς, ὄσπρεον δὲ μετὰ κρέας.

de faba interpretari ſoleo, quam viridem his quoque temporibus homines poſt carnes, loco bellariorum, eſitant, quamve etiam hodie à vulgo Graecorum ὄσπρεον paſſim vocari intelligo.

In Acrothoracis ſignificatione, Clementis Alexandrini locus emaculatus. Cur Lauri folia poſt coenam adhiberentur. Ebrietatis praecautiones. Plinij locus emendatus. CAP. VI.

ARiſtotelem in 3. Prob. partic. probl. 2. manifeſtum eſt eos ἀκροθώρακας vocaſſe, qui leniter inebriati delirant, quive de rebus quidem iudicium ferre tentant, ſed in iudicando aberrant, quaſi medij ſint inter ſobrios & temulentos; quorum illi iudicandi vim firmam & incorruptam habent, hi verò adeò vino obruti & ſepulti iacent.

iacent. vt neque iudicare, neque ſecundum animi corporiſve facultates operari queant. Erotianus in Onomaſtico, vbi θωρῆξιν ab Hippocrate οἰνοποσίαν vocari ſcribit, ἀκροθώρηκας etiam vſque ad tempora ſua, eos appellatos ſubiungit, qui non multùm vino repleti eſſent. Plutarchus quoque in 3. Sympoſ. probl. 8. Ariſtotelis ſententiam examinans, idem quod is omnino ſentire videtur, ἀκροθώρακας ſcilicet corpus non adeò diſſolutum habere, vt & moueri, & ſecundum ipſum aliquatenus operari non valeant; at eorum diſcernendi vim minimè liberam eſſe; nempe cùm iudicium phantaſias, & non rationem ſequatur. Itaque non video cur Alexandrinus Clemens diuerſa ſentiēs in 2. Paedagogiae, ἀκροθώρακα minimè rationem ac memoriam offenſas gerere ſcribat; Nam ſenibus Chriſtianis, vt vino vtantur, eouſque indulgens, quoad ἀκροθώρακος terminum non tranſgrediamur, his verbis in 2. cap. vtitur, ἀλλὰ καὶ τούτοις ὅρος ἔστω τοῦ ποτοῦ, μέχρις οὗ τὸν λογισμὸν ἄσειστον διατηρήσωσι, καὶ τὴν μνήμην ἐνεργόν, καὶ τὸ σῶμα ἀσάλευτον οἴνῳ καὶ ἀκράδαντον. ἀκροθώρακα καλοῦσι οἱ περὶ ταῦτα δεινοί, id eſt: *His autē in potando terminus ſit, quouſque diſcurſum imperturbatum ſeruent, & memoriam efficacem, et corpus vino inconcuſſum & immobile. Acrothoracem vocant circa haec periti.* Quo in loco verum illius vocis vſum omnino ab ipſo ignoratū perſpicitur: niſi contextum corruptum eſſe, & ea verba, ἀκροθώρακα καλοῦσιν οἱ περὶ ταῦτα δεινοί, ab aliquo ignaro primum in margine adſcripta, deinceps à librario inepte interſerta fuiſſe velimus: quemadmodum eiuſmodi multa eius auctoris hactenus edita commentaria habere apud doctos conſtat. Legimus apud Athenaeum in 4. veteres inter bellaria poſt coenam interdum etiā folia lauri adhibuiſſe, quod pluribus rationibus factum puto. ſed potiſsimùm duabus hiſce: tum vt vi foliorum exiccatoria fumi ad caput elati abſumerentur; tum etiam vt odor vini, ac ciborum, qui ſolet ſaepenumero à ſaturis hominibus grauis emitti, abſconderetur; id quod Martialis in 5. facetè & clarè admodum nobis indicauit:

Foetere multo Myrtale ſolet vino,
Sed fallat vt nos, folia deuorat lauri,
Merumque cauta fronde non aqua miſcet.
Hanc tu rubentem prominentibus venis
Quoties venire Paule videris contrà,
Dicas licebit, Myrtale bibit laurum.

Vt quoque euitarent antiqui ebrietatem, ac interim multùm biberent, interdum lauro, hedera, anetho, ſimilibuſque alijs eos coronatos inter potandum legimus: alij pumicem tritum, alij amygdalas

amaras, alij braſsicam praemandebant, quaſi non praeſtaret ebrietatis turpitudinem ſobrietate cauere, quàm eam ſuccis alijsve medicamentis occultare. Plinius lib. 14. cap. 2. de Apianis vitibus loquens, ita ſcribit: Vina primò dulcia auſteritatem annis accipiunt, & rubra fiunt. Nulla magis vite gaudet. In quibus duo ſunt, quae nõ immeritò eruditorum animos turbare poſſunt. Vnum, quòd vina alba à principio, vetuſtate non rubra, ſed vel pallida, vel flaua, vel fulua redduntur: quemadmodũ Galenus docet 7. de Tuen. val. & 12. Meth. Alterum, ꝙ poſtrema illa verba quid ſignificẽt, obſcurum eſt. Itaque reſtitui debẽt, vt in manuſcripto Pauli Manutij, omnium poſt Ciceronem eloquentiſsimi, codice inuenitur. Vina primò dulcia, auſteritatem annis accipiunt. Etruria nulla magis vite gaudet.

Tuberes apud antiquos qui eſſent. Locus Plinij notatus. C A P. VII.

QVi fuerint apud maiores noſtros Tuberes, inter malorum genera relati, neminem, qui apertè declararit, hactenus mihi videre contigit. Iccirco ſi meam ſententiam explicuero, id ſaltem proficiam, vt alij ad veritatem indagandam, meque ſententiam meliorem proferendam excitentur. Ne igitur temerè quicquam affirmare videar, notas aliquas Tuberum ab auctoribus Latinis traditas ante alia indicabo. Tuberes ex Africa regione calida primùm allatas, ſcribit Plinius lib. 15. cap. 14. vbi fructus proferre baccis, quàm malis ſimiliores ſtatuit. Idem quoque lib. 16. cap. 25. & lib. 17. cap. 16. Tuberes poſt amygdalas cum Armeniacis & praecocibus florere, (vt Columella lib. 11. in fine ca. 2.) quaſi cum iis etiam mutarentur fructus, & melius inſeri pruno ſilueſtri, atque malo cotoneae, quàm granis ſeri, memorat. Martialis lib. 13. auctor eſt, Tuberes in agro Nomentano prouenire ſolitos, quae regio inter Romana ſuburbia pro aprica habetur. Palladius verò lib. 10. titu. 14. Tuberum fructus dulces facit, menſeque Septembri eos granis ſeri, necnon etiã omnibus malorum generibus prunis & cotoneis inſeri ſolitum tradit. Quas omnes notas ſi ijs arboribus conferamus, quas decem abhinc annis plus minusve ex Alexãdria in Siciliã primùm, mox Neapolim tranſuectas, ob idque Albercocos Alexandrinas nuncupatas eſſe ſcimus, facilè iudicabimus, Tuberes veterum hoſmet Albercocos extitiſſe. Nam hae ſunt

arbores non admodum procerae magnitudinis; foliaque Armeniacorum ferè gerunt; florent ſtatim poſt amygdalas, inſeruntur praecocijs, perſicis, & prunis; ſeminantur granis Septembre & Octobre, ſed inſitione meliores fiunt; naſcũtur locis calidis & apricis, gelu corrumpuntur; ſiccam terram, ſed arte irroratam, amant: fructus nuce pontica paullò maiores, rubeos, cute laeui, ac dulces ſuauesque ferunt, vt cuique intelligere liceat, huiuſcemodi arbores fructusque maximè cum veterum tuberibus conuenire. Nec quicquã repugnat, quòd Domitiano priùs, quàm iugularetur, Septembri menſe oblati fuerint tuberes: quoniam eos adſeruatos ea arte eſſe credendum eſt, quam Palladius loco praecitato mõſtrauit: imo cum eo tempore, quo iam deſierant, fuerint oblati, munus magis imperatore dignum, magisque admirandum fuiſſe ſignificatur. Neque inferendum eſt, Palladium, quòd in libro menſis Octobris tuberes ſeruandi rationem doceat, eos tunc maturari voluiſſe, quoniam hac in re auctor ille certam legem nõ ſeruat, cùm etiam in libro Aprilis, zizypha, quae autumno maturantur, ſeruãdi modum indicet. Martialis item, quamuis tuberes cum malis Punicis adnumeret, nõ propterea putandum eſt eum innuiſſe, quòd eodem tempore maturarentur: immò his diſtichis:

Non tibi de Libycis tuberes & apyrina ramis,
De Nomentanis ſed damus arboribus,
Lecta ſuburbanis mittuntur apyrina ramis,
Et vernae tuberes: quid tibi cum Libycis?

fortè dicere voluit, ſe ad amicum duo pomorum genera miſiſſe, vnum nuperrimè ab arbore lectum, alterum domi quidem & ipſum natum, ſed integrum arte conſeruatum. Porrò Plinianum codicem lib. 15. cap. 14. vbi tuberum duo genera habentur, corruptum omnino, ac loco Tuberum legendum eſſe Zyziphorum, ſuſpicor: quoniam Columella lib. 9. cap. 4. albam & rutilam Zyziphum agnoſcit: Galenus Zyzipha 2. de Alim. fac. appellat: nullus autem duo tuberum genera fuiſſe ſcribit. Sericum verò colorem Plinio rutilum vel rubrum eſſe, quem alibi Syricum & ipſe, & Aetius, & Paullus Aegineta vocarunt, ſatis Barbarus in Plinianis caſtigationibus declarauit. Vnde apud Plinium, etſi legatur modo ſericum, modo Syricum de tuberum coloribus, non eſt quòd diuerſos eſſe colores putemus, ſiquidem Paullus σήρικον, Aetius σύρικον dixerunt.

De

De Menta locus Ariſtotelis ex Hippocrate illuſtratus & correctus. Plinij alter ad idem notatus, & ex Lucretio explicatus. C A P. V I I I.

Mentam tempore belli ſerere, olim vetitum fuiſſe ſcripſit Ariſtoteles 20. Prob. ſect. cauſſamq; illam putauit, quòd huiuſmodi herba corpora humana refrigerando genitale ſemen corrumpat, ſicque vires, quibus in bello maximè opus eſt, frangantur. Quo in loco ſi non καταψύχει ſed κατατήκει legatur, vt ego legendum cenſeo, quando menta non refrigerat, ſed potiùs colliquat, Hippocratis ſententiam transtuliſſe alicui videri poſſit, qui in 2. περὶ διαίτης hunc in modum de Menta ſcribit: Μίνθη θερμαίνει, καὶ οὐρέεται, καὶ ἐμέτους ἵστησι, καὶ ἢν πολλάκις ἐσθίῃ τις τὸν σπόρον αὐτοῦ τήκει, ὥστε ῥέειν, καὶ ἐντείνειν κωλύει, καὶ τὸ σῶμα ἀσθενὲς ποιέει. Mentam ſcilicet calefacere, vrinam concitare, vomitus comprimere, ſique ea ſaepenumero quis veſcatur, illius ſemen ab ipſa ita liquari, vt fluat, ad haec tẽtiginem arcere, imbecillumque corpus facere. Simili propè ratione Plinius lib. 20. cap. 14. mentã ſemen humanũ deprauare, atque generationi ineptum reddere tradit: quòd ſicuti illa immiſta lacti, quo minùs coeat, concreſcatve, prohibet; ita ſemen condenſari ab homine in cibo ſumpta non ſinit. Vbi legendum eſſe, Cohibendo genituram denſari, & non, Genitalia, vt in vulgatis habetur, quiuis mediocriter doctus facilè conijcere poteſt. Niſi genitale, pro genitura Plinium & ibi, & cap. 21. eiuſdem libri vſurpaſſe conſtaret. Quantum verò ad ſterilitatem refert, vel nimia geniturae liquiditas, vel immodica craſſities, prae caeteris elegantiſſimè dixit Lucretius in 4. hiſce verſibus:

Nam ſteriles nimium craſſo ſunt ſemine partim:
Et liquido praeter iuſtum, tenuique viciſſim.
Tenue, locis quia non potis eſt adfigere adhaeſum,
Liquitur extemplò, & reuocatum cedit ab ortu:
Craſſius hoc porrò, quoniam concretius aequo
Mittitur, aut non tam prolixo prouolat ictu,
Aut penetrare locos aequè nequit, aut penetratum
Aegrè admiſcetur muliebri ſemine ſemen.

Ariſtotelis error de Epilepſia. Hippocratis locus ad id notatus. Seruij error & Cornarij. Ariſtotelis alter error, de Sale & Nitro. Breuis adnotatio de Cauſſis res duratas diſſoluentibus. CAP. IX.

ARiſtoteles ſect. prob. 31. quaerens, cur homines ſoli vel maximè inter animalia oculis peruertantur, inter alias cauſſas hanc affert, διότι μόνοι ἐν τῷ ἡλικίᾳ ἐπίληπτοι γίνονται τῶν ζώων, ἡ δὲ ἐπίληψις διαστροφὴν ποιεῖ. *quòd ſcilicet ſoli in animalium genere fiunt epileptici, epilepſia verò oculorum peruerſionem inducit*. Hanc verò ſententiam omninò falſam eſſe, vt putem, duo faciunt. Vnum eſt, quòd ipſemet Ariſtoteles in libris de Animalibus nonnulla recenſet, quae iiſdem morbis, quibus homines tẽtari ſcribit, vt oues. Alterum, quòd in libro de Sacro morbo, qui vt Hippocratis à Galeno in primo Prognoſt. tex. 4. & lib. An ſanguis in arter. contineatur, necnon à Caelio Aureliano lib. 1. Paſſ. chron. cap. 4. citatur, ſcriptum eſt, oues & maximè capras epileptico morbo non parum obnoxias eſſe: quod certè de ouibus valde veriſimile, videtur, quae caput in terram ferè detinentes, halitus prauos ac humiditatem craſſam facilè in caput trahant, & ſubinde morbum ſacrum incurrant. At caprae, quae alto capite vt plurimùm paſcuntur ſiccaeque ſunt, ac perpetuò febrire traduntur, quomodo ouibus magis epilepſiae, quae à larga pituita gignitur, exponantur, non admodum intelligo eo praeſertim, quòd Alexandrinus Clemens vij. Strom. tradit, hircinas carnes epilepticis auxiliari fuiſſe creditum. Niſi dicamus, vt Plutarchus in Rom. prob. capras ceteris animalibus magis comitiali morbo tentari ob meatuũ anguſtiam, quam arguit vocis tenuitas: atque etiam eodem morbo facilè capi eos, qui caprinis carnibus veſcuntur. ob quod ſacerdotibus eam carnem vetitam fuiſſe tradunt. Itaque ſententia Ariſtotelis ſic moderari debet, vt in ſect. 10. Probl. prob. 43. & ſect. 31. prob. 26. vbi ait, quòd homo ἢ μόνον, ἢ μάλιστα διαστρέφεται, ὅτι, ἢ μόνον ἢ μάλιστα ληπτὸς ἐν τῇ νηπιότητι γίνεται. id eſt, *Vel ſolus, vel maximè oculis peruertitur, quoniam vel ſolus, vel maximè in infantia epilepticus fit*. Qua ratione in libro de Somno & vigil. praeceptum dedit, vt non ſolùm pueri, verumetiam nutrices à vino, & praeſertim nigro abſtineãt, tanquã id magis quàm album ad caput euaporet. Hic animaduertere placet,

Seruium in 3. Georgicorum grauiter peccaſſe, qui vbi Virgilius ait: *—contactos artus ſacer ignis edebat.* putauit ſacrum ignem eſſe, quem Graeci ἱερὰν νόσον vocant; cùm ἱερὰ νόσος nil aliud ſit, quàm epilepſia vocata: Ignis verò ſacer apud Latinos idem ſit, quod apud Arabas Formica, apud Graecos Herpes, apud Scribonium Zona, apud Plinium Zoſter, & Circinus. Vnde etiam malè Cornarius, qui apud Hippoc. 2. de Morbis mulieribus, & alibi ſaepe, ignē pro eryſipelate vertit, cùm valde eryſipelas, & ignis ſacer differant: vt ex Celſo lib. v. cap. 26. & 28. vnuſquiſque facilè poteſt intelligere. De hoc morbo ſacro ſcriptum eſt à Platone 11. de Legibus, Si quis ſeruum vel phthiſi, vel calculo, vel ſtranguria, vel ſacro morbo, aut aliqua alia vulgaribus ignota, longa & curatu difficili aegritudine laborantem, alicui, qui neque medicus, neque gymnaſta ſit, vendiderit, licere emptori intra ſextum menſem ipſum redhibere, excepto ſacro morbo, quo laborātem emptor intra annum reſtituere poteſt. Cauſſam verò, cur hūc morbum exceperit, puto, quia alij enumerati morbi ſex menſibus dignoſcuntur, & ferè incurabiles euadunt; epilepſia verò, ſiue morbus ſacer, vix intra annum verè à vulgaribus diſcerni poteſt, atque curatu difficilis euadit: praeterquàm quòd vbi quis ab epilepſia curatus eſt, niſi integrum annum acceſſionem non ſentiat, vere curatus dici nō poteſt, quod ſaepe obſeruatum ſit poſt vndecimum menſem redijſſe morbum. Et quoniam Ariſtotelis mētio eſt, ſubiungam hiſce quandam illius oſcitantiam, quam alioquin perſpicaciſſimus in 4. Meteorol. lib. commiſit: vbi, indurata quibus cauſsis diſſoluantur, exponens, de ſale & nitro haec dixit: νίτρον δὲ καὶ ἅλες λυτὰ ὑγρῷ ὀ παντί, ἀλλὰ ψυχρῷ. Atqui ea non ſolo humido frigido, ſed etiam humido calido diſſolui, ſenſui manifeſtum eſt. Nam & ſi vinum & aqua calefacta, à quibus clarè ſalès & nitrum ſoluuntur, poſsint quodam modo frigida humida appellari, cùm ſint ſub genere aquae, ac illius propriam qualitatem, nempe frigiditatē, quātumuis mutata, nunquam penitùs amittant; de oleo tamen calido id affirmare non poſſumus, nempe quòd ipſemet Ariſtoteles in eodem libro, nō ſub genere humidi aquei, ſed aerei, cui perpetuò iuncta eſt caliditas, apertè collocauit, ab illoque tam naturae ſuae vi, quàm igne calefacto ſalem liquefieri, experientia quotidie comprobatur, praeſertim ſi ipſi alius quiſquam humor miſceatur, vt faciunt medici, cùm vel oleum roſatum ſalitum, vel aliquod aliud parare volunt; cur enim ſolo oleo ſal non diſſoluatur, puto rationem eſſe quòd ſtatim fundū petat, ibique omni humore priuatus minimè liquari poſsit. Quare

melius

melius erit ſic de duratarum rerum diſſolutione ſtatuere. Quae à frigido ſicco concreſcunt, vel à moderato, vel ab immoderato, omnem humiditatem exprimente, talia redduntur: ſimiliter & quae à calido ſicco concreſcunt, vel à moderato vel ab immoderato, omnem humorem conſumente. Concreta à frigido ſicco moderato, vt glacies vina, ſerum & vrina, à calido ſicco ſimpliciter, & etiam à calido humido ſoluuntur. Concreta verò ab immoderato, aut ſimpliciter inſolubilia ſunt, vt adamas, & aliae gemmae, aut non niſi à vehementiſsimo calore ſoluuntur: quemadmodum plurima metalla, & cornua, quae magno calore molleſcunt. Concreta verò à calido ſicco moderato, à calido humido, & frigido humido ſoluuntur; vt ſales, manna, & nitra, quae ab aqua calida actu, & à vino poteſtate calido, necnon ab oleo calido alteri humori permiſto ſoluuntur. Concreta ab immoderato, vt lateres, fictilia, aut non ſoluuntur, aut ſolummodò ab ijs humoribus, qui maximè penetrant, ſicut ſuccus citri, & acetum acerrimum eſt, aqua vitae, & ſimilia, quae aliquos lateres, lapidesve ſoluunt; quod forſan ignotũ fuit Ariſtoteli, quamuis ex ipſo ratio huius habeatur. Nam cùm neget ipſe fictiles liquari, propterea quòd aqua eius meatus, per quos ſpiritus exiuit, penetrare non poteſt: manifeſtum eſt, quòd ſi aliquis humor adeò ſubtilis inueniatur, vt eos ingredi queat, etiam ex eius ſententia poterunt liquari. Inueniuntur autem facilè hiſce temporibus: quibus ars chymica, Ariſtotelis tempeſtate ignorata, cuius opera ſubtiliſſimi ac maximè penetrabiles humores efficiuntur, in facilem vſum tracta, quaſique perfecta eſt.

Locus Hippocratis ex Gellio reſtitutus, & alter defenſus. C A P. X.

AVlus Gellius Noct. lib. 3. cap. 16. haec verba ex lib. Hippoc. de Alimento citat: ἔστι δὲ, καὶ οὐκ ἔστιν ὀκτάμηνος γέννησις. Quae cùm ibi ita non habeantur, puto reſtituenda eſſe, vbi poſt, ἐς ἔκπτωσιν σμ. Haec habētur ſolùm, οὐκ ἔστι, καὶ ἔστι. ita vt vniuerſa illa oratio ſic conſtituenda ſit. ἐς ἔκπτωσιν σμ. (ἔστι δὲ καὶ οὐκ ἔστιν ὀκτάμηνος γέννησις) γίνεται δὲ ἐν τούτοισι. &c. Quae autem verba ſequuntur, etſi etiam à Gellio ibidem diuerſa ponantur, placent tamẽ magis, vt ſunt in vulgatis Hippoc. codicibus. Explicatio porrò

ipſo-

ipſorum verborum licet obſcura admodum ſit, ac Sabinus diligentiſſimus, vt ſaepe eum vocat Galenus, Hippocratis interpres, illa clariora facere hac oratione conatus ſit: ἔστι μὲν φαινόμενα ὡς ζῶα μετὰ τὴν ἔκτρωσιν, οὐκ ἔστι καὶ ὡς θνήσκοντα μετὰ ταῦτα, καὶ ἔστιν οὖν φαντασίᾳ μὲν παραυτίκα ὄντα, δυνάμει δὲ οὐκ ἔστι. non abſurdum tamen mihi videtur, Hippocratem nil aliud docere voluiſſe, quàm octimeſtrem partum, non propriè generatum, ſed improprie tantùm dici, quaſi pôtius abortus quàm vera generatio ſit. Quod enim putarunt aliqui Hippocratem voluiſſe docere, alibi non ſuperuiuere natos octauo menſe, aliquos verò ſuperſtites fieri, quemadmodum ſcribit Ariſtoteles in Aegypto fieri poſſe: id ſanè placitis Hippocra. nequaquam conſonum eſt, qui in lib. de Octimeſtri partu monſtrat, fieri non poſſe, vt nati in octauo menſe ſuperuiuant. Criminantur aliqui Hippocratem, quòd in iureiurãdo cauerit, ne quis medicinam exercens, mulieri vtero gerenti abortiuum medicamẽtum propinaret, cùm tamen ipſe in lib. de natura pueri ſcripſerit, ſe famulae cuidam grauidae, iuſſu dominae, ne apud alias mulieres infamaretur, conſuluiſſe, vt ſaltando genituram deijceret. Quod factum Hippocra. ego hac ratione tueri ſoleo: foetus nondum animatos corrumpere, vel quò minùs vitam adipiſcerentur impedire, ijs temporibus, quibus nondum Chriſtiana lux apparuerat (qua ſcitur, vt dicebat Tertullianus in Apologetico, feſtinationem homicidij eſſe prohibere non naſci) licuiſſe: at iam animatos, & viuentes, minimè: atque hoc ita fuiſſe locupletiſſimus teſtis eſt Ariſtoteles lib. Polit. 7. cap. 16. qui tamen 7. de Hiſt. animal. ne foetus animaretur, docuit, poſt coitum locos oleo cedrino ſimplici, aut cum thure, ceruſſave eſſe vngendos. De Hippocratis & Gellij loco cùm iam ſententiam meam ſtatuiſſem, eamque Claudio Puteano communicaſſem: is retulit, Muretum quoque eum locum reſtituiſſe. Iccirco ad ipſum ſcripſi, vt cuius raram eruditionem, acerrimumque iudicium ſemper plurimi feci, eius opinionem explorarem. Tandem Muretus hocce dedit reſponſum.

M. ANTONIVS MVRETVS HIER. MERCVRIALI. S.P.D.

CVm tuæ literæ ad vrbem allatæ ſunt, Tibur iam omnes, vt nos quotannis facere ſolere ſcis, ſeceſſeramus, eò illas accepi biduo, aut triduo ſerius: Tibure autem neque Hippocratem habebam neque Gellium. expectandum denuò fuit, dum Roma arceſſerentur. Allatis; ecce tibi aliud incommodum. corripit me febricula, non illa quidem, vt euentus poſteà docuit, periculoſa: ſed quae tamen animum nonnullo metu ſuſpenſum ab omni ſcribendi cogitation: auocaret. Haec ideo, ne mireris me ad tuas tardius reſpondere. Locus eſt ex libello, περὶ τροφῆς· οὐκ ἔστιν, γίνεται δὲ ἐν τούτοισι, καὶ πλείω, καὶ ἐλάσσω, *Huc ego addebam illa ex Gellio: aut potius pro illis,* οὐκ ἔστι, *ſupponebam illa:* ἔστι δὲ καὶ οὐκ ἔστιν ὀκτάμηνος φύσις. *Quod ſi tibi quoque ita videtur, non dubito quin verum ſit; ſin tu ſecus iudicas, nunquam mihi dubium erit, quin tua ſententia verior ſit. Semper enim non in his modo rebus, quarum tua propria poſſeſsio eſt, ſed in omni literarum genere, iudicium tuum libentiſsimè anteponam meo. Vale, meq́ ama, & certò tibi perſuade, te a me mirificè & amari, & coli. Tibure. Kalen. Septemb.*

M D L X X.

Quae ſunt Paleales vuae, & Fabriles apud Caelium Aurelianum. Quae Menſae frigidae Plutarcho: & eius locus emendatus. CAP. XI.

QVae ſint apud Caelium Aurelianum lib. de Acutis paſſionibus, vuae Paleales, & quae apud eundem vua Fabrilis, cuius meminit ſaepius, adhuc multi dubitant. Ego verò ita exiſtimo, plures fuiſſe modos veterum in ſeruandis vuis. Nam primò ſeruabantur in ollis fictilibus, atque in dolijs incluſae, vinaceis ſtipatae circumſudãtibus, vt manifeſtè docet Plinius. Seruabantur quoque appenſae varijs modis, non tantùm ad eſcam, verùm etiam ad faciendum paſſum appellatum, atque alia potus genera. Ex vua nanque reſupina ſuſpenſa, & in vaſis ſuis ſeruata, ac thecis naturalibus cuſtodita, vinum acinaticum Veronenſe, adeò celebratum, & Imperatoribus aeſtimatum, fieri conſueuiſſe, teſtatur Caſſiodorus 12. Variarum. Ad haec refert Columella, inter multos ſeruandarum vuarum modos hunc extitiſſe ferè praecipuũ, quando in labello fictili nouò, paleis quam ſicciſſimis cribatis, vt ſine puluere eſſent, impleto, vuae condebantur; deinde labellum luto paleato circumlinitum, in tabulato ſicciſſimo paleis ſiccisſimis obruebatur. Has vuas Paleales Caelium vocaſſe puto, nimirum quae humore ſuperuacaneo ſpoliatae, aegris impunè concedi poſſent. niſi potiùs eas appellet Paleales, quae colore ſunt paleis ſimiles, cùm praeſertim addat, Recentes; eo quòd illae vi quadam adſtrictoria magis polleant: quales puto fuiſſe Cydonitas à Columella vocatas. Porrò quae fuerit vocata vua Fabrilis ſeu fabricia, vt appellat Theod. Priſcianus lib. 2. cap. 13. non admodũ difficile eſt diffinire. Si quidem ea erat, quae in officinis fabrorum ferrariorum ſuſpendebatur, vt igne atque fumo exiccata, diutiùs poſſet incorrupta conſeruari. Idque innuit ipſemet Caelius 4. lib. de Diuturnis paſſ. cap. 3. dicens, Fabrilem vuam eſſe dictam vapore fumi ſiccatam. Vt enim dolia vinorum ad fumũ ponebant antiqui, praeſertim Maſſilienſes ac Narbonenſes, quo citiùs vetuſteſcerẽt, ac innoxia magis redderentur: ita veriſimile eſt illos vuas fumo exiccatas conſeruare potuiſse, atque ob id fabriles nuncupaſse. Quam rem videtur nõ obſcurè expreſsiſse Plinius lib. 14. cap. 2. vbi loquens de vinis vt conſeruarentur, ita ſcribit: Alijs gratiam, quam vinis affert fumus

ſabrilis, iiſq. gloriam praecipuã in ſornacibus Africae Tiberij Caeſaris auctoritas fecit. De huius generis vua Horatius 2. Ser. Saty. 4.

Rectius Albanam fumo duraueris vuam.

Cur verò eas in coeliacis, & alijs ventris defluxionibus cõmendet, ratio eſt, quia fumus & calor officinarum fabrorum ratione ferri, quod gignitur aſsiduò, non modò exiccat, verumetiam facultatem quandam adſtrictoriam & corrobatoriam immittit, quae in huiuſcemodi affectionibus non parum cõferunt. Caſeum ſimiliter fumo exiccare conſueuiſſe maiores, teſtatur Martialis hoc diſticho:

Non quemcunque focum, nec fumum caſeus omnem,
Sed Velabrenſem qui bibit, ipſe ſapit.

Quod Athenaeus. 4. Dipnoſ. ex Dromea paraſito ſcripſit: Prooemiũ coenae in Chalcide fuiſse illuſtrius, quàm totum Athenienſium apparatum; ſub nomine prooemij oſtreorum copiam & varietatem indicans veteres in principio coenae oſtrea praebere conſueuiſse mõſtrat; quod etiã prae ceteris videtur teſtari Plutarchus 8. Sympoſ. 9. vbi haec leguntur, à nobis in quibuſdam vtcunque reſtituta: *αἱ γὰρ καλούμεναι ψυχραὶ τράπεζαι, τὸ πρότερον ὀστρέων ἔχειν ὠμὸν λάχανον, ὥσπερ ἔφησεν ὁ Πλάτων, ἀπ' οὐρᾶς ἐπὶ στόμα μεταχθεῖσαι, τὴν πρώτην ἀντὶ τῆς ἐσχάτης τάξιν ἔχουσιν.* id eſt, *Menſae frigidae vocatae, quod ante oſtrea olus crudum habent vt dixit Plato, à cauda ad os translatae, primum pro vltimo ordinẽ habent.* Ex quo conijcere quoque licet, Menſas frigidas vocatas, quas nũc Acetaria Latini appellant, & antiquitus in vltimo menſae ponebantur, tempore Plutarchi coepiſse primo loco in menſas ferri. Cui etiam adſtipulari videtur Martialis, qui lactucam prius vltimo menſae loco poſitam, ſua aetate ante alias dapes eſitatam teſtatur hoc diſticho.

Claudere quae coenas lactuca ſolebat auorum
Dic mihi cur noſtras inchoat illa dapes?

Vixit autem Martialis iiſdem temporibus, quibus Plutarchus: cùm alter ſub Domitiano, alter ſub Traiano, qui Domitiano poſt Neruã ſucceſſit, floruerit: vt hac ratione potuerit vterque vſum acetariorũ eo tempore innouatum nobis ſignificare. Hactenus quae ego cenſeam. Sed ne eruditos vlla ex parte defraudem, vtq; habeãt quomodo in varijs rebus dijudicandis ingenium & iudicãdi vim exercere queant, ſubiungam his aliam eius Plutarchi loci correctionem, pulchram quidem, & Hieronymi Mei viri acutiſsimi, qui eam excogitauit, eximia doctrina vere dignam. Eſt verò illa huiuſmodi: *αἱ γὰρ καλούμεναι ψυχραὶ τράπεζαι τὸ πρότερον ἔχειν ὠμῶν λαχάνων, ὡς πρὸ ἐλάφρων ἐπιλίτην, ἀπ' οὐρᾶς ἐπὶ στόμα μεταχθεῖσαι, τὴν πρώτην ἀντὶ τῆς*

ἐσχάτης

ἰχθύας τάξῃ ἰχθύων. In qua illud quod me offendit eſt, Plutarchum ad declarādas nouorum morborum cauſſas inducere nouum vſum ciborum. Atqui oſtrea ante alios cibos comedendi vetus fuit conſuetudo, ſicut & herbas loco coenae vltimo poni ſolitas antiquis ſcimus. Vnde ſi τῷ πρότερον ὄστρεια ἔχειν ὠμὸν λάχανον, in Mei emendatione reponatur; & gratiam maiorem, & auctoris ſententiam verius atque aptiùs forſan aſſequetur tota oratio.

Qui ſint apud medicos Ichores. Locus Iulij Pollucis de Morbis emendatus. Fauorini erratum. Sudor ſanguineus. CAP. XII.

Ichores frequenter in ore medicorum verſari, nemo ignorat: At, qui ſint ij, pauci omnino intelligūt. Iccirco hac in re ſententiam meam declarare audebo, non aliunde, niſi ex ipſis auctorum probatiorum ſcriptis acceptam: Homerus in 5. Iliados ſub his verſibus:

ῥέε δ' ἄμβροτον αἷμα θεοῖο
Ἰχὼρ, οἷός πέρ τε ῥέει μακάρεσσι θεοῖσιν.
Οὐ γὰρ σῖτον ἔδουσ', οὐ πίνουσ' αἴθοπα οἶνον,
Τοὔνεκ' ἀναίμονές εἰσι, καὶ ἀθάνατοι καλέονται. Rurſus:
Ἡ ῥα καὶ ἀμφοτέρῃσιν ἀπ' ἰχῶ χειρὸς ὀμόργνυ.

manifeſtum eſt voluiſſe Ichorem eſſe ſanguinem Deorum, qui cùm nec pane nec nigro vino veſcantur, vt homines, iccirco ſanguinem humanum non gignunt, ſed Ichorem. Hipp. 2. Epid. circa principium. 4. de Ratione victus, tex. 1. 6. Epid. commento, 2. tex. 38. ichores (vt ſentit Gal. in ijs commentarijs) appellauit aquoſas atque tenues humiditates à corpore emanantes, quae prout à varijs humoribus ſecernuntur, ſic varias qualitates & appellationes habent, dum alij bilioſi ichores, alij melancholici vocantur. Hippocratis ſententiam aemulatus Plato in Timaeo dixit, ichorem ſanguinis eſſe blandum ſerum, acidae verò melancholiae ἄγριον, id eſt ſerum. Caeterùm Ariſtoteles vnum ſolum ichorum genus agnouiſſe videtur, atque id nil aliud eſſe voluiſſe, quàm ſanguinem imperfectum, vel in ſerum conuerſum, vt eſt apud ipſum videre 3. de Hiſt. animal. cap. 19. immo in 2. de Part. animal. cap. 4. ſcriptum reliquit, Ichorem eſſe partem aqueam ſanguinis vel nondū coctam, vel corruptam. Vnde 4. Meteor. cap. 7. dixit, ſanguinem ichoroſum non coagulari, quòd huiuſmodi ſanguis ſit pituita & aqua, cùm neque

coctus,neque à natura ſuperatus fuerit; & cap.10. Ichorem veluti ſerum, vinum,lixiuium, & alia, aqueae naturae eſſe ſtatuit. 10. etiam ſect.prob.2.quaerens cur homini maximè omnium animalium ſanguis à naribus effluat, id euenire reſpondet, quoniam cerebro humidiſſimo eſt,vnde fit, vt ſanguis capitis humiditati plurimae cerebri commixtus, veluti ichor euadat, & ſubinde venis facilè effluat. Eſt igitur Ariſtote. ſententia, ichorem eſſe aqueum ſanguinem, vel partem ſanguinis aqueam, incoctam, vel in ſerum mutatam. atque duplex hoc ichoris genus, vel per ſolam cruditatem factum, vel per corruptionem, & in ſerum mutationem. Ex primo per coctionem poſſe fieri ſanguinem, apertè ſcribit Ariſtotel.3. de Hiſtor.animal. cap.19. Celſus lib.5. cap.57. appellauit ichorem ſpeciem saniei tenuem, ſubalbidam, ex malo vlcere emanantem. Dioſcorides verò cap.de Corno,ſuccum foliorũ corni viridium,dũ vruntur,emanantem,vocauit ichorem: quem quaſi imitatus Aetius, cochlearũ muccum & ipſe ichorem nuncupauit. Iulius Pollux lib.4. Onomaſt. cap.25. vbi de morbis totius corporis loquitur, ichorẽ videtur appellaſſe morbum quendam capitis vlceroſum, ſed ſuſpicor ſubeſſe mendum, & vbi legitur: *τερηδόνας τῶν φθορὰ ἀπεμφασίσως μάλιστα περὶ κεφαλὴν, σύριγξ, ἄνθραξ, αἷμα, ἰχώρ, ἕλκος περιτετρυχωμένον*. legendum eſſe, *τερηδὼν ὅσων φθορὰ ἀπροφάσιστος, καὶ μάλιστα περὶ τὴν κεφαλὴν, σύριγξ, ἄνθραξ, ἀθέρωμα, ἀχὼρ ἕλκος περιτετρυχωμένον*. Galenus porrò,& in locis citatis, & in 6. de Tuend.valet. ſecutus Hip. & Platonis ſentẽtiam,de qua etiam 8.de Plac. cap.7. videtur omninò cenſuiſſe, ichores nil aliud eſſe, quàm tenuiorem atque aquoſiorem partem vniuſcuiuſcunque humoris. Sicut enim in lacte adeſt ſerũ, quod nil aliud habetur, quàm pars ea ſanguinis humidior, quae in caſeum vel butyrum verti non potuit:pariter etiam in ſanguine atque alijs humoribus tam ſanguini mixtis, quàm ſeparatis, reperitur quaedam pars aquoſior,quae in ſubſtantiam humoris verti non potuit,exactè ſero proportione reſpondens, & ichor vocatur, ac eiuſdẽ facultatis eſt ſemper, cuius eſt proprius humor: vt Gal.4. Acut. 16.Epid.com.2.text.28.& 2.de Temp.necnon Paullus lib.1.c.100. ex Dioclis ſententia clariſſimè cẽſuerunt. Neque ſolùm eiuſdẽ qualitatis ſunt, verumetiam prout vnà cum ſanguine alter vel alter humor abundat magis,ſic etiam illius ichor copioſior extat.Et ne decipiatur quis in ichoribus dignoſcendis ſcitu dignum, vbi aliqui humores à ſanguine ſegregati ſũt,facilè eſſe dignoſcere illorũ ichores, quando craſſiore parte conſpiſſata, facile humidior & tenuior ſeſe prodit.At vbi ſanguini permixti ſunt difficilius eſt dignoſcere. Ideo

ſangui-

ſanguinem ex venis extractum contemplari oportet: qui poſtquàm coagulatus eſt, duas ſubſtantias tenues monſtrat. Vnam, quae magis eſt in ſumma, quamve materiam potulentã eſſe, & vrinam profitemur, quoniam ſi ſeponatur in vaſe, & vrinae comparetur, eſt eiuſdem coloris atque ſubſtantiae. Alteram, quae eſt vicinior ſanguinis ſubſtantiae coagulatae, quaeve medij quodammodo coloris eſt inter vrinam & ſanguinem. Haec igitur ſecunda eſt ichor totius illius maſſae ſanguinis coagulatae: in qua prout hic, vel ille humor abundat magis, ſic huiuſcemodi ichor huius vel illius humoris naturam atque facultatem refert. Hoc cùm ignoraret Heſychius, dixit, ichorem eſſe *αἷμα συμπεπηγὸς ἔμπυον σηπεδών*. at Fauorinus dixit ichorem eſſe *αἷμα πεπηγός*, ſiue ſanguinem coagulatum, errans turpiter: cum non ſit ſanguis coagulatus, ſed ea pars humiditatis tenuis, quae à ſanguine coagulato ſeparatur. quod ſi ſanguis reperiatur aliquis, qui totus ferè incoctus ac tenuis exiſtat, ita vt nulla eius pars coaguletur, ichoroſus ſanè nuncupabitur: cuiuſmodi vocaſſe Ariſt. diximus 4. Meteorol. cap. 7. qui in nulla alia re circa ichores à medicis diſcrepare videtur, niſi quia in humoribus alijs ab ipſo ſanguine ſimiles ichores haberi explicitè non monſtrauit. Nam etſi medici ichores in ſanguinem verti negent, poſſumus tamen dicere, Ariſtotelem quoque idem cenſuiſſe de illis, qui fiunt per ſanguinis corruptionem, & in ſerum degenerationem, quanquam poſteà eos, qui fiunt ex ſanguine non cocto, nec à natura euicto, in ſanguinem per concoctionẽ mutari voluerit. Quod fortaſſe neque medici ipſi negaturi ſunt, quando Gal. 6. de Tuen. valet. docere videtur apertiſſimè, quomodo ichores frigidi & pituitoſi à capite in ventriculum delabentes, tum ope medicamentorum, tum ciborum, tum etiam ipſius caloris natiui opera ſint coquendi, atque in melius cõmutandi. Ex his ergo omnibus non eſt arduum intelligere, quomodo potuerint aliqui ſanguinem ſudare: vt eueniſſe interdum referunt Ariſtot. 3. de Hiſto. animal. cap. 16. 3. de Partib. animal. cap. 5. Theophraſtus in lib. de Sudoribus, ex ſententia Monae Medici, & Gal. in lib. de Vtili. reſpir. nam haud quaquam ſanguinem verum, ſed ſanguinis ichorem exiuiſſe venarum meatibus, rationi conſentaneum eſt.

Galeni explicatus locus. Alter Plutarchi mutatus, & ex Celſo atque Galeno explicatus. Hiſtoria Sabini uxoris notatu digna. CAP. XIII.

GAlenus 10. de Simp. med. cap. 1. Xenocratem damnans, quòd ſtercora aegris voranda daret, probrum ait grauius eſſe, κοπροφάγοι. id eſt, ſtercoriuorum audire, quàm fellatorē, aut cinaedum. Subiungit deinceps: καὶ τῶν αἰσχρουργῶν μᾶλλον βδελυττόμεθα τοὺς φοινικίζοντας, τῶν λεσβιαζόντων. Qui verò ſint phoeniciſſantes, & Lesbiaſſantes apud ipſum, nullibi explicatum habetur. Ego itaque reperio, ſpurciſſimam quandam apud Phoenices libidinis ſpeciem extitiſſe, qua viri cunnos mulierum lingebant, quave interdum impuriſſimos homines Romanos vſos eſſe memoriae mandatum eſt. Nam Seneca lib. 4. de Beneficijs cap. 31. *Quid tu, ait, cum Mamercum Scaurum conſulem faceres, ignorabas ancillarum ſuarum menſtruum ore illum hiante exceptare?* & lib. 13. epiſt. 88. *Nuper, inquit, Natalis tam improbae linguae, quàm impurae, in cuius ore foeminae purgabantur.* Hos cunnilingos frequentiſſimè diffamatos, apud Martialem eſt reperire: qui fortaſſe phoeniciſſare dicebantur, quòd labia ſanguine rubea ſaepiſſime gererent, vnde Martialis lib. 11.

Cunnum Carinus lingit, & tamen pallet.

De hoc meminit Lucianus in Apophrade, & Plutarchus in Caeſare. Iam verò λεσβιάζειν, qui eſſet, ab aliquibus explicatur, obſcoenum fuiſſe turpitudinis genus, quo viri inguina puerorum, vel virorum ore & labijs tractabant, irrumationem alias vocatam & ſicuti phoeniciſſantes labra rubicunda ſibi reddebant, ſic Lesbiaſſantes alba. Ob quod Catullus ad Gellium:

Noſcia quid certè eſt; an verè fama ſuſurrat,
Grandia te remedij tenta vorare viri,
Sic certè eſt, clamant Virronis rupta miſelli
Ilia, demulſo labra notata ſero.

Heſychius tamē aliter videtur ſenſiſſe, ſed qua auctoritate aut ratione ductus, ignoro. Simile his portentum refert Suetonius de Lucio P. Vitellij filio, qui alioquin innocens & induſtrius, amore libertinae perinfamis fuit, cuius ſaliuis melle commixtis, nec clam quidem aut rarò, ſed quotidie ac palàm, arterias & fauces pro remedio fouebat.

Veteres igitur, quòd à vera religione receſſiſſent; ferinis atque nefandis vitijs immerſos fuiſſe, nemo miretur quemadmodũ nec flagitioſiſſimos illos Gnoſticos quos ſcribit Epiphanius viros atque foeminas ſemen & menſtruum libare Deo, & deinde potare ſolitos. Eſt apud Plutarchum in lib. de praeceptis ſanitatis locus non ſine animaduerſione praeter mittendus: vbi monet eos, qui aegrotos inuiſunt, vt diligenter ab ipſis cauſſas aegritudinis inquirant, μὴ σοφιστικῶς, μηδὲ περιέργως ἐνστάσεις, καὶ παρεμπτώσεις, καὶ κοινότητας λαλοῦντας καὶ παρεπιδεικνύμενοι ἰατρικῶν ὀνομάτων καὶ γραμμάτων ἐμπειρίαν. Quo in loco quid ἐνστάσεις apud medicos ſint, cum nondum mihi notum eſſet, ἐνδείξεις legendum putabam, quod eſt vocabulum commune medicorum, vel potius ἀνασταλσεις, qua voce vſus eſt Herodotus medicus apud Aetium lib. 5. cap. 129. ad ſignificandam cibi ſubtractionem: & ſi mendoſe apud Aetium legatur, ἀνασάσεις. Ceterum Nicaſius Ellebodius, & in medicorum & in aliorum lectionibus verſatiſſimus, magnoque iudicio praeditus, textum integrum eſſe, nec vllo mendo ſcatere perſuaſit: quandoquidem Aſclepiadem, qui Democritum ſecutus, morbos ex atomorum in vacuos meatus ingreſſu obſtructione gigni docuit, huiuſmodi ingreſſum infixionem vel ἔνστασιν vero ſimile eſt vocaſſe. Quód primò colligitur ex Celſo, qui in proemio librorum ſuorum tradit, Aſclepiadem contendiſſe fieri aegritudines, vbi manantia corpuſcula per inuiſibilia foramina ſubſiſtendo iter claudunt; deinde ex Caelio Aureliano, qui in procem. lib. de Acutis paſſ. ait, Aſclepiadem diffiniſſe phrenitim eſſe corpuſculorum ſtationem ſiue obſtructionem in cerebri membranis. Galenus vſus eſt ea voce lib. 6. Apho. 3. his verbis: ἐφ᾽ ὧν ἐστὶν ἔνστασις αἵματος παχέος ἐν τοῖς τῶν ὀφθαλμῶν φλεβίοις. & lib. 13. meth. cap. 2. Apertiſſimè autem omnium, quid propriè eſſet ἔνστασις, declarauit Caſſius medicus, quem ideo Aſclepiadis ſectatorem fuiſſe conuincitur, quia frequentiſſimè eam vocem vſurpauit. Is enim probl. 76. quaerens, cur in dolore capitis tinnitus fiant, ita reſpondet: ὅθι τὸ ἀκουστικὸν πνεῦμα κραδαίνεται ὑπὸ τῆς ἐνστάσεως τῆς περὶ τὰ μέρη συστάσης. ἔνστασις δὲ ἐστὶν ὄγκος ἐν λόγῳ θεωρητοῖς ἀραιώμασι διὰ σφήνωσιν. Quae porrò eſſent Methodicorum κοινότητες, omnes ferè medici norunt: quando clarum eſt, eius factionis medicos ad quaſdam ab ipſis vocatas communitates, nempe στεγνὸν καὶ μανόν, omnes morbos reducere conſueuiſſe. Atqui παρέμπτωσις, fuit Eraſiſtrati medici dogma, qui, vt locupletiſſimè teſtatum facit Celſus in proem. libri ſui, & Galenus in cap. 3. eius libri, in quo diſputat, An ſanguis in arterijs contineatur, hoc profitebatur,

fitebatur, ſpiritum in ſeipſis duntaxat arterias continere, & vbi in ipſas a venis pulſo ſpiritu transfunderetur ſanguis (quae vocabatur παρέμπτωσις) inflammationes, & alios morbos ſuboriri. Hiſce omnibus adijcere libet, quod refert idem Plutarchus in fine eius libri, qui inſcribitur ἐρωτικὸς de Sabini Romani vxore, quae cùm vtero gereret, atque dum aliae mulieres ſecum lauabantur, vteri tumorem caelare optaret, eo vnguento, quo ruffas & aureas comas reddebant, vniuerſum corpus ab vtero liniuit. Id verò, vt ait auctor, habebat λίπασμα σαρκοποιὸν ἢ χαυνωτικὸν σαρκὸς, ὥστε οἷον χύσιν τινὰ ἢ διόγκωσιν ἐμποιεῖν. ἀφθόνῳ δὴ χρωμένης τούτῳ πρὸς τὰ λοιπὰ μέρη τοῦ σώματος, αἰρόμενον, καὶ ἀναπιμπλάμενον ἀπέκρυπτε τὸν τῆς γαστρὸς ὄγκον. id eſt: *Pinguitudinem carnis effectricem, vel carnis laxatiuam, ita vt velati diffuſionem quandam inflationemve ingeneraret. Quo cùm largè in reliquis corporis partibus vteretur, id tumefactum & repletum, ventris tumorem occultauit.* Quod autem eſſet illud medicamentum, certi nihil tradi poteſt: (quando ſcimus innumera propemodum eiuſmodi extitiſſe apud antiquos medicamenta) poſſumus tamen conijcere, illud ex eorum genere fuiſſe, quae magna caloris vi aut humores ex alto ad ſummum trahendo, aut ex ipſis diffuſis flatus gignendo, cutem & omnem extimam corporis partem in maiorem molem attollunt: qualia ſunt rubificantia, & veſicas inducentia, calx ſcilicet, auripigmentum, thapſia, ſulphur: haec enim alijs rebus commixta, veteres ad capillos excolendos, & pulchriores efficiendos adhibuiſſe, notatum habetur apud Galenum, atque Oribaſium. De hoc Sabino refert Dion Nicaeus in vita Veſpaſiani, quòd cùm ſe Iulio Caeſare prognatum venditaret, ac propterea Caeſar eſset appellatus, tandem in quodam bello ſuperatus, rus abijt, ibiq; in ſepulchrum ſubterraneum, quod antea inciderat, ingreſsus eſt, vbi cum vxore Peponila nouem annos delituit, ex eaque duos filios habuit, interim cunctis illum interijſse opinantibus.

Plutarchi locus reſtitutus de Signis peſtis, ex Heſiodo, & Hippocrate: Strabonis ad idem locus. Empedoclis hiſtoria diuerſo modo à Plutarcho & Laertio relata. Quid fuerit ἄπνους Empedoclis, & Laertio, & Galeno. CAP. XIIII.

PLutarchus in initio lib. de Defectu oraculorũ, declarans quomodo paruae res interdum magnarum ſint indicia, medicinam in exemplũ profert, quam duobus ſignis aeſtatem peſtiferam ſignificare, nimirùm aranearum copia, & ficus foliorum vernorum cum cornicis pede ſimilitudine ſcribit. Quoniam verò Heſiodus in 2. de Operibus & diebus, tradit, ficus folia cornicis pedibus ſimilia veris noui argumenta eſse, atque idem quoque Hipp. 6. Epid. ſect. 7. confirmat: vnde ſi veritati conſona Plutarchi ſententia eſset, ſequeretur, ſemper debere aeſtatem peſtilentem eſse cum ſemper vere folia ficus ſint talia: ad credendum impellor, Plutarchi locum mendoſum eſse, atque ita reſtituendum: ἰατρικὴν δὲ λοιμῶδες θέρος ἀραχνίων πλήθει προδηλοῦν, καὶ θρίοις ἔαρ νὸν, ὅταν κορώνης ποδὶ ἴκελα γένηται. i. medicam vero artem peſtiferam aeſtatem aranearum copia praenunciare, & folijs ficus ver nouum quando comicis pedibus ſint ſimilia. Huc quoque pertinet, quod a Strabone memoriae mandatum eſt lib. Geogr. 3. Hiſpanis eſse peculiarem muſcarum multitudinem, quam ſaepe conſequi peſtis conſueuit: vt Romani interdum in Cantabria aliquos ſint conſtituere coacti, qui muſcas venarentur, & ſecundum menſuram capturae mercedem acciperent. Nam μυῶν potiùs ſiue muſcarum quã μυῶν, ſiue murium, quemadmodum legunt alij, ibi ſcribendum eſſe vt credam, facit & Plutarchi auctoritas, cum muſcae araneis ſint ſimiliores, & ratio, quòd mures gignantur à ſicca putredine, quae aerem non contaminat, atque à muribus quidem ſata vaſtantibus fames ſaepe inducta, non peſtis, legatur. Accedit Plinij auctoritas, qui lib. 10. cap. 27. ſcribit Elaeos Myagrum deum muſcarum inuocare conſueuiſse, ipſarum multitudine peſtem afferente. Eſt & apud Laertium in Empedocle hiſtoria à Timaeo excepta, & à Suda repetita, ſcilicet Empedoclem Eteſijs aliquando vehementer flantibus,

adeò vt fruges corrumperent: excoriari aſinos, ſactiſque vtribus eos collibus & montium verticibus admoueri, ad cohibendos flatus, iuſſiſſe, ceſſantibuſque ventis ab euentu rei κωλυσάνεμον vocatum eſſe. Haec hiſtoria quoniam parum fide multis digna videtur, ea ſanè veriſimiliorem exiſtimo, quam Plutarchus in lib. περὶ πολυπραγμοσύνης narrat his verbis ὁ δὲ φυσικὸς Ἐμπεδοκλῆς ὁρῶν τινὰ διασφάγα βαρὺν, καὶ νοσώδη κατὰ τῶν πεδίων τὸν νότον ἐμπνέουσαν, ἐμφράξας, λοιμὸν ἔδοξεν ἐκκλεῖσαι τῆς χώρας. *videlicet, Empedocles cũ animaduertiſſet grauem quendam & peſtiferum auſtrum per montis ſciſſuram in campos mitti, obſtructa ea, peſtem à loco auertiſſe viſus eſt.* Quid porrò eſſet ἄπνους Empedoclis, quo ille, vt Laertius & Suidas narrant, dicebat hominem ſine pulſu & ſpiratione triginta dies ſeruari, à quoquam explicatum non inuenio. Galenus ſanè lib. 6. de Locis affect. ca. 5. meminit Heraclidis Pontici libri, qui ἄπνους inſcriptus erat, vbi, is, vt videre eſt, affectiones explanabat, quibus aegri abſque reſpiratione, pulſu, aliove vllo motu reddebantur, & inter alia caſum foeminae exanimis ſeptem diebus ad vitam reuocatae narratum eo ſcribit Plinius lib. vij. cap. lij. In hoc itaque libro forſan ab Heraclide monſtratum eſt, quid fuerit, nunquid medicamẽ, an potiùs (vt ego exiſtimo) morbus, vteri praefocatio vocatus, vel ipſi ſimilis. Quicquid ſit, hoc certum puto, apud Laertium non, ἄπνοια igitur Heraclitus, ſed Heraclides: nec, Abſque ſtrepitu aut putrefactione, ſed Abſq; ſpiratione, ex Suida & Galeno eſſe legendũ: apud quem, eundem Heraclidem, cuius Laertius meminit, ſignificari opinor. Quamquam etiam vbi Suidas habet, ἄσιτον, & Laertius ἄσηπτον, legendum ἄσφυκτον, ex Galeno in loco citato certum habeam.

Plinij locus emendatus. Hippocratis locus à Plinio citatus, & explicatus. CAP. XV.

APponam loci Pliniani non inutilem emendationem: in quo explicando mirum eſt, Hermolaum Barbarum doctiſſimum adeò inſigniter dormitaſſe. Lib. enim 16. c. 20. ſic in omnibus ferè codicibus ſcriptum reperitur: Harum generi non decidunt, oleae, palmae, lauro, myrto, cypreſſo, pinis, hederae; rhododendro: & quamuis herba dicatur Sabina rhododẽdrũ in vno mine apparet, à Graecis venit, alij nerion vocarunt, alij rhododaphnon,

dodaphnon, ſempiternum, fronde roſae ſimilitudine, caulibus fruticoſum. Putauit Barbarus rhododendrum à Plinio herbam Sabinam dici. Quod ſane à veritate longe alienum eſt, quando rhododendrum & Sabina multum differunt, ipſeq; Plinius lib. 24. ca. 11. dicit, rhododendron tempore ſuo nomen Latinum non inueniſſe, quam tamen Apuleius poſt Plinium lauream roſam vocauit. Itaq; ſic Plinianus contextus reſtituendus eſt: Hederae, rhododendro, & (quamuis herba dicatur) Sabinae. Rhododendrum, vt nomine apparet, à Graecis venit. Nam Plinius vult dicere, etiam Sabinae nõ decidere folia: & quia de arboribus erat ſibi ſermo, iccirco addit ea verba. Quamuis herba dicatur: deinde perſequitur rhododendri tractationem. Hunc verò locum etiam Melchior Guillandinus, herbariae rei, omniſque eruditionis vir peritiſſimus, ita ante me reſtituerat: vt mihi carior & certior eſſe debeat emendatio, quia in eãdem cum viro acri iudicio praedito ſententiam fortuna quadam inciderim. At haec Plinius lib. 38. cap. 5. ſcribit; Hippocr. tradidiſſe, non prandentium exta celeriùs ſeneſcere, verùm id remedijs non epulis ceciniſſe, quòd multo vtiliſſima ſit temperantia in cibis. Hippocratis ſimilem ſententiam nullibi adhuc inuenire mihi licuit, niſi in 2. Acutorum morborum victus libro, vbi ſcriptum eſt eos, qui prãdere conſueuerũt, ſi prandium dimiſerint, imbecillos fieri, ignauos, praecordiorum doloribus torqueri, ac veluti ſuſpenſa viſcera gerere: quod etiam in libro de Veteri medicina fuſiùs dixit. Quem locum ſi Plinius nobis indicare voluit, aliter quam fecerit Barbarus eius verba erunt interpretanda: quod ſcilicet prandium intermiſſum voluerit Hippocrates, ſecundum Plinium, ijs nocuiſſe, qui à morbis detinebantur, & curationis gratia temperatè viuebant; non autem ijs, qui valetudine fruebantur, ac inter epulas quotidie verſabantur, quibus alioquin vtile erat à prandio abſtinere, cum lautiſſime ferè ſemper coenarent. Niſi magis placeat (quemadmodũ in lib. Artis veteris ſcriptum eſt) dicere, alijs prandium conducere ob neceſſitatem, quia ſi non prandeant, offenduntur; & non his, qui aut ob voluptatem, aut ob aliquem alium caſum alterutrum faciunt.

Loci

Loci Hippocratis reſtituti, & collati Lucretio. Ariſtotelis locus reſtitutus, & alter defenſus.

CAPVT XVI.

IN principio eius Hippocratis libri, qui *περὶ γονῆς* inſcribitur, haec leguntur verba: *ἡ δὲ γονὴ τοῦ ἀνδρὸς ἔρχεται ἀπὸ παντὸς τοῦ ὑγροῦ τοῦ ἐν τῷ σώματι ἐόντος.* id eſt: *Viri ſemen ab omni humore corpori inexiſtente proficiſcitur*. Quae non pauca eruditis multis difficultatem peperere, non ſatis intelligentibus, quomodo à quolibet humido ſecernatur ſemen. Sed cum ipſe legerim in vetuſtiſſimo Vaticani codice, non, *ἀπὸ παντὸς ὑγροῦ*, ſed *ἀπὸ παντὸς ὑγιέος*, id eſt, non Ab omni humore, ſed Ab omni ſana corporis parte: ita reſtituendum locum, atque omnem ambiguitatem tollendam putaui. Ratio eſt, quoniam inferius Hipp. non tantum ab omni humore, verumetiam à ſolidis, & mollibus partibus, tandemque ab vniuerſo corpore ſemen emanare ſcribit, quod etiam habetur in lib. de Sacro morbo, vbi perhibet à toto corpore ſemē proficiſci, ſed à ſanis partibus ſanum, ab aegris aegrum. Ad haec Ariſtot. 1. de Gen. anim. cap. 17. & 18. vbi aduerſus Hipp. non paruam, eius tamen nomine ſuppreſſo, habet de ſemine diſputationem, monſtrat eius ſentētiam fuiſſe (quod etiam alibi Hipp. ſenſiſſe reperitur) ſemen tantum à partibus integris, non mancis atque deprauatis proficiſci, argumento quòd claudi (quanquam hoc non ſemper fieri vult Hipp.) ex claudis naſcantur, quoniam à partibus vitiatis ſemen non ducatur. Hipp. autem opinionem, etſi Ariſtoteles ibi euertere omni ſtudio contendat, eam tamen aliquando in Prob. ſecutus videtur, ſicuti 14. ſect. quando reddens cauſſam, cur venere vtentes reſoluuntur, atque debiliores redduntur, idem ait, quod Hipp. quoniam ſcilicet ex vniuerſo corpore ſemen profluit, & paucum ex multo nutrimento, ſicuti *τὸ ἄμυλον ἐκ τοῦ σίτος* vt legit Gaza, vel *ὁ μυελὸς ἐκ τοῦ σίατος*, vt poſſe legi ſuprà etiam monſtratum eſt, ſiue (quod in 13. Prob. ait) quoniam ſemen paruum quid exiſtēs, magnam vim habet, ſi quidem ex multo paucum conflatur. Theophraſtus 5. de Cauſſis, cap. 7. ſcribit, viti ſi medulla extrahatur, vuas abſque acinis fieri, atque eum euentum illis fauere, qui ſemen ab omni corporis parte duci putant. Eandem Hippocr. ſententiam veluti antiquam habuit Lucretius in quar. hiſce carminibus.

Ex homine humanum ſemen ciet vna hominum vis :
Quod ſimul atque ſuis erectum ſedibus exit,
Per membram atque artus decedit corpore toto,
In loca conueniens neruorum certa.

In eodem Hipp. de Genitura libro haec ſcripta inueniuntur: ἧσσον δὲ πολλῷ ἥδεται ἡ γυνὴ τοῦ ἀνδρὸς ἐν τῇ μίξει, πλείονα δὲ χρόνον ὁ ἀνήρ, id eſt, *Multò minùs in concubitu delectatur foemina, quàm vir, longiore autem tempore vir*. Sed poſtrema in manuſcripto antiquo leguntur, πλείονα δὲ χρόνον ἢ ὁ ἀνήρ, videlicet mulierem minùs in coitu viro delectari, ſed diutiùs ipſo perdurare in voluptate. Quod veriſſimum eſſe ea ratio perſuadet, quoniam vir calidior (quicquid ſenſerit Parmenides) muliere exiſtens, velociores motus obtinet, quorum meritò ardentiùs & citius deſideria ſua terminat; mulier verò vt eſt frigidior ad cuncta, atque tardior; ſic in voluptate finienda frigidiuſcule ſe habet, ac perdurat magis. Id Meſſalina proſtitutae libidinis foemina ſatis aperte declarauit, quae, & ſi centies in die viro ſeſe commiſcuerat, potiùs tamen delaſſatam, quàm ſatiatam ſe praedicabat. Ad hoc item alluſiſſe potuit Tireſias ille, qui iudex electus ad decernendum, Iouiſne an Iunonis maior eſſet in concubitu voluptas; ſententiam tulit, viros ardentiùs, mulieres pertinacius amare, atque concumbere. Sic namque Arabum opinio eſt intelligenda, quando maiorem mulieri, quàm viro voluptatem tribuunt. Scribit ibidem Hippocrates, ex quacunque corporis viri parte plus prodierit in genituram, quàm mulieris, quòd partus ille magis patri adſimilabitur: vndecunque verò à corpore mulieris plus venerit, mulieri ſimilior euadet. Quam ſententiam, ſicut & quàmplurimas eius libri alias Lucretius, qui primus rerum naturas Romana lingua explanauit, ac plurima ab Epicuro, Democrito, & Hippocrate mutuatus eſt, hiſce verſibus explicuit:

Semper enim partus duplici de ſemine conſtat,
Atque vtri ſimile eſt magis id quodcunque creatur,
Eius habet plus parte aequa quod cernere poſſis;
Siue virum ſoboles, ſiue eſt muliebris origo.

Porrò in lib. de Natura pueri, quem eſſe ueluti partem quandam libri de Genitura facilè ex fine unius, & alterius principio colligitur, ſcriptum eſt, ἤντι γυνὴ ἐν γαστρὶ ἔχουσα νόσημα ἔχῃ μὴ συγγενὲς ἐν τῇ λοχίῳ καθάρσει, ἀπόλλυται. Vbi cùm obſcurum ſit, quid ſibi uelit μὴ συγγενὲς, clarum euadet ſi, quemadmodum in manuſcripto antiquo legitur, in hunc modum reſtituatur: μὴ συγγενὲς ἐὸν τῇ λογίῳ καθάρσει. Qui enim morbi a familiaribus puerperio perturbationibus

bus valde diuerſi contingunt, lethales ferè ſunt: quòd neceſſarium ſit aliquam magnam adeſſe cauſſam, quae morbum inducat, nec à naturalibus purgationibus vincatur, quaeque & purgationum moleſtijs, & partus laboribus reiecta, malorum prauam ſocietatem gignat. Addam hanc coronidem, illud eueniſſe libro de Natura pueri, quod multis alijs Hipp. commentarijs contigit, qui transmutati, imminuti atque aucti ſunt, uel prioribus illis ſeculis, quando circa libros homines negligentiores erant, vel quando Adriano imperante à Capitone & Dioſcoride in unum collecti ſunt. Nam praedicto libro apud me compertum eſt totam eam partem importunè interſertam fuiſſe, ubi longo ſermone de cauſis diſſeritur; quibus terra & aquae nonnullae hieme calent, aeſtate frigent, quandoquidem neq; praeſenti materiae quicquam ferè conuenit, nec ullo modo ei diſputationi aptari poteſt, quam de augmento plantarum tam in ſupernis quam in infernis partibus inſtituit. Itaque uidebunt eruditi, an tota ea tractatio ſit ex eo loco tollenda, atque in librum de Aer. aq. & locis transferenda, in eam ſcilicet partem, quae olim lib. de Vulneribus capitis malè interiecta conſpiciebatur. Athenaeus 7. Dipnoſ. refert, Ariſtotelem in lib. περὶ ζωϊκῶν, ſcripſiſse, piſcem aſellum ſolũ inter animalia cor in uentriculo habere: quam rem ex anatome falſam eſſe probare conati ſunt Rondeletius, & Saluianus. Ego autem cum intelligam hoc fieri non poſse, ut cor ibi ſit, ubi cibi coquuntur, Philoſophum adeò ſtupidum fuiſse, ut hoc uerum putaret, nunquã crediderim. Iccirco ſi id unquam ſcripſit Ariſtoteles, nihil aliud ſignificare uoluit quam immenſam eius animalis uoracitatem, magnamque ſtomachi, reſpectu cordis, amplitudinem. Sicuti namque eos, qui uentrem ferè non habent prominentem, dicimus in dorſo illum gerere: ſimiliter piſcem, qui magnum ſtomachum haberet, cor puſillum, dixit Ariſtoteles cor in uentre habere. Clemens Alex. 2. Paedagogiae cap. 1. Voraces, inquit, & eos qui mentem in uentrem infodiunt, aſſimilari aſino piſci, quem Ariſtoteles dicit ſolum ex alijs animalibus cor in uentre habere. Quamquam aptiùs fortè defendere Ariſtotelem poſſumus, ſi (quod ſcripſit Apuleius in prima pro ſe ipſo oratione) eum dicamus ſcripſiſse, aſellum piſcem in media aluo gerere cor, cùm alia animalia potiùs medio in pectore habeant.

Quoties

Quoties veteres in die manducarent.
CAPVT XVII.

INter doctos diu fuit nō parua quaeſtio, ſemelne in die tantùm, an ſaepius veteres manducarent. M. Antonius Muretus, vir elegantiſſimus & doctiſſimus in hoc laborauit. vt etiam quater in die manducaſſe interdum probaret; in quo certè non feſellit. Attamen ego hāc rem ſic ſtatuendam exiſtimo. Graecos, & praeſertim Hippocratis tempore, nullam huiuſce conſuetudinis legem firmam habuiſſe; ſed multos ter, plures ſemel, plurimos bis cibum ſumere conſueuiſſe: vt Cardanus omninò deridendus videatur, qui quòd tempore Hippocratis ter & plus ederēt, totidem etiam eos cacaſſe, in com. ſecundum Prognoſt. ſcripſit. Id autem clariſſima Hippocratis auctoritate confirmatur, qui in 2. de Rat. vict. in acut. morb. vbi ſanorum hominum conſuetudines multis verbis exponit, ſic loquitur: ἐπεὶ καὶ τοῖσι δὶς σιτεομένοισι τῆς ἡμέρης, καὶ τοῖσι μονοσιτέουσιν. αἱ ἐξαπιναῖοι μεταβολαὶ βλάβας, καὶ ἀῤῥωστίην παρέχουσιν, καὶ τοὺς μέν γε μὴ μεμαθηκότας ἀριστᾶν, εἰ ἀριστήσουσιν, εὐθέως ἀῤῥώστους ποιέει καὶ βαρέας ὅλον τὸ σῶμα, καὶ ἀσθενέας, καὶ ὀκνηρούς, ἢν δὲ καὶ ἐπιδειπνήσωσιν, ὀξυρεγμιώδεας, id eſt: *Quippe ſiue bis, ſiue ſemel duntaxat in die, quis cibum accipere ſolitus eſt, ſi ſubitò conſuetudinem mutauerit, noxam imbecillitatemq́; ſubibit. Etenim prandium aſſumens, qui id non conſuenit, protinus imbecillus, grauis, aegrotus, ſegniſq. redditur.* Et paullo poſt ſic ſcribit, καὶ τοί γε πολλοί εἰσιν οἳ εὐφόρως φέρουσι τρὶς σιτόμενοι τῆς ἡμέρης ἐς πλῆθος, οἳ ἂν οὕτως ἐθισθῶσιν. id eſt: *Quamquā ſunt nōnulli quibus nihil moleſtiae affert, ter in die cibo repleri, praeſertim ſi ita educari conſuenerint.* Ex quibus & alijs multis eo in loco ſcriptis facilè colligitur, mores hominū Graecorū in comedendo diuerſos fuiſſe. Quòd verò Plato miratus ſit Siculos, atq; Italos bis in die impleri cibis, ita planè intelligendū eſt, ꝙ rari eſſent, qui vſq; ad ſatietatē quotidie bis cibū caperēt; cū Hip. ibidē ſcribat: ἔτι δ' αὖ μᾶλλον ποιήσειεν ὁ τοιοῦτος, εἰ τρὶς σιτέοιτο τῆς ἡμέρης ἐς χόρον, ἔτι μᾶλλον, εἰ πλεονάκις. id eſt: *Maiori tamen moleſtia afficietur is, qui ter eadē die ad ſatietatem vſq. cibum ingeſſerit, ac multò magis ſi crebrius etiamnū aſſumpſerit.* vbi ſatietatē ciborū frequentatā in die eadem maximè obeſſe docēs, monet quoque non fuiſſe hanc eorum hominum conſuetudinē; quod ſimiliter innuit Ariſtoteles in Probl. vbi medicos concubituris prae-

cipere ſolitos, vt parcè veſpere mãducarent, ſcribit. Sed clariùs hoc teſtatum fecit Plutarchus, qui 8. Sympoſ. 6. tradit, olim infames fuiſſe, qui ante coenã quicquã edebãt: quemadmodum etiam Hippocrates in lib. de Aere, aq. & loc. monens, vt hominum viuendi ratio à medico conſideretur, ſcilicet πότερον φιλοπόται, ϗ ἀριστηταὶ, ϗ ἀταλαίπωροι, videtur pranſores inter eos collocare, qui non rectam viuendi normam ſequuntur. Immo ibidem à Plutarcho notatum eſt, ἀκράτισμα, & ἄριστον, ſiue ientaculum & prandium, idem veteribus ſignificaſſe, atque alterum dictum eſſe ἀπὸ τοῦ ἀκράτου. id eſt à mero, quod ſolum cum pane veteres mane ſumebant, vel ἀπὸ τῆς ἀκρασίας. id eſt ab incontinentia, qua notabantur id faciẽtes; alterum verò, quaſi ῥᾶστον, id eſt facillimum, quòd faciliter pararetur. Vt ex his omnibus colligatur, quàm rariſſimos fuiſſe Graecorum, qui ſaepius die cibis implerentur, quamquam multi etiam ter eſitarent. Ceterùm Romanos ita aſſueuiſſe puto, vt ſcilicet maior hominum pars ſemel ſaturarentur, atque id veſpere; manè verò aut modicum quid, aut nil omnino ſumerent, rariſſimi ter eſitarent. Quod certè Horatij, Martialis, & aliorum, qui Romanos mores poſteris tradiderunt, probare poſſem ſcriptis: ſed vnum Galeni teſtimonium mihi ſat erit, qui in lib. de Tuen. val. 5. ſenes nutriendi rationem exponens, ſatiùs eſſe ducit illos ter cibum ſumere, atque illud factitaſſe Antiochum medicum, ac Telephum Grammaticum monſtrat, quaſi hoc praeter communem aliorum viuendi morem eſſet. In 6. quinetiam eiuſdem tractationis lib. eorum victus rationem docens. qui negocijs diſtricti ſunt, conſiderari mandat, meliuſne ſit in die ſemel, an bis comedere, atque hoc ex conſuetudine diffiniri debere: quaſi certò ſciret, homines Romae (nam in libro illo ad Romanos vt plurimum ſermonem habere certum eſt) modò bis, modò ſemel comedere conſueuiſſe, rariſſimè verò ter; vt etiam ex Cornelio Celſo in principio librorum ſuorum de Medicina intelligere poſſumus, necnon ex Plutarcho, qui in loco nuperrimè citato ſcriptum reliquit, priſcos Romanos moderatè prandere ſeorſim, cum amicis verò coenare conſueuiſſe, ideoque coenam quaſi κοινὴν, id eſt communem ipſis appellatam eſſe. Quod verò de ientaculo & commeſſatione à Latinis auctoribus memoriae mandatum eſt, ſic accipio, pueros ferè ſolos ipſo vſos: perinde ac hodie vbique ferè gentium hoc vſurpatum eſt, vt pueri ſummo mane ſemper aliquid cibi capiant. Ea propter in Curculione Plautus facit Phedromum adoleſcentulum Veneri ientaculum vouere: ſimiliter & in Truculento Phroneſium meretrix ſic ait:

non nouiſti obſecro?
Qui illic apud me erat, huius pater pueri ille eſt, vſque ad ientaculũ Iuſsit ali.

Idem ſignificauit Martialis lib. 14. hoc diſticho:

Surgite iam pueri, vendit ientacula piſtor.
Criſtataeque ſonant vndique lucis aues.

Praeter pueros & ſenes, qui valetudinis gratia vtebantur ientaculo, nullos alios vnquam vſos puto; quòd ſi aliqui erant, qui vterentur, protinus tanquam incontinentes notabantur. Ita quoque de merenda apud Afraniũ, & alios (quae erat, vt Nonius docet, cibus poſt meridiem ſumptus) cenſeo dicendum. Sicuti & illos non parua infamia affectos exiſtimo, qui comeſſationes ſeu cibos poſt coenam ſumebant, atq; Comeſſatores nomine indecoro vocabantur, vt non mirũ ſit, Clementem Alexandrinum in 2. Paedagogi, vehementer in pueris quoq; prandiola, coenas, epulas atq; merendas, quae omnia ἀγάπας, id eſt, charitates aliqui appellabant, damnaſſe. Quemadmodũ pariter mirum alicui videri non debet, ſi Aulus Vitellius Imperator luxurioſiſſimus & incontinentiſſimus, epulas ſuas ſaepe trifariam, interdum quadrifariam diſpertiebat. in ientaculum, prandium, coenam, comeſſationem, quibus omnibus, ſicut ait Suetonius, vomitandi conſuetudine ſufficere poterat.

De Ptiſana, & Aqua hordei Arabum.
CAPVT XVIII.

EX hordeo Achilleio ab Hippocrate 3. de Morbis, & Ariſtophane vocato, hoc eſt magno, & optimo, vt in Linguis exponit Galenus, atque etiam Theophraſtus 3. de Cauſſis plant. ca. 17. & 8. de Hiſt. capite 4. apud veteres Graecos, & Latinos primò factos inuenio panes (quãquã Athenaeus hunc panem deterrimum omniũ hordaceorum facit) Graecis olim in maximo precio habitos, Romanis verò, vt Plinius lib. 18. refert, damnatos, ob id ſeruis, & gladiatoribus alẽdis deſtinatos. Huiuſmodi panes autẽ interdum μάζαν apud veteres, & praeſertim Hippocratem vocatos fuiſſe puto; licet Erotianus Mazam apud Hippocratem factã putet ex omni farina cum oxymelle, aut poſca, aut mulſa, aut aqua. Neque quiſquam mirari debet, quòd hoc ita à me conſtituatur: ſiquidẽ

nec ipſe ignoro, ab Hippocrate, Galeno, & poſterioribus panes ex hordeo à maza diſtingui, veruntamē cùm ἄρτος penes antiquos pro tritico frequentiſſime vſurpetur, vbi Ariſt. 21. ſect. Prob. & Hippoc. lib. Artis vet. panes & μάζαν comparant; clarum eſt, pro maza ab ijs hordeaceos panes intelligi: vti etiam ab Ariſtophanis interprete vetuſtiſſimo & probatiſſimo in fabula, Pacis nomine inſcripta. Ex hordeo quinetiam far efficiebatur, atque id erat hordeum inciſum, alendis cohortalibus auibus opportunum, vt habemus apud Columellam lib. 8. cap. 4. 5. 11. atq; Palladium lib. 1. cap. 28. Fiebat & farina, quae aqua cocta Puls appellabatur, & interdum lacte miſcebatur, quemadmodum meminit Gal. lib. De Atten. vict. c. 6. De hac ſcribit Plinius, eam Graecis ignotam fuiſſe. Efficiebatur quoq; polenta, ἄλφιτος à Graecis nuncupata, quam Plinius auctor eſt, Romanis olim ignotam, apud Graecos verò celebratam extitiſſe, nēpe qua ipſi milites ſuos alerent, in hoc à Romanis damnati. Conſtabat haec varijs modis, ſed laudatiſsima ex recenti hordeo, modice frixo, deinde molis fracto, & poſt aqua perfuſo, ac cocto. Fiebat praetereà ptiſana, quanquam ptiſanam etiam ex oryza & tritico fieri conſueuiſse memorant Horatius 2. Ser. Galenus 1. de Alim. facul. & Plinius lib. 18. Fiebat vltimò aqua, de qua apud Arabas, Auicennam, Auerroem, & alios celebris eſt mentio: quamquam ſub nomine aquae hordei ptiſanam quoq; complectantur Arabes: apud Graecos verò & Latinos nunquam fere habeatur mentio aquae hordei, niſi ſub nomine cremoris ptiſanae. Igitur alijs omiſsis, de ptiſana & Aqua hordei verba faciam, quoniam de his medici in primis agunt. Ptiſanam inuenio apud Graecos, atque Latinos ſcriptores fuiſse nomen rebus multis commune. Nam primò omnia frumentacea, deglubata, ac piſtillis decorticata, ptiſanae appellatione vocata inuenio, ἀπὸ τοῦ πτίσσειν, quod eſt pinſere, vel decorticare, ſic enim legimus apud Galenum 1. de Alim. facult. 6. & 9. ptiſanam ex Chondro, quae erat ſpecies zeae δίκοκκος, necnon triticeam, de qua etiam habetur mentio apud Hippocratem in lib. περὶ παθῶν, qui Maior de morbis ab Erotiano inſcribitur, & Ariſtotelem primo Probl. 38. Plinius autem lib. 18. cap. 17. mentionem facit ptiſanae oryzae, de qua loquens Horatius 2. Ser. dixit, Vas ptiſanarium oryzae. Columella pariter lib. 2. cap. 7. ex hordeo potiſsimum factitatam eſse ptiſanam perhibet. Dicebatur ſecundò ptiſana de omnibus his non ſolùm crudis & deglubatis, ſed etiam coctis aqua; veluti monſtrat Plinius loco citato, & Galenus 8. Meth. 7. cap. 6. vbi docet parandum eſse chondrum coctum inſtar ptiſanae. Tertiò dicebatur proprie de

hordeo, vel decorticato ſolùm atque deglubato, ſicut monſtrare videtur Pollux: de quo Martialem locutum puto, quando 12. lib. ſcripſit in Panicum:

Frumentum, milium, ptiſanam, fabamq́ ſolebas
Vendere.

& de quo loquitur Conſtantinus lib. 17. vbi pro curatione doloris capitis boum laudat ptiſanam crudam, vel etiam de hordeo decocto. Ptiſana verò ex hordeo decocto apud Galenum lib. de ptiſana, ita efficiebatur. Hordeum mundatum, decorticatum, integrum, non contuſum, vt monet Galenus loco citato, & Auerroes 5. Collect. 31. in aquae puriſſimae ponebatur decem partibus (apud Conſtantinũ lib. 3. Geopon. & apud Paullum Aeginetam lib. 1. capit. 78. quindecim) atque ſic ad ignem maximè ebulliebatur, quouſque hordeum intumeſceret: deinde ad lentum ignem coquebatur, quouſque totũ hordeum colliqueſceret, atque aqua illa ſucculenta euaderet. Sicq. ptiſana ſimpliciter, ptiſana hordei, ptiſana tota, ptiſana non colata apud veteres appellabatur, quemadmodum ſcribit Galenus 1. de Acut. 26. 28. & 1. de Alim. 9. vbi etiam dicit, coquos ſaepe conſueuiſſe ptiſanam haud tantum coquere, quantum erat neceſſe. Quòd ſi haec ptiſana percolabatur ſacculo, vel ſtamine, ita vt pars ſucculenta retineretur, terreſtrior verò & lignoſior abijceretur, iam non amplius ſic vocabatur, ſed ptiſana colata, vel πτισάνης χυλὸς. id eſt, Succus ptiſanae nuncupabatur: ita vt apud Galenum duplex tantum eſſet ptiſana hordeacea, non colata ſiue tota, & colata vel ſuccus hordei (Hordeatam vocant Itali) & haec eſt illa Aqua hordei, in quam dicit Auicenna ingredi de corpore hordei. Eſt tamen ſciendum, vt habemus à Galeno in libro de ptiſana, & ab Auicenna Fen. 1. quarti, veteres, quando in ptiſana requirebant vim abſterſoriam, conſueuiſſe eam parare ex hordeo non decorticato, quod docet Gal. lib. de ptiſana, & 1. de Alim. facult. cap. 9. Atque de huiuſmodi ptiſana loquitur Plinius lib. 22. cap. 25. vbi dicit: *Ptiſanae, quae ex hordeo fit, laudes vno volumine condidit Hipp. quae nunc omnes in Alicam transeunt. Contrà quanto innocentior eſt Alica? Hipp. tantùm ſorbitionis gratia laudauit, quoniam lubrica ex facili hauriretur, quoniam ſitim arceret, quoniam in aluo non intumeſceret, quoniam facilè redderetur, & aſſuetis hic cibus in febre bis die poſſet dari, tantum remotus ab iſtis (Diatritarios à Galeno damnatos, qualis fuit Theſſalus, intelligit) qui medicinam fame excercent.* De hac eadem loquitur Galenus, quando Hippocratis commendationem ptiſanae, quam habet 1. de Acut. 28. & per totum librum exponit. Condiebatur autem ptiſana varijs mo-

dis modò aceto, pipere, melle, ſapa, cymino, amygdalis, modò alijs: peſſimus omnium iudicabatur ille, quando parum coquebatur, & ſapa vel melle & cymino miſcebatur; potiùs (ait Gal. 1. de Fac. alim. ca. 9.) Cyceon appellandus (erat enim Cyceon, vt notat Erotianus, potio farinae commixta, vel, vt Gal. docet 6. Epid. com. 6. tex. 5. Homerum ac Hippocratem vſurpaſſe, mixtio cibi & potus, necnon polentae & vini) quàm ptiſana, de qua locutum puto Heſychium, quãdo ptiſanam dixit eſſe cyceonem, & etiam Apicium Opſodaedalũ in 4. vbi condituram ptiſanae recenſet. Nos certè meliùs eam lacte ſeminum peponum vel amygd. dulcium & ſaccharo cõdimus. Praeter hanc ptiſanam, apud Latinos & Arabas fiebat Aqua ex hordeo tam decorticato, quàm non decorticato: & eſt illa, in quam dicit Auicenna nil de corpore hordei ingredi. Accipiebatur pars vna hordei electi & emundati, aquae partes xx. ac bulliebant quouſq; pars quinta remaneret: deinde colabatur atque exprimebatur: abiecto hordeo, ſola aqua expreſſa reſeruabatur pro vſu. Hanc Celſus Cremorẽ ptiſanae dixit libro 3. cap. 7. & alio in loco vbi in vicem vini Cremorem ptiſanae dat: Vnde patet, omnes *Galeni interpretes hallucinatos*, vbi *χυλὸν πτισάνης* transferunt Cremorem ptiſanae, cùm transferre deberent, Succum, quoniam cremor ptiſanae apud Latinos eſt aqua hordei expreſſa, non ſuccus ipſius ſubſtantiae hordei, vt apud Galenum. Nec me latet, apud Arabas extitiſſe diuerſas menſuras in facienda aqua hac: quando Auicenna, Meſue, & Auerroes praedictam monſtrarunt, Auenzoar verò & Halyabas aliam. Sed hoc euenit, pro vt magis vel minus nutrientem ac refrigerantem eam reddere ſtudebant. Itaque ſi quando placet parare hanc aquam pro aegrotis, eamque magis nutrire optabitur; curandum erit, vt multa portio hordei apponatur, veluti octaua, aut decima, aut multum bulliat: ſin magis cura erit refrigeratio, paucior erit hordei portio, vt viceſima: atque non tam diu bulliet. Ceterùm quam ex farina hordei Aquam coctam fieri conſueuiſſe monet Auicenna, eam non video in vſu fuiſse apud Graecos: puto tamen ipſam Latinos habuiſse, atque hanc fuiſse eam, quae Romae publicè vendebatur, ſub nomine Polentae: de qua etiam mentio eſt apud Galen. 1. de Alim. facul. 9. & lib. de Atten. vict. 6. Quanquam etiam fieri poteſt; vt ptiſana appellaretur, quam ex pluribus rebus, vt tritico, oryza, parari conſueuiſse, iam diximus.

QVARTI LIBRI FINIS.

HIER. MERCVRIALIS VARIARVM IN MEDICINAE Auctoribus, & alijs Lectionum.

Liber Quintus.

Quid ſit Camum, Acinaticium, Murrhina. *CAPVT I.*

DVbitauit Cuiacius, vir eruditiſſimus, in ſuis Obſeruationibus, quid in D. lib. 33. de Vino, trit. & oleo, per camum intelligendũ ſit; videturq. in eam deflexiſse ſententiam, fuiſse Romanorum Loram. At ea ratione huiuſcemodi ſententia mihi non probatur, quòd Apicij contextus, cuius teſtimonio maximè nititur, valde deprauatus eſt, vt hac de cauſsa variae eius loci inueniantur lectiones. Quod ſi legi debeat camum, eſse tamen loram minimè vero ſimile videtur. Quia cùm lorae mentio apud omnes linguae Latinae ſcriptores crebertima ſit, neminem eam camum appellaſse conſtat. Accedit his, vt ait Plinius lib. 14. cap. 10. loram inter vina operaria recenſeri; ſi quidem Cato propter ſeruitia huiuſmodi potionem factam docet. Itaque puto ego genus aliud potionis fuiſse ex varijs rebus commixtae, perinde ac ceruiſiam, ita vt cibi potabilis formam referret: quod quia forte peculiare alicui nationi fuit, non eſt mirum ſi à plurimis ſileatur. Sicut Ammianus Marcellinus lib. 26. narrat, Sabaiam fuiſse ex hordeo vel frumento in liquorem conuerſum in Illyrio paupertinum cibum. Nam Caelius Aurelianus 2. de Morb. acut. cap. 10. de ijs, quae catalepſim inducunt, loquẽs, ait: Sciendũ igitur quòd haec paſſio ex ijſdem cauſſis antecedentibus fit, quibus aliae quoque paſſiones efficiuntur, in-

digeſtione, vinolentia, carnali cibo, & horum ſimilibus rebus. Atqui vellem Cuiacius potiùs explicuiſset nobis, quid fuerit Acinaticium, quod inter vina Legislator ibidem minime recenſendū ſtatuit. Scio qui Latinae linguae theſauros conſtruxerunt, eos voluiſse acinaticium fuiſse loram, ſeu vinum ſecundarium, factum ex vuarum acinis aqua maceratis. Sed cùm nullius auctoris fide vtantur, ipſis minime credendum puto: praeſertim cùm acinatici Caſſiodorus celebrem mentionem fecerit lib. 12. Variarum: quod quia cum acinaticio, de quo in lege ſcribitur, idem fuiſse puto, Caſſiodori verba ipſa hic ſubijciam. *Comitis itaque patrimonij relatione, declaratum eſt, acinaticium, cui nomen ex acino eſt, Eutheris aulicis fuiſſe tenuatum. Et quia cunctae ciuitates inuicem ſibi debent neceſſaria miniſtrare, quae probantur ad rerum dominos pertinere; ad poſſeſſores Veronenſes, vbi eius rei cura praecipua eſt, vos iubemus accedere, quatenus accepto precio competenti, nullus tardet vendere, quod principali gratiae debetur offerre. Digna planè ſpecies, de qua ſe iactet Italia. Nam licet ingenioſa Graecia multiuaria ſe diligentiae ſubtilitate commendet, & vina ſua aut odoribus condiat, aut marinis permixtionibus inſaporet, ſub tanda tamen exquiſitione reperitur ſimile nihil habere. Hoc eſt enim merum, & colore regium, & ſapore praecipuum, vt blactam putes aut ipſius fontibus tingi, aut liquores eius à purpura credantur expreſſi. Dulcedo illi ineffabili ſuauitate ſentitur, ſtypſis neſcio qua firmitate roboratur, tactus eius denſitate pingueſcit: vt dicas eſſe vel carneum liquorem, aut edibilem potionem. Libet inferre, quàm ſingularis eius videatur eſſe collectio. Autumno lecta de vineis in pergulis domeſticis vua, reſupina ſuſpenditur, ſeruatur in vaſis ſuis, thecis naturalibus cuſtoditur: rigeſcit, non liqueſcit ex ſenio tunc fatuos humores exudans magna ſuauitate dulceſcit. Trahitur ad menſem Decembrem, donec fluxum eius hiemis tempus aperiet, miroque modo incipit eſſe nouum, quando cellis omnibus reperitur antiquum. Hiemale muſtum, vuarum frigidus ſanguis, in rigore vindemia, cruentus liquor, purpura potabilis, in oleum nectar, deferuet primùm in origine ſua, & cum potuerit adoleſcere perpetuam incipit habere nouitatem, non celcibus iniurioſè tunditur, nec aliqua ſordium admixtione fuſcatur, ſed quemadmodum decet, nobilitas tanta procuratur, defluit, dum aqua dureſcit, foecunda eſt cum omnis agrorum fructus abſcedit. Deſtillat gemmis comparem liquorem, iucundum neſcio quid illacrymat, & praeter quam eius delectat dulcedo, in adſpectu ſingularis eius eſt pulchritudo. Hoc quanto ocyùs perquiſitum, & competentibus precijs aggregatum, chartarijs, qui in rem directi ſunt, tradite deferendum, Nec illud negligendum putetis,*

quòd

quòd lacteo poculo relucescit: quoniam plus est mirabile, quod potuistis difficilius inuenire. Albedo ibi decora est, & serena puritas, vt illud de rosis, hoc credatur natura esse de lilijs, colore quidem extraneum, sed sapore germanum est, adspectus dispar, & similis in vtroque suauitas. Nam quòd acutè sapit, quòd citò reficit, commune illis intelligitur, sed magis est distantiae quae videtur: illud intueris rubore laetum, hoc inspicis candore festiuum. Et ideo procuratio eorum debet esse celerrima, quando in ambobus esse cognoscitur, quòd pariter expetatur. Hactenus Caſſiodorus de Acinaticio. Ex cuius verbis facilè conijci poteſt, illud fuiſſe protropi, ſeu, vt ſecundum Athenaeum Mitylenaei vocabant, prodromi genus, à Galeno ſaepe in vſu medicamẽtorum nominatum: quod vt fieret, indicatum habetur à Plinio lib. 14. cap. 9. Erat enim illud inter dulcium genera. Dulcia verò à vinis diſtincta fuiſſe, nemo neſcit. Ceterùm Murrhinam vinum fuiſſe lautiſſimum myrrhae odore conditũ, Plauti teſtimonio probare conatus eſt Plinius lib. 14. cap. 12. cuius ſentẽtiam vt damnem, duo me hortantur. Primum illud eſt, murrhinam nullo modo fuiſſe vinũ: quando praeter Plauti propoſita à Plinio teſtimonia, vbi vinum & myrrhinam clarè diſtinguit, etiam Gellij accedit auctoritas, qui lib. 10. cap. 23. mulieres Romanas à vino abſtinuiſſe, & murrhinam potaſſe ſcribit. quare ſi à vino propter libidinem abſtinebant, tantò magis à myrrha cõdito vino abſtinuiſſent, nimirùm quod lautiſſimum atque potentiſſimum erat. Alterum eſt à Plauto inter dulcia murrhinam reponi: atqui dulcia appellata à vinis diſtincta erant, immò etiam ſi vina fuiſſe concederetur, myrrha valde amara cùm ſit vix fieri poteſt, quin mixta vino illud amarum reddat. cuius rei non ignari peſſimi Hebraei, Chriſto cruci ſuffixo, vt recitat Marcus, vinum myrrhatum obtulerunt: vt verò alij Euangeliſtae acetum & fel quaſi vtraque potio inſuauiſſima etiam hoſtibus offerenda eſſet. Quod verò Feſtus docet, antiquos vſos eſſe murrhata potione: ita intelligendum eſt, eam nõ in quotidiano habuiſſe vſu, ſed interdum adhibuiſſe, religionis vel alterius rei gratia: quo pacto refert Plinius lib. 27. cap. 7. abſinthium ſacris Romanis celebratum peculiariter, quando Latinorum ferijs in quadrigarum certamine victor abſinthium bibebat. Nec dicat quis Martialem ſecus ſentire ſcribentem:

Si calidum potas, ardenti murrha Falerno
Conuenit, & melior fit ſapor ille mero.

quoniam murrha pro vaſe myrrhino ab ipſo accipitur. Neque etiã Iulij Scaligeri opinio mihi placet, qui in com. ad librum Theophr. 6. de Cauſſis plant. cap. 36. voluit, murrhinam vinum fuiſſe ex baccis

myrti

myrti factum. Si quidem nec nomen, nec vllius auctoritas ipſi fauet: immò verò vt huiuſmodi vinum maxima vi adſtringendi pollet, ſic in quotidiano vſu haberi minimè poteſt. Quòd autem Adrianus Iunius, praeſtans medicus, monſtrare conatus eſt, Murrhinam ἀπὸ τοῦ μύρου eſſe dictam, quaſi vinum eſſet aut altera potio odoribus condita, à ratione quoque alienum videtur. quia etſi nemo dubitet, veteres, vnguenta atque odores vinis commiſcuiſſe, quemadmodum praeter Athenaeum & Pollucem ab eo citatos, Plinius, Plutarchus & Clemens Alexandrinus docuerunt, attamen mulieres, quibus propter omnem libidinis occaſionem fugiēdam, murrhina loco vini concedebatur, odoratis potionibus vſas eſſe, minimè vero ſimile eſt. Neque verò nomen murrhinae, vt apud omnes ſcriptores Latinos inuenitur, inde ortum eſſe poteſt; praeſertim quòd tēpore, quo huiuſmodi potio in vſu apud Romanos eſſe coepit, nondum luxus adeò creuerat, vt huiuſmodi odoramentorum voluptates in potionibus etiam mulieres perſequerentur. Quamobrem potiùs ego exiſtimo, murrhinam fuiſſe artificialem quandam potionem, quae veterum tempeſtate vulgatiſſima cùm eſſet, atque à poſteris ſit intermiſſa, vix eius remanſit nomen, quod vel à ſimilitudine, vel à mixtione, vel ab aliqua alia re fortè captum fuit. Huic ſententiae & Feſtus & Nonius adſtipulantur, qui dicũt, murrhinum factitiae potionis genus extitiſſe. Haec inter dulcia potiùs, quàm vina reponenda non ob miram aliquam ſuauitatem, ſed quia huiuſmodi dulcibus vtebantur frequenter antiqui, quod nequaquam ebrietatem inducant, vt diſputat Plutarchus 3. Sympoſ. 7.

Quae ſint Febres Statae, Typhi, Quotidianae, Querquerae. Horatij locus de Hydrope explicatus.

CAPVT II.

Nonnulla apud Latinae linguae ſcriptores febrium inueniuntur nomina, quae à medicis vel minimè vſurpantur: cuiuſmodi ſunt ſtatae febres, quotidianae, querquerae. Statae febres (quae vox apud Plinium eſt lib. 28. cap. 8.) dicuntur, vt ego puto, omnes illae, quae certis quibuſdam diebus affligunt, quaſque à Graecis Periodicas eſſe vocatas ſcripſit idem Plinius lib. 10. cap. 3. ait enim Feſtus, Stata ſacrificia à Catone & alijs veteribus eſſe dicta, quae certis diebus fieri debent: ita vt febres Statae op-

tae ôpponantur Vagis à Celſo vocatis,quae ſcil. nullam firmam habent diem,qua inuadant, πλανήτας dicunt Graeci. Has etiã typhos eſſe vocatas memorat Iſidorus 4. orig. quamquam ab Hippocrate in lib. maiore de morbis, typhi quinque tractentur, qui multùm ab eiuſcemodi febribus differunt: nec aliud eſſe ab aliquibus putantur, quam ſtuporis attoniti genera, de quo loquebatur Arnobius lib. 1. aduerſus gentes cum dixit quòd ſi mentis elatio, & typhus qui appellatur à Graecis,obſtaret vt lib. ij. quod typhus eſt, ſapientiam dicitis. Porrò quotidianae febres tam apud Terentium in Hecyra, quàm apud Celſum,Plinium, atque alios, ſunt quaecunque ſingulis diebus vexant,ſiue ſint duae tertianae,ſiue tres quartanae, ſiue continua,alias Aſſidua à Celſo nominata: quam enim quotidianã propriè medici nuncupant, atque rariſſimè fieri conſtat, Plinius lib. 28. cap. 16. Graeco nomine Amphimerinon vocat. Continuatas febres & Continentes dixit quandoque Celſus: ſed qui ex Latinis Continuas febres dixerint,raros omnino inuenies, huiuſmodi verò quotidianam febrem ſiue continuam λειπυρὴν vocat Lucianus in initio lib. de conſec. hiſt. Ceterum Querqueram febrem eam vocatam reperio antiquitus,quae cum frigore & tremore,à Graeco, κάρχαρα, vt docet Feſtus, affligit. Sic Lucilius.

Iactans me vt febris querquera; & alibi:

Querquera conſequitur febris, capitisque dolores.

Sic referente Priſciano,Plautus in Friccolaria. *Is erat mihi bilis aqua intercus; tuſsis, febris querquera.* Arnobius in 1. lib. aduerſus Gẽtes, querqueras atque intercutes morbos curaſſe Chriſtum ait. Et Minutius Felix in Octauio, querquerum morbũ videtur appellaſſe rigorem febres vrentes antecedentem Hipp. 1. Epid. com. 1. tex. 22. vocauit φρικώδεις huiuſmodi febres. ſ. in quibus frigus perdurat vſque ad magnam paroxyſmi partem,vt ibi Galenus atque 2. de diff. feb. 8. Sed Apuleius in Apolog. & A. Gellius lib. vlt. cap. 1. quercetam dixerunt. Nomen huiuſmodi,vt opinor,ductum à ſonitus imitatione, quem in febre trementes & horrentes edunt, veteres namque plurima hoc pacto nomina effinxiſſe ſcimus, Et quoniam de morbis ſermonem habuimus, addendus hiſce Horatij locus eſt,qui lib. 2. Carm. ode. 2. hydropici conditiones proponens,appoſitiſſimè medicum ſic agit:

Creſcit indulgens ſibi dirus hydrops,
Nec ſitim pellit, niſi cauſſa morbi
Fugerit venis,& aquoſus albo
Corpore languor.

Ete-

Etenim cùm ſint tres ſpecies eius morbi; vna; in qua ventus ſimul & aqua ventri inſidet, Tympanitis vocata. altera, in qua ſolã aquam venter continet, quam Aſcitim vocant: tertia, quando venae & minora totius corporis ambitus ſpacia praecipue inter carnem & cutem aquoſo humore plena sũt, quae Hypoſarca, & Leucophlegmatia, vt Celſus quoque teſtatur, dicitur. de hac poſtrema loquẽs poeta, eam egregiè depingit, & inter cetera nomen Graecorum, λευκοφλεγματίην ſcilicet quaſi exprimens, dixit, Albo corpore, quia ſanè ſub hoc vitio corpus albeſcit. Vnde manifeſtum cuiuis eſſe poteſt, quàm ineptè Lambinus Album corpus, pigrum, languidũm, & iners interpretari laborauerit. Serenus Horatij imitator ſic etiam Hydropem appellauit hocce verſu:

Vnguine quo frangit vires languoris aquoſi.

Locus Plinij de Mammis explicatus, & defenſus, Quis morbus Solſtitialis. C A P. III.

PLinius lib. 31. cap. 6. aquae marinae vtilitates proponens, inter caetera haec ſcribit, *Mammas ſororientes, praecordia, maciemq. corporis, piſcinae maris corrigunt.* vbi duas eruditis dubitandi dedit occaſiones, vnam, quid ſibi velint ſororientes mammae: alteram, quomodò aqua maris, quae extenuat & deſiccat, maciẽ corporis corrigere ſit idonea. Quod ſpectat primum dubium, ſunt qui putant legendum eſſe, quemadmodũ eſt in vetuſtis quibuſdã codicibus, tam manuſcriptis, quàm impreſſis, Rigentes, loco Sororientes, quam lectionẽ nec ego improbo, modò pro rigentibus mammis intelligamus eas, quae ob nimiam lactis copiam valde dureſcunt: ſic Dioſcorides marinam laudat τοὺς μαστοὺς σπαργῶντας. Verùm lectionem quoque vulgatiorem dictionis, Sororientis, ſeruari poſſe exiſtimo, ſi ſimpliciter pro Sororientibus, vel Sororiantibus, interpretemur tumentes. nam Feſtus ſcribit Sororiare dici mammas puellarum, quando primùm tumeſcunt: ſic Plautus, Tunc papillae primùm ſororiebant. Sed quia huiuſmodi nimij tumores fiunt, tum à lacte, tum à carne, alijsque mammarum partibus plus iuſto creſcentibus; potiùs de prioribus Plinij ſententia exponenda erit. Poſteriores namque tumores pulchritudinem, & non valetudinẽ impedire ſolent. & huiuſmodi mulieres vocabãt veteres Mammoſas, Plautus dixit Mammeatas. neque ſalſis eae

coercentur, ſed, vt eſt videre apud Galenum 9. de Simplic. med. capite de Oſtreacite, & alibi apud Aetium, Auicennam, & alios, refrigerantibus medicamentis. Serenus de his ſcribens ita loquitur.

Si caſtigatas ſtudium eſt praeſtare papillas,
Ex hedera ſertis ambas redimire memento.

& quae ſequuntur. Pro ſecunda dubitatione, niſi pro macie interpretemur καχεξίαν, id eſt, malum corporis habitum, quem etiã Celſus Tabem, vt Marcellus Virgilius ſaepè à Plinio accipi teſtatur, in ſuis ad Dioſcor. com. lib. 5. ca. de Aqua marina, proculdubio aut erraſſe Plinium, aut vocem illam deprauatam eſſe dubitandum erit, eo praeſertim, quòd quaecumque ibi remedia ab aqua marina proponit Plinius, aut à Dioſcor. ſumpſiſſe videtur, aut ſaltem ab eodem ſcriptore, à quo ſua Dioſcor. accepit. Dioſcor. verò καχεξίας meminit, de qua nil loquitur Plinius: niſi fortaſſe ſub macie illam complectatur. Apud Plautũ in Trinummo, ſeruus ille, qui Philtoni perſuadere ſtudebat, ne agrum quendam pro dote capere, multas eius agri peſſumas conditiones enarrans, inter alias hanc ponit: *Tum autem Syrorum, genus quod patientiſſimum eſt hominum, nemo extat, qui ibi ſex menſes vixerit, ita cuncti ſolſtitiali morbo decidunt.* Quo in loco quaeſitũ eſt, quis ſit Morbus ſolſtitialis. Alij pro comitiali intellexerunt, alij pro repentino, & ſubitaneo: vt etiam alibi herba ſolſtitialis, quae nata ſtatim moritur. Turnebus doctiſſimus pro ſolſtitiali morbo ardẽtiſſimas febres intellexit, quaſi illae ſub ſolſtitio maximè vagẽtur. Sed etſi demus Turnebo, ſimiles febres canicularibus diebus graſſari; attamen ſolſtitium à Canicula multorum dierum interuallo remotum eſt. Quare puto ego ſolſtitialem morbũ quemcunque prauum & lethalem vocari, quaſi innuere velit ille ſeruus, neminem ibi potuiſſe ſextũ menſem viuere, ſed ſtatim vnumquemque tempore ſolſtitiali interire conſueuiſſe. Etenim ſolſtitium periculoſum, atque morboſum eſſe, vnus ante omnes docuit Hippo. lib. de Aere, aquis, & locis. Poſt quem Ariſt. 1. ſect. Probl. idem confirmauit. Cauſſa verò eſt, morborũ multitudo, qui calore veris creſcẽte gignuntur, & eo magis in regionibus alioquin inſalubribus, in quibus cùm pernicioſiores fiant, promptiùs incolae interficiuntur vt in maritimis Senarũ partibus, atque adeò in ipſius Romae ciuitatis ſuburbijs, tempeſtate noſtra euenire cõſpicimus. Forſan autẽ & pro morbo ſolſtitiali, non abſonum eſt intelligere, eũ qui à Graecis Συρίασις, ab Alexãdro 1. Pro. 98. καῦμα κεφαλῆς, à Plinio ardor capitis, ab Auicenna eryſipelas, à Raze ſekakilos, ab Hippoc. verò 7. apho. ſphacelos cerebri nuncupatur, qui licet potiſſimùm in infantibus

oriatur,

oriatur, attamen fit etiam in adultioribus, & trium dierum ſpatio vnumquemque perimere ſolet in aeſtate, quando, vt ſcribit Alexander, potiſſimùm inducitur.

Quaedam ab Ariſtotele notata de Menſtruis, & de Morbo pilari. C A P. IIII.

ETſi Ariſtot. verè, vt dicebat D. Hieronymus, naturae miraculum fuerit; attamen cum & ipſe homo eſſet interdũ erraſſe, nequaquam rationi incongruum videtur: eo magis quòd, vt ab ipſo ſcriptum eſt, πάντα κατορθοῦν, καὶ μηδὲν ἁμαρτάνειν ἐστὶ τῶν θεῶν: ἄνθρωποι γὰρ ἁμαρτάνουσι. Quare ſi errores aliquos illius detegere conor, minimè quis me audaciorem vocabit; quando praeſertim etiam eius errores librorum corruptorum mendis excuſare poſſumus. Etenim vnicuique perſpectum puto, quod Strabo lib. 13. & Plutarchus in vita Syllae, de libris Ariſtotelis memoriae mandarunt, quomodo ſcilicet primo ſub terram occultati fuerint, ibique ab humore & blattis vitiati: tum Appelliconi Theio magna pecunia venditi: poſt à Sylla Romam vecti, atque Tyrannioni Grammatico qui plurima mutauit atque deprauauit, cõſignati. Sed ad rẽ venio. Ariſtoteles lib. 7. Hiſtoriae animal. cap. 2. ſcribit, paucis mulieribus ſingulis menſibus fieri menſtruas purgationes, plurimis verò tertio menſe, & tamen nemo eſt tam in rerum cognitione puer, qui neſciat, rem ſeſe contrario modo habere, omnes ſcilicet mulieres ſingulo menſe purgari, raras tertio, vel aliter. Albertus Magnus, qui vidit huius dicti falſitatem, dum Ariſtotelem fere tranſcribebat 9. de Anim. 2. textum illum peruertit, quaſi dixerit Philoſophus, plurimas ſingulo mẽſe purgari, paucas alternis mẽſibus, ſeu poſt tertiũ. Auguſtinus verò Sueſſanus in comm. ad eum librum, vt Ariſtotelem tueretur, dixit, id forſan verum in eius regionibus fuiſſe. At nugae ſunt. Quare puto ego Ariſt. vera dixiſſe, modò non Gazam interpretem, ſed ipſummet auctorem ſua lingua, ita loquentem attendamus: καὶ ταῖς μὲν συνεχῶς, καθ' ἕκαστον ὀλίγαις (ſic enim, & non ὀλιγάκις, vt in vulgatis codicibus legendum docent antiquus interpres, & Gaza) τὰ καταμήνια φοιτᾷ, ταῖς δὲ μὲν διὰ τρίτου ταῖς πλείσταις, id eſt; *Paucis copiòsè ſingulo menſtrua fluunt, tertio menſe plurimis.* Quaſi ita ſentiat Ariſt. purgari quidẽ omnes vnoquoque menſe,

menſe, ſed aliquas ſemper copioſè, plurimas non niſi tertio menſe copioſè. Particulam autem illam, *συνεχῶς*, vel id ſignificare, vel loco alterius quid tale ſignificantis ſubintraſſe, vt credam facit Plinij auctoritas, qui omnia fere ab Ariſt. de animalium natura mutuatus, ita lib. 7. cap. 15. de menſtruis loquens ait: *Et tale tantumque omnibus tricenis diebus malum in muliere exiſtit, & in trimeſtri ſpacio largiùs.* Iudicabunt eruditiores, an meliùs ſentẽtia tanti viri defendi queat. Verùm patrocinari eidem non poſſum, cum lib. 7. de Hiſt. animal. cap. 11. ſcribit, tota vbera ita fungoſa eſſe, vt ſi in poculo fortè mulier pilum hauſerit, dolor moueatur in mammis (quod malum pilare vocant) neque ſedetur, donec pilus vel preſſus exeat ſponte, vel cùm lacte exſugatur. Quaſi pilus hauſtus ventriculum, meſeraicas, iecur, atque adeò venas ipſas non mutatus pertranſire, & ad mammarum cauernas per mille amfractus peruenire queat. quod plane puerile eſt cogitare. Sed in Lectionibus noſtris de mulierum morbis, & quid ſit morbus pilaris, & plura alia medicinae myſteria declarauimus.

De duplici Ficu, Locus Varronis emendatus. Plutarchi ſententia explicata & emendata de Salſis. C A P. V.

Veteres quoque, ficut & noſtrates, ficuum ſtudioſos extitiſſe indicant varia ipſarum, quae habuerunt, genera, tam ſimplicia, quàm arte parata; & inter cetera apud ipſos nominatae reperiuntur Ficus duplices: quae quales fuerint nõ ſatis, mea ſentẽtia, explicuerunt Turnebus, atque Lambinus, qui Horatij, Vegetij, & aliorum hac de re mentem interpretantes, ita ſtatuerunt, maiores ficus, alias mariſcas nuncupatas, pro duplicibus eſſe intelligendas. Quod quàm ſit à ratione alienum, atque à Vegetij inſtituto, facilè eſt diligenti lectori percipere. Quapropter ſentio ego, Duplicem ficum ab Horatio, Plinio, atque Vegetio eſſe appellatam, de qua ſcribit Columella lib. 12. cap. 15. in hunc modũ: *Alij pinguiſsimam quamque viridem ficorum eligunt, & arundine vel digitis diuiſam, dilatant, atque ita areſcere patiuntur: quas deinde bene ſiccatas meridianis teporibus, cùm calore ſolis emollitae ſunt, colligunt, & vt eſt mos Afris, atque Hiſpanis, inter ſe compoſitas comprimunt in*

figuram

figuram ſtellarum floſculorumque, vel in formam panis redigentes, tum rurſum in ſole aſsiccant, & ita in vaſis recondunt. Hactenus Columella. Ex cuius ſermone colligere licet, eſſe Duplicem vocatam, quoniam in duas partes findebatur, quarum altera alteri ſuperpoſita, & in formam crucis ſeu ſtellae compreſſa, meritò duplicata ficus dicebatur: erat enim pinguiſſima, & iucundiſſima, ob idque & in menſis, & in medicamentis exoptata. Apprimè congruunt huic, quae ab Ariſt. 22. Probl. 9. ſcripta ſunt, vbi quaerens cur caricae in duas partes diuiſae dulciſſimae ſint, non autem quae vel in plures, vel in nullas? reſpondet, quia ex partitis in multa humor dulcis diſſlatus eſt & conſumptus: in ſolidis pars aquea & inſuauis continetur adhuc: quorum neutrum bipartitis ineſt. Ficum duplicem, loco vini duplicis eſſe reſtituendum, apud Plinium medicum lib. 3. cap. 12. ſatis intelligere poteſt, qui ipſiuſmet verba lib. 4. cap. 16. & Plinij maioris lib. 10. cap. 6. conferre, & expendere voluerit. A ficubus ad carnes venio. Nam quis fuerit carnem in mythico puluere coquendi modus à Varrone apud Nonium indicatus, à nemine notatum obſeruaui, ob idque errorem aliquem ſubeſſe ſuſpicatus, ita forte legendum eſſe putaui, *Neque in puluere Libyco coquam carnes, quibus ſatullem corpora, ac famem ventris.* Etenim memoriae proditum eſt, pleriſque in Libyae locis incolas in arenis ſolis calore pene feruentibus carnes, quibus veſcantur, antiquis & noſtris temporibus coquere conſueuiſſe, perinde ac alibi in cinere ad ignem coquuntur. Adijciam his locum Plutarchi de Salitis carnibus, qui in Quaeſtion. natural. probare nititur, ſal, & ſalſa ad pinguefacienda corpora maximè valere. Cui ſententiae non facile accedo: quandoquidem extenuandi potiùs, quàm craſſefaciendi facultatem ineſſe ſali compertum eſt: niſi corpora nimia humiditate luxuriantia, & veluti conſtipata, contabeſcant. Sic enim exiſtimandttm eſt Apollonium Herophili diſcipulum in ijs, quos craſſefacere volebat, halicam, & dulcia reſpuiſſe, ſalſis autem eſse vſum, vt ſiccantia, tenuitateque aperientia alimentum ad partes nutriendas perferrent. nam ὄχημα potiùs quàm τρίχωμα eo in loco Plutarchi legendum eſſe, rationi conſentaneum videtur.

Quo morbo Pherecydes Syrus obierit. An cor vratur eorum qui cardiaca, & veneno interierunt. CAP. VI.

PHerecydi Syro Pythagorae praeceptori multa admiratione digna contigiſſe ſcriptum eſt. Etenim abſque vllo magiſtro omnem philoſophandi rationem ſibi comparauit: cumque ceteri carminibus rerũ naturas ſcriberẽt, ipſe primus, vt docet Apuleius, ſoluta oratione vti coepit. Sed de mortis eius genere cõtrouerſum eſt. Nã pediculari morbo ipſum interijſſe memoriae prodiderunt Ariſtoteles. 5. de Hiſt. animaliũ cap. 31. Plutarchus in Sylla, Serenus medicus, Aelianus lib. 4. de Varia hiſt. cap. 28. Ceterum Plinius lib. 7. cap. 51. nõ pediculis, ſed copia ſerpẽtium ex illius corpore erumpẽte Pherecydẽ expiraſſe tradit. quod ſimiliter ſcripſit Apuleius 2. Floridorũ. In hac controuerſia fuerunt, qui putarunt, apud Plinium alium eſſe morbum, quo interijt Pherecydes, alium pedicularem: eo magis, quòd ipſemet lib. 11. cap. 33. Alcmanem poetam, & Syllam dictatorem, pediculis obijſſe dicit: vt etiã Ariſt. Plutarchus, & alij teſtati ſunt. Ego verò ſum huius ſententiae, Plinium & Apuleium pro ſerpentibus, quibus perhibẽt eſſe extinctũ Pherecydem, nil aliud intellexiſſe, quàm pediculos: & fortaſſe aemulati ſunt hac in re Diodorũ Siculum, qui lib. 3. ca. 3. de Acridophagorum morbo ſermonẽ habens, modò φθεῖρας appellat modo ἑρπητὰ. Vbi etiam cum eam gentem quãdoque magna ſcorpionum copia infeſtatam ſcribat, ad memoriã reuocat Galeni & Theophraſti contradictionem, quorum hic 4. de Cauſſis plant. 10. hominem à ſcorpione ictum non interire, ille verò interire tradit: niſi dicatur, Theophraſtum eſſe loquutũ de Italicis ſcorpionibus, ac alijs quibuſdam, quos innocuos eſſe affirmat Plinius. Ceterùm pedicularem morbum in corde fieri, vt Aegyptios, qui mortuorũ corpora, valetudinum cauſſas cognoſcendi gratia, diligenter perſcrutabantur, inueniſſe teſtatur ille Plinius medicus lib. 4. cap. 1. omninò fabuloſum puto: quum neque humores prauos, nedum animalia noxia cordi appropinquare natura patiatur, vt Ariſt. in lib. de partib. animal. ſcribit. Vtrùm autem verum ſit quod tanquam populare & vulgatum narrat Plinius lib. 11. cap. 37. cor morbo cardiaco interemptorum non vri, ſicuti nec veneno ſublatorum: haud certus ſum: quia cum cor nullum magnum affectũ ſuſtineat, ſecundùm Ariſto-

Ariſtotelem & medicos neceſſariū plane eſt, ſi incombuſtibile reddi debet, id ob aliquam inſignem affectionem pati. Praetereà venena, vt quàm plurimorum generum ſunt, ſic varijs modis necem inferunt: ob idque minimè veritati conſonum eſt, cor à quolibet veneno flammis reſiſtendi facultatem acquirere, fruſtraque diſputatum fuit, an Germanicus obierit cardiaco morbo, an veneno, quòd cor eius vri non potuerit.

Antipherontis caſus ex Ariſtot. examinatus, Plinij locus de Peſte correctus, & expenſus, Locus Celſi emendatus. C A P. VII.

PRoponam hoc in loco eruditis philoſophis Ariſtot. locum, nondum quod ego ſciam, ita diſcuſſum, vt diligenter conſiderent, num ſententia noſtra rationi magis conſentanea ſit. Is enim lib. 3. Meteorol. narrat cuiuſdam hiſtoriam, qui ſemper antè ſe propriam imaginem ex aduerſo intuentem cernebat. cuius euentus cauſſam reddens, eam fuiſſe inquit, quòd cùm hebetem videndi aciem haberet, radij viſuales minus longe permeare poterant, ſed ſtatim ab ipſo aere reflexi, illam reddebant imaginem. quod pariter confirmauit Seneca lib. 1. Quaeſt. nat. cap. 3. Atqui huiuſmodi ratio valde infirma mihi videtur, quoniam infiniti propè ſunt, qui videndi imbecillitate cuiuſlibet gradus laborant, neque tamen ſimile quicquam ipſis contingit. Praeterea imagines in aere repraeſentatae cum ſint tenues, ſolum ab acuto viſu diſcerni poſſe videntur: propterea id lupo ceruario perſpicaciſſimo animali tribuunt, vt expreſſas in aere imagines diſcernat: accedit his aerem continuò agitari, ob quod neceſſarium eſt, vt imagines diſcindantur, ac propterea conſpici etiam ab oculatiſſimo nequeant. Itaque hunc euentum illius potiùs ad corruptae imaginationis vitium ego ſanè retulerim: ſi quidē ſcribit Gale. 1. de Sympt. cauſſis, cap. 2. aliquibus interdum humores ante oculos apparere, quos qui habent, idolum quoddam ſe videre in aere imaginantur: atque id cùm dicat euenire vt plurimū à ſomno ſurgentibus, pueris, atque ebrijs, monſtrat etiam vigilātibus ac ſobrijs euenire poſſe, ſed quàm rariſſimè, vt huic etiā caſus raritas conſentiat. Haec ſententia eo magis cōfirmatur, quòd ſi Antipheron fuit ille, vt putarunt Alexander,

xander, & Olympiodorus, cuius meminit Ariſt. lib. de Memoria & remin. (ſiue fuerit Oritanus, ſiue Tarentinus) is profectò corruptae imaginationis erat, vt potuerit, inſtar ebriorum, idolum propriũ in aere ſe videre imaginari. Sextus Empiricus lib. 1. Hypot. c. 14. Ariſtotelem ait cuiuſdam Thaſij meminiſſe, qui hominis imaginẽ perpetuò ſeipſum antecedere dicebat. Num autem is fuerit, de quo ſuprà locutus ſum, etſi compertum nõ ſit, puto tamen eundem fuiſſe: vt ſimul hoc teſtimonio conuincar, in 3. Meteorol. intelligendũ eſſe, virum nõ propriam, ſed aliam quampiam imaginẽ aſpicere conſueuiſſe. Hic inuitor, vt Cor. Celſi locũ expendam, qui lib. 7. de oculorum ſuffuſionibus agens, eas dicit eſse incurabiles, quarum color eſt caeruleus: cùm Paulus Aegineta has curabiles omnino faciat, & iure. Quare loco, Caeruleus, potiùs legẽdum erit, Cereus: eo magis, quòd haec oratio, Si ſuffuſioni color caeruleus eſt, aut auri ſimilis, minimè accõmodata videtur, quòd inter caeruleum & aureum colorem nulla propè ſit ſimilitudo, vt maxima eſt inter cereum, & aureum, tantummodo maiore & minore differentes gradu. Neque verò quicquam obſtat, quòd hoc nomẽ Cereus quàm rariſſimè apud Latinae linguae auctores colorem ſignificare inueniatur: quia etiam Celſus aliquibus vſus eſt, quae rara erant. quanquam interdũ quoque colorem huiuſmodi nomine ſignificari obſeruatũ eſt, quemadmodum apud Martialem hoc diſticho:

Cerea quae patulo luceat ficedula lumbo.

Cum tibi fortè datur, ſi ſapis, adde piper.

vbi miror, cur Grammatici nonnulli pro Cereo intelligant Pinguẽ: cùm vnicuique res intimiùs conſideranti perſpicuum eſſe poſſit, ad colorem, non ad pinguedinem eam vocem eſſe referendam. Accius apud Sipontinum ſic vocat ficedulas cereas à calore. Virgil. in Buc.

— addam cerea pruna.

quo in loco cerea ad colorem, non ad mollitiem, referri, facit vt credam auctor carminis in Priapum, qui ſcribit:

Magiſque cera luteum noua prunum.

Sed dimiſſis oculis, alteram Plinij non inutilem emẽdationem proponam: apud quem lib. 7. in fine cap. 50. haec ſcripta inueniuntur: *Qua in re obſeruatum, à meridianis partibus ad occaſum ſolis peſtilentiã ſemper ire, nec vmquam fere aliter, niſi hieme, nec vt ternos excedat menſes.* In quibus verbis tria dicuntur, quae minimè experientia cõprobantur. Vnum eſt, ſemper peſtem incipere à meridionali plaga: Alterum, ſolùm hieme fieri: Tertium, ſolùm tres mẽſes durare. Nam vt alia praeteream, quis neſcit, peſtem vere & autumno potiùs graſ-

ſari, hieme, quando omnes deſinunt putredines, minui & aboleri? Quis praetereà ignorat, ſaepe annos plurimos ita peſtē continuaſse: vt integra regna extinxerit? immò verò Gal. quoties conqueratur, peſtem ſuo tēpore graſsatam adeò perduraſse, omnes facilè ex eius monumentis intelligunt. Quamobrē apud Plinium non Meridianis, puto legendum: ſed, In meridianis. quemadmodum & aliqui manuſcripti, & etiā nonnulli antiqui typis excuſi codices habent. Sic enim rationi conſonum eſt, in meridionalibus hieme, quando apud ipſas tepor eſt, putredinis parens, fieri peſtem: quae deinde ab immenſis aeſtibus ita citò extinguatur, vt tres menſes, quibus ſolis hiemalis quaedam conſtitutio eſt, non pertranſeat.

In Vitulo marino quaedam notata. De piſce Empiro & Thynno. Locus Lucilij emendatus. CAP. VIII.

DE vitulo marino plurima narrant ſcriptores, quae iure omnibus admirationem pariunt. Inter cetera illud primum eſt, quod D. Baſilius ſeptima in Hexameron homelia memoriae tradidit, eum catulos proprios aliqua re perterritos, & fugientes in vterum ſuum rurſum recipere. Quod quidem notatum ab alijs hactenus non animaduerti: referunt tamen, qui Indiarum deſcriptionem nobis reliquerūt, animal quoddam in Hiſpania noua reperiri, burſam quandam exteriùs in ventre habēs, vbi foetus ſecum fugiētes, ne pereant, vel rapiantur, magna cura abſcōdit. Plutarchus autem in libello de amore erga prolem, muſtellas marinas narrat viuum intra ſe partum edere, quē exire foras ad paſcēdum permittunt, mox dormiturum intra viſcera denuo recipiunt. Puerum iam natum in vterum reuertiſse, quo tempore Saguntum ab Annibale deletum eſt, inter exēpla prodigiorum memorat Plin. lib. 7. cap. 3. Alterum verò eſt, quod ſcribūt Ariſt. Plinius, Aelianus, atque alij vſqueadeò homini inuidum animal eſse phocam, vt capta euomat proprium coagulum, ne poſſit ad epilepſiam curandā (cōtra quam putatur mirificè valere: etſi Cael. Aurelianus id auxilij damnet) in vſu haberi. quamquam hac in re non paruam auctorū varietatem inſpicere licet. Etenim Aelianus lib. 3. cap. 19. in hunc modum ſcribit; φώκη δὲ, ὡς ἀκούω, τὴν πιτύαν τὴν ἑαυτῆς ἐξεμεῖ, ἵνα μὴ τοῖς ἐπιλήπτοισιν ᾖ ἰᾶσθαι. id eſt. *Vitulus marinus (vt audio) proprium coagulum exorbet, ne id epilepticis ſit auxilio.* Plutarchus verò 7. Symp. 3.

ὅτι καὶ καταπίνουσα φώκη τὴν πιτίην ἀναλίσκουμένη. quo in loco, malè à Cruſerio intellecto, non πίτκω, ſed πιτύαν legēdum eſſe, ex Aeliano facile conuincitur; vt ex his duobus grauiſſimis ſcriptoribus colligatur, phocam ſuū coagulum, dū ſe videt captā, deglutire. Ceterùm coagulum cùm in vētriculo animalium fiat, atque ibi maneat, quomodo deuorari poſſit, nequaquam video. Vnde meliùs cenſuit Plinius, qui vitulum marinū non deuorare, ſed euomere coagulum ſuū perhibet. Nec obijciendum eſt, dum vomitur coagulum, non negari hominibus, ſed potiùs offerri: quoniam coagulum terreſtriū animalium ſicut ſolum efficax eſt, quando nō mutatum cum ventriculo ex animali capitur, ſic vbi extra ſolum eijcitur virtutem omnem proculdubio amittit. Et quia de piſcibus ſermo eſt, adnectam huic nonnulla alia minime vulgaria. Gregorius Nazianzenus in ijs carminibus, in quibus praecepta dedit Virginibus, cuiuſdam piſcis mentionem facit, quem ἔμπυρον vocari monſtrat, hiſce verſibus.

Ἰχθὺς δ᾽ ἔμπυρός ἐστι, καὶ οὐ πυρὶ δάμναται ἀπίστῳ
Ἔμπυρος, αἰθόμενος διὰ μέσσης διαλάμπεται ἅλμης.

Eiuſdem meminiſſe videtur Laertius in fine vitae Empedoclis, vbi eius ſententiam de animarum tranſmigratione proponens, ſic loquentem facit:

Ἤδη γάρ ποτ᾽ ἐγὼ γενόμην κοῦρός τε, κόρη τε,
Θάμνος τ᾽, οἰνός τε, καὶ ἐξ ἁλὸς ἔμπυρος ἰχθύς.

Quamquam D. Baſilius 8. Homelia in Hexameron huiuſmodi ſententiam innuens, non ἔμπυρος, ſed ἐνάλιος legiſſe videtur. Ceterum quis ſit piſcis ἔμπυρος, nondum vidi quicquam certi conſtitutum: alijs interpretantibus aſſarum, alijs igneas rubrasque maculas habētem, propter quas apud Athenaeum in 8. piſces nonnulli fluuiatiles ἐμπυροῦντες dicuntur: alijs verba ad Salamandram, de qua in antecedenti ſermone loquitur, referētibus. Ego verò alias exiſtimaui, hunc piſcē eſſe Stellā vocatā: de qua Ariſt. 5. de Hiſto. animal. 15. & Ariſt. ſequuti Plutarchus, Plinius, Albertus Magnus, ſcribunt, eſſe adeò feruidā, vt quaecunque tangat, vel voret, ſtatim adurat. Sed cū Gregorius ſcribat, empyrum minimè igne domari, & accēſum in medio mari lucere. nō admodū certus ſum, cui ſentētiae inhaeream. Quaerēt ſtudioſi, an textus Gregorij ſit corruptus, an vere vllus talis inueniatur piſcis. Thynni abdomina ſalita, quae Graeci ὠμοτάριχον vocāt, in delicijs fuiſſe apud veteres, ſicut nec hodie contemnuntur, ex hiſce verbis Lucillij à Nonio, & Gellio citatis facilè colligitur.

Ad coenam adducam, & primùm hiſce abdomina Thynni
Aduenientibus prima dabo, cephaleamque carnem.

vbi piſces etiam antiquitus Carnes vocatos eſſe apparet. Et quoniam Lucillij meminimus, eius locum, vt reſtitui debeat, indicare placet. Sic legitur apud Nonium:

Audiui quem febris vna, atque vna ἀπεψία
Vini inquam hauſtus vnus potuit tollere.

qui verſus poſtremus procul dubio mendoſus cùm ſit, iurarem ſic reſtituendum eſſe;

Vini non quem (nunquam) *hauſtus* (cyathus) *vnus potuit tollere.*

Veteres enim, quemadmodum etiam hodie populariter fit, Hauſtum vocabant potum vna vice factum: vnde hauſtum facere erat potare, vt adnotauit Sipontinus, & Ouidius 3. Faſt. inquit, Exiguis hauſtibus bibere.

Locus Ariſt. & Plinij de Pilis palpebrarum expenſus. Locus Clementis Alex. ex Athenaeo reſtitutus. Locus Hippocratis de Veſte Dorica. CAP. VIII.

SCribit Ariſt. 3. de Hiſt. animal. c. 11. iis, qui nimia vtuntur venere, pilos à palpebris defluere: quod item confirmatum inuenitur apud Plinium lib. 11. cap. 37. vt hac ratione non ſit adeò mirum, in Gallica lue correptis, palpebras depilari, quippe qui plerunque libidinoſi, & veneris nimis dediti ſint. Sed quid ibidem haec verba Plinij ſignificet ignoro, Mulieribus verò etiam infectae quotidiano. niſi vel vox, Quotidiano, mendoſa ſit, vel alia deſit, ſcilicet Pigmento, aut quid ſimile. Etenim mulieres etiam antiquiſſimis temporibus, quemadmodum noſtris, genas depingere conſueuiſſe, nemo dubitat: ſed prae ceteris id abunde teſtatum facit Clemens Alexand. 3. Paedagogi lib. cap. 2. vbi muliebrem in fucandis vultibus vanitatem deteſtans, quoſdam Alexidis poetae verſus inducit, qui ſimiliter apud Athenaeum lib. 13. ſed paullo diuerſi leguntur. Inter quos tres hi ſunt.

Τὰς ὀφρῦς πυῤῥὰς ἔχει τις, ζωγραφοῦσιν ἀσβόλῳ·
Συμβέβηκε εἶναι μέλαιναν, κατέπλασε ψιμμυθίῳ;
Λευκόχρως λίαν τις ἐστὶ; πιτυέρον δ' ἐντρίβεται.

Quae poſtrema verba cùm ſint corrupta, interpreti Latino multa falſa commiſcendi occaſionem dederunt. Quare corrigenda ſunt: quemadmodum apud Athenaeum leguntur; παιδέρωτ' ἐντρίβεται.

Erat

Erat παιδέρως vnguenti genus quo mulieres immodicum vultus candorem minuebant; ſic, vt puto, appellatum, quòd huiuſcemodi ementitus color pueros & amantes delectaret, vel potius quòd cõponeretur ex ea herba, quae παιδέρως vocatur: quãquam Pauſanias perhibet, Sicyone in vno tãtùm Veneris ſepto naſci. Eſt locus Hippo. in lib. de Natura pueri, vbi res humidas compreſſas incaleſcere, atque interdum vri docens, exemplo Doricarum veſtium confirmare nititur: nempe quas compreſſas, perinde ac ab igne conflagraſſent, interdum ſe vidiſſe teſtatur. Cornarius qui legit δορικὰ Pelliceas veſtes tranſtulit, Gorraeus verò ſimpliciter Veſtes Doricas; Ego autem cùm huiuſmodi vocem à nemine adhuc vſurpatam inuenerim, legendum puto, δερμικὰ magiſque Gorraeo accedo; quia Doricarum veſtium mentionem facit Herodotus lib. 5. quas forte ex materia facile combuſti bili contextas fuiſſe fieri poteſt: quãdo praeſertim pelliceas non adeò facilè vri experientia cõprobat. illud huic loco placet adnectere, non facilè haberi ex ſcriptoribus, veteres vllos eſſe pellibus ita lanatis & concinnatis vſos ad depellendum frigus, quemadmodum hodie apud omnes eſt in vſu, ſcio antiquiſſimis temporibus pleraſque gentes pellibus, & pro indumentis, & pro ſtratis eſſe vſas, ſed omni tempore, nec ſolùm ad arcendum frigus, vt nouiſſimis temporibus.

Qui morbi ſint Oſcedo, Corcus. C A P. X.

AVlus Gellius Noctium Atticarum lib. 5. cap. vlt. quendam narrat in iure ſtantem, clarè nimis atque ſonorè oſcitauiſſe; ob quod propè fuit, vt plecteretur, tanquam illud indicium vagi animi foret, & hallucinantis, & fluxae, atque aſperae ſecuritatis. Sed cùm ille deieraſſet, inuitiſſimum ſeſe, ac repugnantem oſcitatione victum, tenerique eo vitio, quod Oſcedo appellatur, tum notae iam deſtinatae exceptum eſſe. Ex quibus Gellij verbis colligitur, oſcedinem nil aliud afferre mali, niſi inuitas oſcitationes. Iſidorus autem lib. 4. Etymolog. cap. 8. de eodem vitio ſermonẽ habens, hunc in modum illud definiuit; *Oſcedo eſt, qua infantium ora vlcerantur, dicta ex languore oſcitantium*. Vnde ſecundum hunc ſcriptorem oſcedo idem eſt, quod apud Graecos medicos Aphtha, apud Arabas Alcola, apud Aretaeum Vlcera Syriaca & Aegyptia, ſic vocata, quòd in ijs regionibus magnus eiuſmodi

vlcerum prouentus ſit, quae cùm oris internas partes penè vrant, & depaſcantur, os crebrò aperiri, & oſcitantes emulari faciunt. Ego verò oſcedinem vitium oris aliud puto extitiſſe: & forſan id quod Plinius lib. 25. cap. 3. Stomacacem, quaſi dicas, oris vitium à medicis Graeco nomine vocatum tradit: nam herbam Britannicam, quam ait illi morbo auxiliatam eſſe, ad oſcedinem ſimiliter curandam fuiſſe commendatam teſtati ſunt Apuleius, & Marcellus Empiricus cap. 11. vbi eum manifeſtè oſcedinem ab aphthis ſeparaſſe cognoſcitur. Accedit & Quinti Sereni auctoritas, qui inter dentiū & oris vitia oſcedinem connumerat, tanquam morbus eſset, qui os depaſcens, tandem dentes decidere faceret, vnde forſan oſcedinis, quaſi os edentis nomen emanaſse, ſi exiſtimet quis, non errabit. Vtcunque ſit, oſcedo minimè vitiū eſse poteſt, quo homines tantummodo frequenter oſcitare cogantur: quandoquidem Hippo. de hoc ſermonem habens lib. 2. & 6. Epid. com. 2. tex. 10. dicebat, *συνεχέων χασμέων ἰητήριον μακρόπνους*, id eſt, *Frequentium oſcitationum longa ſpiratio eſt remedium*. quem locum dum exponeret: Galenus 3. de Diff. reſp. 10. eodem pacto ſcripſit, Sanari à retento ſpiritu oſcitationem, quo ſingultum. immo verò idem Hippoc. 7. Apho. 52. oſcitationem etiam vino aequaliter aquae permixto finiri docuit. Vt ob haec omnia minimè debuerint medici in multis conquirendis auxiliorum generibus adeò eſse ſolliciti, ſi oſcedo, ita leue malum fuiſſet. Neque pariter opinandum eſt, eum à Gellio nominatum tam ſaeuo morbo laboraſse, qualis ab alijs ſtatuitur oſcedo: alioqui in iure ſtare & reſpondere quomodo potuiſset, non video. Quamobrē apud Gellium forſan praeſtabit, Oſcitatio, & non Oſcedo legere: vt vitium illud fuerit, quod ab Hippoc. ſub crebris oſcitationibus loco citato comprehenſum eſt: non cuius Iſidorus, aut alij meminerunt. Hactenus de Oſcedine. Ceterùm Marcellus Empiricus ſui libri cap. 21. morbum quendam nominat, quem hactenus apud neminem alium inuenire mihi licuit, & eſt Corcus: cuius remedia nulla alia proponit, niſi meras incantationes. vt hinc conijciam, nomen illud magicum potiùs, quàm medicum eſse. Veruntamen ſi quis coniecturae locus eſse poteſt, cùm inter praecordiorū vitia à Marcello recenſeatur, quis forſan exiſtimare poſset, morbum aliquem praecordiorum extitiſse: eo magis quòd Plinius lib. 20. cap. 15. & 32. herbae cuiuſdam mentionem facit, quam Corchorum eſse vocatam, & praecordijs auxiliari docet.

Quis ſit morbus qui inſputatur. quis Sonticus. an Colicus morbus Hippocrati notus fuerit. Quis canis morbus apud Gal. C A P. X I.

MOrbus, qui inſputatur, à Plauto in Captiuis omnium primo ſic appellatus, quis eſſet apud veteres, in controuerſiam poſuerunt eruditiſſimi viri: & extiterunt, qui Herpetem miliarem aliàs Volaticam nuncupatam, fuiſſe conſtituerent, ea ratione adducti, quòd huiuſmodi genus vlcerum non modò contagioſum ſit, quale ſuum facit Plautus, verumetiam à vulgaribus atque medicis frequentiſſimè ſputo curetur. Veruntamen horum ſententiam ſatis Plinij auctoritas refellere videtur, qui libro decimo capite 23. & lib. 28. capite tertio, diſertiſſimis verbis monſtrat, epilepſiam eam fuiſſe morbum, qui inſputabatur. Sed incertum eſt adhuc, quis fuerit inſputandi modus, cùm à nemine ita explicatum inueniatur, quin ſemper dubitandi relinquatur occaſio. At ſum ego eius ſententiae, id feciſſe priſcos hac in re, quod faciunt hodie in pleriſque regionibus, vt vbi epilepticus vel occurrit, vel morbus nominatur, ſputum emittatur, tanquam huiuſcemodi conſpuitio ad auertendam à ſeſe morbi perniciem conferat. Neque vero ſimile videtur, vel in aegrotantis faciem, vel alio pacto aduerſus ipſum conſpuitionem faciendi conſuetudinem extitiſſe. Epilepſiam eſſe morbum ſonticum apud veteres, vt credam facit in primis auctoritas Plinij. qui lib. 36. cap. 19. verba transferens Dioſcoridis, de lapide Gagate, vbi hic habet epilepſiam, ille tranſtulit ſonticum morbum. Adhaec gloſſario habetur ſonticus morbus ἱερὰ νόσος. praetereà in lege 12. Tabu. vetabatur, ne quis in ius vocatus excuſaret morbum vllum, praeter ſonticum, nam qui decumbebant ob grauem morbum, ſanè citra legem erant excuſati, ſed qui leuiter aegrotabant, ij omnes vocati, neceſſe erat vt adeſſent, praeterea laborantes morbo comitiali, quòd & in foro, & in comitijs infauſtum haberetur, ſi quando epilepticus in morbum incidiſſet, neque verò Feſtum improbo, apud quem Aelius ſtilo ait ſonticum morbum in 12. Tabu. ſignificare certum cum iuſta cauſſa, neque Gellium, qui lib. vltimo cap. 1. ſcribit, legumlatores pro morbo ſontico intellexiſſe quemcunque vehementiorem vim grauiter no-

cendi habentem, nam Iulianus lib. 42. Dig. de re iud. id clarè definiuit, vbi ſonticum morbum eſſe exiſtimat, qui rei agendae impedimento ſit, quòd ſimiliter ſcriptis mandatum eſt à Venuleio lib. 21. Dig. De edic. edicto in fine. Cur porrò Hera, vt eſt apud Laertiũ aeſtimationem vocarit ſacrum morbum, non ſatis intelligo. Sed forſan haec erant vocabula populi, vt illud de quo Galenus primo Progn. 22. vbi frequentem oculorum nictationem naturalem, *ἴσως* vocari ſcribit, quod tamen à nullo alio proditum habetur, etſi etiam in antiqua eius libri interpretatione ea verba deſiderentur. Ab epilepſia ad Colicum dolorem tranſeo: quem nec ab Hippoc. nec ante Cornel. Celſum ab vllo alio veterum medicinae ſcriptorum nominatum habemus: immo Plinius lib. 36. cap. 1. auctor eſt. Tiberiũ Imperatorem omnium primum id genus morbi eſſe expertum. Vnde mirantur complures, quomodo Hippocratem vel vulgatiſſimus morbus latere, vel frequentiſſimus eius aetate non eſſe potuerit. Res autem mea ſententia ita ſeſe habet, morbum quidem colicum & fuiſſe & innotuiſſe antiquitùs, ſed Ilei nomine eſſe vocatum. Omnia enim inteſtinorum atque ventris tormina vno ferè Ilei vocabulo ſignificata apud antiquos medicos intelligunt, qui in ipſorum monumentis voluendis diligenter ſunt verſati, Facit autem comprobatam magis hanc noſtram ſententiam grauiſſimi ſcriptoris Cornelij Celſi auctoritas, qui lib. 4. cap. 13. ita ſcribit. *Diocles Caryſtius tenuioris inteſtini morbum χόρδαψον, plenioris εἰλεὸν nominauit. A pleriſque nunc video priorem illum εἰλεὸν, hunc κωλικὸν, nominari.* Sic Marcellus cap. 29. Ileum vel colum. Sed & illud multò magis dubium videtur, nempe in quo morbi genere contineatur Canis morbus à Galeno vocatus. Is enim. 2. de Diff. pulſ. lib. cap. 3. varias Canis nominis ſignificationes proponens, inter aetera ait, quandoque morbum in facie ſignificare. Scio apud Heſychium, Fauorinum, & alios, morbi canis vocati mentionem haberi: at quis ſit, à nemine adhuc explicatum inueni, niſi *κυνικὸν σπασμὸν* qui eſt oris tortura ab alijs, intellectum exiſtimemus, quaſi ſimul & Canis nominaretur.

Locus

Locus Plinij emendatus. Locus Plutarchi explicatus. Quid ſit Coloſtrum. CAP. XII.

QVi Plinij codices fuiſſe valde deprauatos negant, ij profectò aut non legiſſe, aut ſaltem ſeſe non guſtaſſe eum auctorem oſtendunt: vſque adeò aperta, atque nullo auctore digna errata ſaepe in ipſis commentarijs reperiuntur, quale eſt quod lib. 2. cap. 27. in fine ſub his verbis habetur: *Aues nec venas nec arterias habent*. Quam ſententiam abſurdiſſimã eſſe, vt facile eſt videre, ſic Apes, & non Aues legendum eſſe quiſque vel mediocri iudicio praeditus facilè conſentiet. Et miror ſanè vſque adeò foedum, & apertum mendum tamdiu ſuſtineri potuiſſe. Scribit Plutarchus lib. de Comparatione ignis & aquae, in ſecandis cadaueribus nouacularum acies non aliam ob cauſſam hebetari, quàm propter immenſum eorum frigus. Quod etſi id efficere quandoque fatear, aliam tamen in ſe rationem ſubeſſe arbitror. Experientia enim comprobatum eſt, pepones, alioſque plurimos fructus, qui vel calidi & humidi ſunt, vel ſaltem non multum frigidi, cum cultris inciduntur, eorum aciem obtundere. quem effectum potius corpuſculis viſcidis quibuſdam adſcribendum puto, quae adhaerendo acutiem ferri remittant. Comprobatur autem hoc quoniam prout huiuſmodi corpuſcula paulatim diſſipantur & euaneſcunt, ſic cultris priſtina acies reſtituitur. Et ne ſit vlla penè inter res hoc capite tractandas ſimilitudo, addam nonnulla de Lacte. Ariſtot. iij. de Partibus animalium cap. 15. reddens cauſſam, propter quam lepus coagulum habeat, hunc in modum ſcribit: τῷ δὲ δασύποδι γίγνεται πυετία, διὰ τὸ νέμεσθαι ὀπώδη πόαν. ὁ γὰρ τοιοῦτος χυμὸς συνίστησιν ἐν τῇ κοιλίᾳ τὸ γάλα τοῖς ἐμβρύοις. Quae verba ſic tranſtulit Gaza, *Lepori coagulum ſit quoniam herbam ſucci lactei paſcatur: talis enim humor lac in ventriculo infantium ſtringit, facitque coloſtrum*. Sed mea ſententia duos errores non obſcuros commiſit Theodorus: vnum, quòd haec verba, ὀπώδη πόαν, &c. non rectè, Herbam ſucci lactei, interpretatus eſt. Nam vt alibi indicauimus, ὀπὸς tam apud Hippocratem quàm apud alios pro coagulo κατ᾽ ἐξοχὴν capitur: quo quidem pacto ab Ariſtotele capi verò ſimilius eſt, nempe qui dicat, iccirco coagulum habere leporem, quòd is herbã

coaguli effectricem paſcatur. Sed forſan Gaza Plinium etiam hac in re imitari voluit, qui eam vocem ex Graecis ſic ſaepe interpretari conſueuit. Alterum, & forſan multo maiorem, cùm addidit ea verba, Facitque coloſtrum, quae nec in Ariſtotele leguntur, nec vera ſunt. Siquidem coloſtrum, ſiue coluſtra, vt docet Nonius Marcellus, eſt lac nouum in mammillis. Lucilius lib. 8. Satyra 10.

Hiberam inſulam fomento omni colore coluſtra.

& Laberius in Virgine:

Siquidem mea coluſtra fretus terris ſtudere feciſſet ſumere aquam ex fonte.

item Plautus in Poenulo.

Meum cor, mea Coloſtra, meus molliculus caſeus.

Plinius lib. 28. cap. 9. Concipere nutrices exitioſum eſt. Hi ſunt enim infantes, qui Coloſtrati appellantur, denſato lacte in caſei ſpeciem. Eſt autem Coloſtra prima à partu ſpongioſitas lactis. Item libro 11. capite 41. Pullis earum, vbi pingue pabulum, biduo à partu maternum lac guſtaſſe lethale eſt genus mali vocatur coloſtratio. Ex quibus omnibus clariſſimum eſt, pueros vocari coloſtratos, qui aut lacte matris, quae mox peperit, aut nutricis praegnantis vtuntur: atque ob id coloſtrum ſeu coloſtram dici, aut lac nouum, aut lac mulieris vtero gerentis. At nec illud de lacte eſt ſilentio praetereundum, quandoque propter eius copiam (vt dixit Ariſtoteles loco citato) alioquin pinguis & boni, pueris contingere conuulſiones. Quod à Galeno nequaquam fuiſſe notatum, indicat Rabi Moyſes 9. Aphor. part. Cùm tamen id Lucretius non ignorauerit qui in 1. lib. de Natura, ita ſcripſit.

—hinc candens lacteus humor
Vberibus manas diſtentis, hinc noua proles
Artubus infirmis teneras laſciua per herbas
Ludit, lacte mero mentes percuſſa nouellas.

Quid

Quid ſit Ruminatio, & quomodo fiat.
CAP. XIII.

COaguli habita in ſuperiori capite mentio, eorũ animalium, quae ruminantia dicuntur, ſermonem habendi cupiditatem mihi peperit, quorũ natura à nemine, quod ſciam, eſt hactenus ita explicata, vt illius tractatio abſoluta cenſeri poſſit. cùm tamen circa ipſam multa ſint nõ minùs ſcitu, quàm admiratione digna. Ego quicquid vel longa obſeruatione didici, vel ipſe excogitaui, huic quinto libro mandaturus, ab ipſa potiſſimum voce incipiam. Quod μηρυκάζειν, vel μηρυκᾶν dicunt Graeci, Latini vocant Ruminare: quae tamen voces Graecis duo praecipuè ſignificant. vnum eſt, minutim incidere: alterum, ex alto trahere. quaſi nil aliud ſit Ruminatio, quàm cibi ex ventriculo in os attractio. Latinis porrò ruminatio à ruina, quam veteres vocabant Mammam, deducta videtur: quaſi ruminare, ſit rumare, ſeu ſugere mammas, quando, dum ruminant animalia, mammas ore tractare videntur. Seruius autem, qui ruminare nil aliud dixit, niſi mandere & reuomere, in Bucolicis à ruma, eminente gutturis parte, aut à rumine, quae ex Nonio eſt ventriculi, vbi cibus conficitur, pars; nomen deductum arbitratur; cuius ſententia nequaquam mihi improbatur: quanquam poteſt illud vocabulum ab erumnis quoque manaſſe, quando Arnobius contra Gentes lib. 7. ſcribit, erumnas eſſe prima in gurgulionibus capita, quà deijcere cibos & referre, à natura eſt ruminatoribus vitulis datum. De modo autem, quo fit ruminatio; inuenio nihil controuerſiae inter Ariſtotelem & Galenum. Cenſet enim Ariſtoteles, ruminantibus animalibus, quatuor eſſe ventriculos: nimirum ventrem, reticulum, omaſum, & abomaſum: atque cibum remanſum ex vno in alterum mitti, quouſque à poſtremo in inteſtina labatur: ita vt in primo diſponatur, in ſecundo incipiat confici, in tertio adhuc magis coquatur, in vltimo verò perfectam adipiſcatur coctionem. Verùm Galenus 6. de Ana. adminiſt. capi. 3. cibum, ait, primò ex ventriculo reuomi in os: deinde ab ore in reticulum, inde in omaſum, tandem in abomaſum mitti. Et ne quis dubitet quomodo ſecunda vice in reticulum, non autem prima, labatur, ſciendum eſt, foramen in gula eſſe ſatis anguſtum,

ſtum, quod pertingit in reticulum, & per quod cibus prima vice, cùm ſit craſſior & ſolidior, adhuc minimè tranſire poteſt: tranſit verò ſecunda vice, quando liquidus & mollis ita factus eſt, vt iam tranſire queat. Conciliare tamen licet Ariſtotelem & Galenum, ſi dicamus, illum loqui de tempore, quo inde per foramen commune ingreditur reticulum, & ſic in alios ventres abſque eo, quòd ad os redeat: Galenum verò ſermonem habere de tempore ruminationis, quod, vt dicemus, minimè perpetuum eſt. Atque hoc ſolum intelligendum eſſe de ijs ruminantibus, quae plures habent ventres. Quod ſi aliqua ſint, quae ruminent, & vnum ventrem habeant, vt narrat Ariſtoteles de Mure Pontico, & in Leuitico habetur de Lepore & Cuniculo: procul dubio cibum remanſum ad eundem ventriculum rurſus mitti oportet.

De fine ruminationis. Locus Galeni examinatus & correctus. Cur ruminantia careant dentibus ſuperioribus, & plures ventres habeant.

CAP. XIIII.

IAm vero finem, propter quem ruminationis opus à natura huiuſmodi animalibus ingenitũ fuit, certè nullum meliorem aſſignare poſſumus eo, quem Ariſtot. & alij propoſuerunt: ſcilicet vt melior fiat cibi aſperi & ſolidi praeparatio, coctioque. Etenim cùm animalia ruminantia vt plurimum careant dentibus ſuperioribus, atque cibo aſpero & arido veſcantur, fit vt ab aſperitate cibi palatus & lingua vellicentur: vnde ipſum alioqui ob inopiam dentium vix mutatum deglutientes, immittunt in ventriculum: qui etiam cum aſperitate & duritie eiuſdem cibi vehementer expungatur: expultrix vis ea punctione excitata, cibum extrudere nititur: quod cùm per foramen commune reticulo non concedatur facere, quia cibus tunc craſſior adhuc eſt, quàm vt poſſit illac tranſire, in os retrudit, vbi iterum & melius praeparatus in reticulum ſtatim mittitur. Ad quòd faciliùs obtinendum, dicit Petrus Apponenſis 10. proble. 43. magnopere auxiliari villos in gula exiſtentes duplices, magis longos quàm latos: auxiliatur etiam & ſitus: quandoquidem vt Ariſtoteles quarto de Hiſto. Animal. vlti.

& Plinius libro decimo cap. 13. potiùs iacentia ruminant, quàm ſtātia: eò quòd dum iacent ventriculus comprimitur a terra, compreſſus verò faciliùs idem in os repellit, ſicuti videmus vomentes facilè id agerè, ſi manu ventriculum comprimant. Itaque ruminatio videtur omnino huic inſeruire, vt cibus & melius praeparetur & coquatur, alioqui & ſuàpte natura, & ob inopiam dentium coctu difficilis. Ex quo etiam colligitur, quod ſcribit Ariſtoteles 3. de Part. animal. 14. & D. Baſilius in Hexameron homilia. 9. id verum eſſe: nimirùm hiſce animalibus datos eſſe plures ventres, quia carebant dētibus ſuperioribus, ob cornua ad tutelam ipſis neceſſaria. Neque Galenum ſatis mirari poſſum 6. de Anat. adminiſt. 3. ſcribentem, animalia huiuſmodi habere plures ventres, & non indigere ſuperioribus dentibus, quòd vtantur cibo duro & ſpinoſo. Nam licet Ariſtoteles ſcribat de camelo, eum non eguiſſe dentibus ſuperioribus, quia plures ventres habuit, non tamen dicit, quia vtitur cibo duro, propter quem erant potiùs parandi multi quàm pauci. Niſi dicamus Galeni contextum eſſe apud Graecos & Latinos deprauatum, ac legendum ita eſſe: ἀλλ' οὐ διότι κεράσφορα, διὰ τοῦτο πλείονας ἔχει γαστέρας, ἢ μηρυκάζει, ἀλλὰ τῷ φρυγανώδη ἐσθίειν τροφὴν, καὶ δεῖσθαι τῶν ἄνωθεν ὀδόντων. id eſt: *Sed non quia cornua gerunt, ideò plures ventres habent vel ruminant. At quia cibo aſpero duroq́ veſcuntur, ac ſuperioribus dentibus carent.* Igitur ſic res ſe habet: his animalibus propter tutelam neceſſaria fuiſſe cornua, in cornibus autem fabricandis materiam terreſtrem totam ferè conſumptam nequaquam ſuffeciſſe dentibus ſuperioribus faciendis: & quia cibus durus eis conueniebat ratione complexionis ipſorum, qui propter dentium inopiam, & exiguam praeparationem, difficulter concoquendus erat, coacta eſt natura plures ventres pro dentibus elargiri. Camelus verò, qui & ipſe plurimo cibo duro eadē ratione veſci debebat, haudquaquam, ſi omnes dentes & ventrem habuiſſet, eum probè conficere potuiſſet, ob naturae frigiditatem. Vnde melius fuit, vt haberet quatuor ventres, & materia dentium ſuperiorum in palato & lingua duris efficiendis conſumeretur. Porrò omnia his dentibus priuata animalia duro eſſe palato, vt exiſtimat Auerroes, equidem non puto: nimirum cùm in cornigeris materia in cornibus fabricandis ita conſumpta ſit, vt non ſemper palato & linguae durandis ſufficere queat. Atqui ſi quaeratur, Cur potius facti ſint quatuor, non autem plures neque pauciores, Auer. in com. ad 3. de Part. animal. ca. 14. primo cauſſas reddit, ob quas plures ventres hiſce animalibus ſint dati, inquit fuiſse cauſsas, priuationem dentium, cibi duritiem, con-

coquendi imbecillitatem (quae fit aut propter caloris natiui infirmitatem, aut propter ineptitudinem inſtrumentorum coctioni deſtinatorum) longam diſtantiam,& magnam cibi ad membra nutrienda diſſimilitudinem, ita vt pluribus opus ſit tranſmutationibus. Fuiſſe verò quatuor, nec plures, paucioresve, ob eã cauſſam putat Auerroes: vt primus venter cibum inconcoctum reciperet, quod eſt velut horreum, nihilque fere in illum operaretur: alij verò tres conficerent: qui etiam tres extiterunt, quoniam ſic naturae commodum fuit. Nam tria habent duo extrema, atque medium. primus incipit cibum conficere, medius in cibum mediocriter operatur, tertius ipſum perficit.

Quae ruminent: Ariſtotelis locus expenſus.
CAPUT XV.

QVae ſint animalia ruminantia, definiſſe videtur Ariſtot. 2. de Hiſt.animal. 17.& 9. de Hiſt.vlti. quem ſequitur Galenus 6. de Anat. admini. 3. & 2. de Natura humana 6.& 1. de Artic. 28. vbi quae carent dentibus ſuperioribus, & plures habent ventres, ea omnia ruminare dixit: quae verò ſuperiores dentes habent, nec ruminare poſſe, nec multos habere ventres, excipit murem Ponticum, & piſcem quendam, qui vocatur Μήρυξ; de quo & Heſychius. Athenaeus verò, Baſilius, ac alij, inter piſces ſcarũ quoq; ruminare tradunt. Quae animalium genera veſcuntur cibo tenero, & habent vnum ventrem, ac vtrinq; dentes, minime ruminant; quãquam Auerr. perhibet (forſan ſcaurum intelligens) quoddam piſcis genus exiſtimatum eſſe ruminare, quia careat dẽtibus ſuperioribus. At circa has ſententias dubia non pauca ſuboriuntur. Vnum, quia in Leuitico ſcriptũ eſt, etiam leporem & cuniculum ruminare. Praeterea narrat Plinius lib. 11. c. 17. elephantum quatuor habere vẽtres, quem tamen nemo dixit ruminare: vt ob haec dicendum videatur: vel hos ſcriptores eſſe hallucinatos, vel Ariſtotelem & Galenũ haec ignoraſſe. Vnde praeſtabit forſan ita ſtatuere; cum eodem Ariſtotele, nempe animalia ruminantia eſſe cuncta illa, quae coagulum, dũ lactant, habent. Cur verò lepus, cuniculus & mus Ponticus ruminẽt, & vnum ſolum ventrem habeant, opinor eſſe rationem, quoniam parua ſint animalia, plures ventres habere non potuerũt. Etenim videmus

demus quaecunque habent eos,vel magna eſſe, vel ſaltem non parua. Quia verò ventrem nequaquam craſſum,ſed tenuem & pinguedinis expertem(nam leporem, & cuniculum non pingueſcere Plinius lib. 11.cap.37.dixit,& ſenſus confirmat)habuerunt, ideo cibū alioqui mollem non facilè ſuſtinent,praeſertim quãdo multus ſumitur, nec dentibus bene praeparatur, ſed ſtatim ob timorem deglutitur: ob quod ventriculus oneratus,cibum illum remittit in os;vbi rurſus eatenus praeparatur, quatenus à ventriculo facilè confici queat. Immo vt in diſſectionibus videmus,cùm natura lepori & cuniculo ventriculum gracilem,ac tenuiſſimis membranis cuteque tectum dediſſet,neque quatuor ventres dare potuiſſet,vt reliqua ratione haec cõpenſaret,praeter ruminationem duo fecit: primò, inteſtina gracilia ijs pro ventriculo vno parauit; deinde caecum inteſtinum, quod in alijs paruum effecerat, in his ampliſſimum atque capaciſſimum omnium effecit,quo eſſet tanquam poſtremus quidam ventriculus, vbi abſolueretur chylus,ſiquidem huiuſmodi inteſtinum ſemper materia chyloſa plenum inuenitur. Elephantus autem quòd habuerit quatuor ventres,in cauſſa eſſe potuit corporis magnitudo, & forſan paucitas dentium ſuperiorum,quos quatuor ſolùm habere, & veterum auctoritate,& experientia compertum eſt. Quanquam melius eſt fateamur,Plinium erraſſe,cùm Ariſtotelem malè intellexerit, qui 2. de hiſt.animal.cap.2. Scribit,Elephanti inteſtina adeo ſinuoſa eſſe, vt quatuor ventres habere videatur. ſicut pariter feſellit lib. 11. ca. 37. vbi dixit,ruminantia geminum ventrem habere. Verùm obijciet aliquis? Si ruminantia in concoquendo cibo laborant,ergo deberent flatus plurimos reddere,& eructare, quod tamen ab Ariſtotele 10.Probl.43.negatum eſt ea facere. Reſpondeo propter duas cauſſas in hiſce animalibus neque flatum neq; eructationem fieri. Prima eſt, quia cibo veſcuntur omnis flatus experte nimirū, duro atq; arido. Altera, quoniam in primo ventre, vt diximus ex Ariſtotele, ferè nihil cibus mutatur,vnde nec flatus poſſunt gigni: in alijs autem & ſi cibus alteretur,atque aliquis oboriatur flatus, tamen longior eſt tractus,quàm vt ad os flatus illi perueniant. Cur verò Ariſtoteles 3. de Partibus animalium dixerit,habentium vnum ventrem lac non coagulari,niſi leporis,certè ignoro: cùm Hippocrates lib.de Aere aquis & locis,& 5.de Morbis; necnon Herodotus tradat, apud Scythas equarum lacte coagulato fieri caſeum vocatum Hippacem: niſi dicamus,ipſum de ea,quae fit in ventriculo,nõ autem de artificioſa coagulatione, verba feciſſe.

Quando ruminent animalia. Error Alberti Magni. Locus Hippocratis explicatus. Cur coagulum habeant ruminantia, & cur in tertio ventre.

CAPVT XVI.

QVo tempore ruminent animalia ſic conſtituta, nemo in controuerſiam reuocauit. Clarè etenim apparet, tempore, quo lacte nutriuntur, nullũ ruminare: eo quia lac facilè coctu, praeparatum & liquidum eſt, ita vt per foramẽ cõmune cum reticulo in illud e ventre labatur. Albertus Magnus 7. de Animal. c. 4. ſentit, ruminantia poſt ſeptimum aetatis mẽſem ruminare. Sed puto hunc virum deceptum eſſe ex mala verborum Ariſtotelis intelligentia: qui cùm loco nuper citato ſcribit, ruminantia ſolùm id ſeptem anni menſibus agere, in alium ſenſum Philoſophi orationem accepit. Quamobrem dicendum eſt, poſt lactationem animalia incipere ruminationem, atque eam fieri ſeptem dũtaxat anni menſibus, & praeſertim hieme. Ratio eſt, quoniam vere & aeſtatis initio, quando herbae ſunt teneriuſculae, faciliùs praeparantur & mutantur in ventre, neq; illum vllo pacto exaſperant, aut facultatem expultricem ſtimulant: vbi verò herbae ſunt duriores & ſiccae. vt in fine aeſtatis, autumno, & potiſſimùm hieme, tum aegriùs mutantur, & propterea ventrem vellicant & perturbant, ſicque ad reuomendum facultatem expultricem concitant. Etenim dicebat Hippocrat. 1. de Art. 28. boues male agere hieme: quia non poſſunt depaſci herbas alioqui humiles, & iccirco extenuari, cruraque ipſis facile luxari, vère autem refici, & meliùs ſe habere, quando iam herbae grandiuſculae ſunt, ex quo loco elicitur, qñ herbas ſiccas mandunt atque ruminant, non belle nutriri. quod item reliquis contingere ruminantibus exiſtimandum eſt. Cõmunes, quas hactenus mihi contigit ruminantium conditiones colligere, duae ſunt. Vna eſt, coagulum cuncta habere tempore lactationis: altera, ſicca eſſe, neque adipem habere, ſed vel ſeuum, vt cornigera; vel neque ſeuum, neque adipem, vt cuniculus & lepus, quem ſcribit Plinius lib. 11. cap. 37. non pingueſcere; vel paucum, vt camelus. Cur ipſis inſit coagulum, quod nihil aliud eſt, quàm lac in caſei formam redactum, & quaſi fermentatum, nulla po

tior aſſignari poteſt ratio, quàm vel ſiccitas temperaturae, merito cuius in ventriculo ſpiſſatur lac, atq; caſeatur: vt ita dicam; vel ſiccitas atque facultas herbarum coagulantium, quibus matres, dum lactãt, veſcuntur. Scimus nanque multas eſſe herbas, vt cnicum, carduum, & alias, quibus paſtores ad lac coagulandum vtuntur. Rem autem ita ſe habere etiam Ariſtoteles teſtatus fuit, qui .9. de Hiſt. animal. vlt. ſcriptum reliquit, inter vtrinque dentata animalia leporem habere coagulum, quia veſcitur herba coagulandi vi praedita: quae vtrùm ſit Satyrion, an lactuca leporina ab Apuleio nominata, non eſt nunc diſputandi locus, eo maximè, quòd alibi huiuſmodi Ariſtot. ſententia à nobis copioſe examinata fuit. Haec igitur eſt cauſſa coaguli; qđ reperitur in ruminantibus, ſcilicet temperatura, vel facultas pabuli coagulatoria, vel vtraque. Iam verò quòd non pingueſcant lepores & cuniculi, eadem ſiccitas cauſſa dici poteſt: quemadmodum & Ariſt. 3. de Partib. animal. capite 5. ei adſcripſiſſe videtur in cornigeris ſeui generationem, quod ſcribit fieri, vbi in ſanguine multae terrae commixtum eſt, paucum aquae. Dubitabit hic iure quiſpiam, cur in habentibus plures ventres coagulum in omaſo ſolùm inueniatur. Huius rei cauſſam ſe explicuiſſe in Probl. tradit Ariſt. 9. de Hiſt. animal. vlt. Sed cùm in ijs, quae habentur, illud non reperiatur, putandum eſt, Ariſt. in Phyſicis problematibus, quae deſiderantur, à Plutarcho, Apollonio, Athenaeo, Laertioq; citatis, illud declaraſſe. Ego ſi quicquam in hac re proferre licet, dicerem, in primo ventre lac parum mutari; in ſecundo mutari quidem atq; incaleſcere; ſed non adeò, vt poſſit in caſei formam craſſeſcieri; in quarto percoqui, & ſtatim in inteſtina, inde per meſeraicas in corpus diſtribui; in tertio verò ſolùm craſſeſieri poſse, atq; ibi retineri: tum quia locus ſatis calet, & lac praeparatum iam eſt, vt facile craſſeſieri queat; tum quia ſic craſſefactum non facile per foramen abomaſo & omaſo commune in abdomẽ tranſmittitur. Quare inuenitur coagulum in omaſo, quia ibi cauſſa effectrix, nimirum calor, magis craſſefacere valet, & quia ſimul retineri poteſt: in alijs vel non aeque calor viget, vel ob lubricitatem, ſi fiat, vt in abomaſo retineri nequit. Vnde aſſentiri nunquam potui Auerroi, qui 3. de Part. anim. vlt. coagulum eſse excrementum digeſtionis tertij ventriculi, atque ob illud, tanquam veſicam propter bilem, id factum eſse contendit.

Loca Hippocratis, & Ariſtotelis de Riſu, & inſomnijs puerorum examinata.
CAP. XVII.

IN lib. de Septimeſtri & Octimeſtri partu (malè enim in duos partitus eſt, ſiue fuerit Hippoc. auctor, ſiue potius Polybus, vt ſentit Clemens Alexan. vj. Strom.) ſcriptum habetur, pueros ſtatim in lucem editos, tam uigilantes, quam dormientes, ſponte ridere, atque flere: id tamen intereſse, quòd vbi uigilant, nunquam titillati, aliòue modo excitati, niſi poſt quadrageſimum diem rideant. quaſi indicare uelit, riſum homini partim natura, partim diſciplina comparari. At Ariſt. 7. de Hiſt. animal. cap. 10. qui plurima bona ab Hipp. ijs in libris, atque alibi mutuatus, Polybum quidem interdum, Hippocratem nunquam nominat, diuerſam ſententiam ſecutus, dixit, pueros ante quadraginta dies vigilantes nec ridere, nec flere, ſed tantùm dormientes. Mea ſententia eſt pueros ut à vagitu inchoant hanc miſerijs plenam uitam, ita ſeriùs riſum auſpicari: ſiq; ſtatim à partu & dormientes & uigilantes ridere interdum uidentur, id potiùs conuulſionis cuiuſdam (quod de riſu Sardonio fertur) leuis in riſus formam labia diſtrahentis, quàm ueri riſus opus eſse. Porrò infantes nuper in lucem editos nullo pacto ſomniare, ſed plurimis poſt quartum duntaxat annum inſomnia contingere, ut putauit Ariſt. 4. de Hiſt. animal. c. 10. rationi, medicis & experientiae repugnat. Rationi quidem, quòd cùm inſomnia in phantaſia fiant, atque ſecundum hanc pueri ſaltem poſt ablactationē non minùs quàm belluae operentur, etiam inſomnia in ipſis fieri par eſt. Medicis ſimiliter huiuſmodi ſententia aduerſatur, quoniam Hippo. 3. Aphor. 24. morbos, quibus aetas infantilis ſubijcitur, recenſens, inter alios enumerat pauores in inſomnijs factos, quos Gal. ob uentriculum copia lactis indigeſti grauatum contingere monet: immo uerò Razes & Auicenna, qui Hippocr. ſententiam confirmarunt, poſt duos à natiuitate menſes ſomniare, licet non recordentur ſomniorum, tradunt. Poſtremò qui pueros vix ambulare, & loqui incipiētes obſeruant, experientia ipſa inueniunt, plurimos eorum ſaepe in ſomnis loqui, exilire, pugnis ferire, atque geſta diurna dormientes quaſi repetere, non ſecus atque adulti ſomniantes agunt. Vt ex his

omnibus perſpectiſſimum vnicuique eſſe queat, multò ante quartum annum pueris, ſecus ac Ariſtoteles ſenſit, inſomnia euenire. niſi Philoſophum maximum ita tueri placeat, quaſi puerorum in ſomnis viſa in earum actionum ordine ſtatuenda ſint, quas ipſemet Ariſtot. initio quinti lib. de gen. animal. exemplo ambulantium ſimulque dormientium, medias inter operationes vigilantium, atque inſomnia facit. vel potiùs dicamus, vt idem Ariſtoteles 7. de hiſt. animal. cap. 10. infantes quidem ſomniare, ſed ſomniorum memoriam non conſeruare, niſi ſerò, & poſt quartum vel quintum annum. Quod autem ſcribit Plinius lib. 5. cap. 8. Atlantas populos inſomnia non videre, qualia reliqui mortales, valde mihi ſuſpectum eſt: cum nullum hominum genus reperiri queat, quod brutis in animae functionibus cedat: idem verò Ariſtoteles libro x. de hiſt. animal. capite vltimo tradit, praeter hominem ſomniare quoque boues, equos, canes, pecora capras.

FINIS LIBRI QVINTI.

HIER. MERCVRIALIS

VARIARVM IN MEDICINAE Auctoribus, & alijs Lectionum.

Liber Sextus.

Καῦσος, *Cauſſa, cauſſarij. Quis morbus Cardiacus. Quis Aquaticulus.* *C A P. I.*

KΑΥΣΟΝ Καύσωμα, & Καύσωνα apud Graecos medicinae auctores eſſe ardorem, ſeu febrem ardentem nemo in controuerſia poſuit. At, quid ſit cauſſa aliquando Latinis, & qui cauſſarij, non ſatis inuenio explicatum. Mea eſt ſententia, cauſſae vocabulum interdum apud ſcriptores nihil aliud ſignificare quàm valetudinem malam, ſed non admodum grauem: Sic Plinius lib. 20. cap. 9. dixit, renum cauſſas malam eorum valetudinē. Cauſſarij verò dicũtur tum ij, qui leui qualibet de cauſſa morbos incurrunt, tum qui aliquo pacto malè habent. Seneca epiſt. 69. *ſic in animo noſtro sũt quaſi cauſſariae partes, quibus adhibenda curatio eſt.* Plin. lib. 25. c. 5. *minimè ſanguinem excreantibus; cauſſarijs vel latere vel faucibus*, Spartianus in Hadriano. *omnes (inquit) cauſſarios liberalitatibus ſubleuauit.* Marcellus quoq; Empiricus dentem cauſſarium, & oculum cauſſarium dixit, quo pacto Vegetius in cauſſa eſſe, pro malè affici vſurpauit Puto autem inde huiuſmodi appellationem acceptam eſſe, ꝙ ita affecti, habeant ſemper cauſſas, quibus ſeſe apud omnes excuſent. Atque hunc in modum loquitur. *Atq; id fecerunt, ne cauſſatio iſta aegri corporis perpetuam vacationem daret fidem detrectantibus.* Cardiacum morbum apud medicos Graecos non cordis, ſed oris ventriculi, qđ

καρδίαν

καρδίαν veteres appellant, affectum quendam eſſe, non ſolù Galenus Paullus, Aetius atq; alij docuerunt, verùmetiam Aphrodiſienſis Alexander lib. de anima 1. ca. 3. & inter Latinos Cornelius Celſus, magnae auctoritatis ſcriptor lib. 3. c. 19. Auerroes autē lib. 3. collectaneorum c. 25. cum inter cordis morbus vnà cum Syncope, & tremore cardiacem recenſeat, aliud à Graecis morbi genus intellexiſſe videtur; atq; forſan, id eſt quod Marcellus Empiricus (vt alias diximus) vocauit Corcum: Plautus Cordolium, vulgus ſuſpirium, (quāquam apud veteres aliud ſuſpirium eſse conſtat) Ceterū Latini ſcriptores an Graecis conſenſerint in Cardiaci ſignificatione valdè anceps ſum. Etenim recentiores nonnulli in id conſenſiſse videntur, vt Cardiacus Latinorum morbus, & Graecorum non differant, quaſi ſit oris vētriculi ab humoribus acribus cōmorſi affectus, inter quos eſt Lambinus in comm. ad 2. lib. ſermonum Horatij, ſat. 3. & pleriq; alij. Inductos autem hos eſse exiſtimo Celſi auctoritate lib. 3. ca. 20. vbi Cardiacum morbum languente ſtomacho fieri tradit. Ego verò apud Latinos Cardiacam aegritudinem etiam eſse Syncopen à Galeno, & alijs Cardiacam vocatam, vel καρδιωγμὸν à Gal. 4. lib. acut. 65. indicatum, animaeve defectionem, vt ſuſpicer, multis cōiecturis moueor. Primò enim perſpectum eſt vnicuique, Caelium Aurelianum ſcriptorem medicinae inter Latinos vetuſtiſſimū, lib. 2. de acutis paſs. vbi longiſſimo ſermone Cardiacam tractat, non aliam aegritudinem intelligere, quàm συγκοπὴν, ſiue λειποψυχίαν, aut potius λειποθυμίαν: tum ſi Plinij loca, vbi hoc vocabulo vtitur, examinemus, facile erit comprehendere, apud ipſum non oris ventriculi, ſed cordis morbum ſignificari: quandòquidē remedia ſiniſtrae māmae, quae eſt cordis ſecundum vulgares regio, non ſtomachi ori, in Cardiacis apponenda praecipit. Etenim lib. 20. c. 8. ait, & Cardiacis illinuntur ſuper ſiniſtram mammam ex aceto. lib. 23. c. 9. & Cardiacis in mamma ſiniſtra, lib. 24. cap. 13. Cardiacis vel ſic per ſe imponuntur à mamma ſiniſtra, item ſtomachi doloribus. Ad haec cùm in affectione oris ventriculi vinum non tutum ſit, &, vt ait Celſus, ad vinū feſtinare non oporteat, niſi neceſse ſit, dicatq. Plinius lib. 23. cap. 2. Cardiacorum morbo vnicam ſpem in vino eſse, manifeſtè videtur Syncopem ipſam deſignare ſub Cardiaco morbo, cui Syncopi ſemper vinum ex vſu eſt, ad quam reſpiciens Iuuenalis, vina generoſa Cardiacis accommodata, & neceſsaria facit his verſibus, Sat. v.

Ipſe capillato diffuſum conſule potat,
Calcatamq́ tenet bellis ſocialibus vuam.
Cardiaco nunquam cyathum miſſurus amico.

 Quae

Quae tamen in oris ventriculi affectione Cardiaca omnino(vt dixi) damnat Celſus. Praetereà M.Cicero Cardiacos cúm alijs recenſet, qui mente alienantur: Celſus verò citato loco,in Cardiaco Graecorum morbo conſtare mentem ſcribit,vt non videatur dubitandum, quin Cardiacus Latinorum morbus non ſit ſemper oris ventriculi affectus,ſed & cordis,atq; is,qui in ſyncope Cardiaca,& animi deliquium nuncupatur. Accedit hiſce,quòd ſi (vt ex Plinij auctoritate alibi diximus)eorum,qui Cardiaca intereunt, cor vri non poteſt,ſanè id inſigniter in ea aegritudine affici, & ob id à Cardiaca Graecorum,ſub qua os ventriculi offenſum eſt,non parum diſtare;Quã ſententiam(ſi licet noſtra brutorum vitijs conferre) Vegetius lib. 2.mulorum medicinae cap.4.apertiſſimè confirmat,hunc in modum ſcribens: *Cardiacus is eſt, cui cor dolet: Cardiacus autem fit, quoties ſanguinis illa corruptio ſtomachi,vel thoracis impleuerit venas, cerebrumq́; percuſſerit,cor etiam peſtiferi humoris labe conſtrinxerit, quae valetudo inducit mentis alienationem, & corporis ſudore monſtratur,ex quo diffiċillimè liberatur.* Conſpicuus magis eſt error recentiorum circa aqualiculi (de quo etiam nonnulla diximus in 1.cap.libri primi)ſignificatum, quem dicunt haud totum ventrem animalium, & praeſertim ſuum deſignare,ſed ſolùm eam partem, vbi ſordes recipiuntur. Sũt autem decepti auctoritate Theodori Gazae, qui apud Ariſtotelem lib.1.de hiſt.anim.cap.13.partem ventris infimam ἐπίσιον vocatam, aqualiculum neſcio quo ſpiritu interpretatus eſt. Aqualiculum verò eſse locum vbi conficiuntur cibi clarè demonſtrat Seneca epiſt. 91.ita ſcribens. *Receptas,inquit,in os fruges concurrens inter ſe durities dentium frangit, & quiquid excidit ad eoſdem dentes, lingua refertur, tunc verò ſalinae miſcetur,vt facilius per fauces lubricas tranſeat, cùm peruenit in ventrem,aqualiculi feruore concoquitur, tunc demum corpori accedit.* Vegetius quoque lib.j. Veterinariae,cap.40.explicantiſſimis hiſce verbis Senecae ſententiam confirmat. *Primùm venter ipſe qui aqualiculus nominatur,totius corporis obtinet dominatum,in cuius capacitate cibus potioq. miſcetur,ac per digeſtionem naturali calore decoctus,ſeparatis humoribus partem ad ſubſtantiam membrorum conuertit in ſanguinem, & partem in vrinas reſoluit, partemque ſecum trahit in ſtercora.* Rurſus ibidem: *atque in inteſtinorum partibus, quae dicuntur ab aqualiculo vſque ad collum, quod appellatur ἔντερον.* Tertullianus in libello aduerſus Phyſicos. *Deus enim tibi venter eſt, & pulmo templum, & aqualiculus altare.* Auguſtinus etiam lib. contra Secundinum Manichaeum,ca.22.Manducando eas in officina aqualiculi purgantis. Ceterum cum Marcellus Empiricus cap. 20. aquali-

culum à ſtomacho diſtinguat, fortè pro ſtomacho (quod aliàs monuimus) os ventriculi intellexit, pro aqualiculo verò eiuſdem fundum, quem pariter alios intellexiſſe non eſt rationi diſſentaneum, ſi conſideremus eos ita appellaſſe locum, vbi prae calore cibi conficiuntur, cuiuſmodi ventriculi fundum à medicis nuncupatũ eſſe nemo ignorat. Iſidorus lib. xj. orig. porci aqualiculum eſſe, atque hinc ad ventrẽ fieri tranſlationẽ docet, cui videtur fauere auctor gloſſarij hiſce verbis, κοιλία aqualicum, κοιλίδιον ἐκζιςὸν aqualiculum, vel loco dictionis aqualicum, legendum etiam eſſe aqualiculum puto.

Quid ſit ὠμόλινον *apud Hippocratem, Heſychius, Gloſſarij auctor, & Fauorinus correcti, Nonnulla de ficu ex Hippocrate, atque de eadem, et ſanguine ex Ariſtotele animaduerſa quaedam.* CAP. II.

Vocis huius ὠμόλινον, quam interpretes ferè ſemper linum crudum malè vertunt, varium apud Graecos ſcriptores fuiſſe vſum inuenio. Plutarchus in lib. περὶ ἀδολεσχίας vbi tonſoris cuiuſdam garruli meminit, ſic lineum pannum quem collo barbitonſores circunligãt appellaſſe videtur. Apud Galenum verò lib. de cõpoſ. medic. s. l. in fine cap. v. clarũ eſt nihil aliud ſignificare, quàm aſperum & rudem pannum lineum. Ceterum apud Athenaeum lib. ix. & apud Euſtathium v. lib. Odyſſ. ὠμόλινον nihil aliud ſignificare cõſtat, quàm id linei panni genus, quo veteres manus conſpurcatas & ſordidas detergebãt, quodque vt melius emundaret, ex craſſiore & aſperiore, necdum cocto, ſeu dealbato lino contextum fuiſſe rationi conſentaneum eſt, quemadmodum & id forſan intelligi poteſt lib. 2. Gal. ad Glauconem cap. vj. cùm, vt rudes, & ſordidae mappae calefactae ad fouendum in ventris doloribus vſurpẽtur, praecipit: licet aliqui interpres loco ὠμολίνου: ὠτρμολίνου ibidem legiſſe videantur: in gloſſario vetere, reperitur ita ſcriptum, linteum ὠμόλινον, & rurſus, ὠμόλινον crudarium, vbi potiùs ſudarium eſſe legendum difficile non eſt iudicare. In Heſychio verò, & in Fauorino lexicographis ὠμόλια τὰ ἄγρια ὀθόνια, vbi in vtroque ὠμόλινα legẽdum eſſe nemo nõ videt. In cap. 40. Eccleſiaſtici ὠμόλινον genus panni linei omniũ viliſſimi, quale ſaccum alias, aut apud nonnullos populos caneuacium vocatum inuenitur ſignificare. Ad Hippocratem

venio, apud quem cũ decies & quare plus minusve huiuſmodi vox vſurpata habeatur in lib. de fiſtulis, eam pro filo crudo, id eſt, nec aqua nec lixinio vnquam macerato accipi non dubito, quem deinde imitatus eſt Paullus lib. vj. ca. v. & ante ipſum Cornelius Celſus, vbi de fiſtulis tractat. Verùm lib. 2. de morbis, nec non lib. περὶ τῶν ἐντὸς παθῶν, cum iubeat in ſuppuratione thoracis, atque in aqua intercutem, poſt factam inciſionem, modiceque pus & aquam eductam, fieri linimenta ἐκ τοῦ ὠμολίνου, adducor vt credam, ijs in locis vel interpretandum eſſe linum à lineis quiſquilijs emundatum, vel ſtuppam ipſam vocatã, quam & hodie chirurgos ad varia linimenta vſurpare ſcimus. In lib. porrò de natura muliebri; vbi paullò poſt medium ſemel, & item in fine mentionem ὠμολίνου facit, cùm ita ſcribit, ἐπὶ ὀθονίου ὠμολίνου, pannum ex lino crudo tenuiorem intelligẽdum eſſe puto; quo etiam pacto legendum in 1. lib. de morbis mulieb. non autem ἐπὶ κτενίου ὠμολίνου, vt habetur in vulgatis codicibus, & vt Cornarius errorem ignorans, malè interpretatus eſt, abſque labore cognoſcere poteſt, qui animaduertat idem medicamẽtum ſub ijſdem penè verbis deſcribi, quod bis in lib. de natura muliebri deſcriptum legitur. At quod me magis anxium tenet, illud eſt, Hippocratem, ſiue alium auctorem in lib. περὶ παθῶν, in Iſchiade & podagra, cum caetera remedia non conferunt, locos dolentes ὠμολίνῳ vri mandare, quae vſtio quomodo, & qua materia fieri debeat, cùm hoc tempore remedium non ſit vſitatum, nõ ſum admodum certus, niſi eo in loco etiam ſtuppam rudiorem interpretemur, quaſi haec materia minori moleſtia, & celerius comburat, quàm vel candens ferrum, vel lignum. nam in lib. de internis affectionibus carneas partes ferro candente, oſſeas autem ac nerueas fungis vult eſſe vrendas, fortaſſe quòd carnes cum humidae ſint, valentiorem atque ſicciorem ignem ſuſtinent: quae verò ſunt ſiccae, vt oſſa & nerui, niſi blandiore igne tractentur, periculum imminet, ne exſiccata nimis corrumpantur, & propriam amittant conſtitutionem. Gnidium granum vrendi facultate pollere omnes ſciunt. hoc autem ſcribit Plinius, cap. 21. lib. 13. appellatum eſſe ab aliquibus linũ. Hippocrates in libro modo citato περὶ τῶν ἐντὸς παθῶν, praeclarè de vomitu concitando ſcribens, vult inter caetera ad vomitum faciliorem reddendum accommodata, illud quoque eſſe obſeruandum, vt inter edendum frequẽter, & paullum bibatur, à cibo autem vinum multum dulce ſumatur, ſimulque ficus, placenta, & mellita accipiantur, addit eſſe vomendũ, donec ficus exeant, hoc eſt, vſquequo totus cibus acceptus exierit: etenim ficus etſi primò ſumptas, exire poſt omnem alium cibum.

Ariſto-

Ariſtoteles quoque forſan àb Hippocrate edoctus ſcripſit 1. Probl. vigeſimae ſecundae ſectionis, quo in loco huiuſce euentus cauſſam indagans dixit, id fieri, quòd ficus ſuo pondere ſtatim fundum petat, atque inde ſolum poſt reliquos cibos exeat. At mea eſt ſententia illud potiùs cōtingere, quia ficus praeſertim ſicca, tenacitate ſua firmius adglutinatus ventriculi tunicis, vt iccirco diutius adhaereat, neque nisi vomitu aliorum ciborum antecedente euulſa prodeat. Quis enim credat ficum cydonio, pyris, carne bubula eſſe grauiorē? Aequius illud quoque ferendum eſt, quod vbique ferè idem philoſophus, praeſertim 2. de Part. animal. cap. 4. profitetur, ſanguinem ſcilicet intra corpus nequaquam cōcreſcere, quòd prae calore ſemper humidior conſeruetur, extra verò congelari ob frigus, quo accedente humor aqueus effluit; ob idque ſanguinem aliquem fibris, quae partes frigidae ſunt, priuatum, minus congelari etiā extra corpus. nam vt ſit verum ſanguini corpore effuſo deeſſe calorē, qui eum conſeruabat, natiuum, ac propterea eum congelari; attamen falſum eſt, illum & intra corpora nō concreſcere, quādoquidem & per vrinam, & per ſedem, & vomitum non rarò ſanguinis conglobati grumos reijci cōſpicimus, qui quidē non ob frigus, cùm ex corpore calente veniat, ſed quia à proprijs locis, quorū facultate peculiari conſeruatur omne locatum, diſcedens, à vi ſui conſeruatrice deſeritur.

Loca Ariſtotelis expenſa, Gaza reprehenſus. Loca Hippocratis examinata de Anthino vnguento, & de vino anthoſmia. CAP. III.

ARiſtoteles 5. Probl. ſect. Probl. v. quaerens, διὰ τί κιβδηλιῶντες καὶ οἱ ὑπὸ λιμοῦ pedum tumoribus afficiuntur, eam vnam eſſe rationē ſcribit, quòd tam fame laborantes, quàm κιβδηλιῶντες conſumuntur, illi quòd prorſus alimento deſtituantur, hi verò quòd cibo, quem capiunt minimè perfruantur. Qui ſint apud Ariſtotelem κιβδηλιῶντες non ſatis expreſſiſſe videtur Gaza, cum vertit, cibo vitioſo veſcentes: nam vt verum eſt interdum pedes ijs intumeſcere, qui prauis cibis nutriuntur, ſic plerumque fallit; quare ſatius eſt vertere, pallentes, ſeu ictericos: nā eam vocem id ſignificare adnotauit Heſychius, praeterquàm quòd res ipſa & mirè quadrat. Siquidem longa icteritia laborantes, & pallentes, cùm cibum quem ſumunt prae bile nequeant conficere,

ex eo humores crudi geniti, & ſuo pondere inferiora petentes, pedum tumores inducunt. Porrò de inedia laborantibus prae inertia, hunc in modum ſcribit Heſiodus lib. ἔργων καὶ ἡμέρ.

Μή σε κακοῦ χειμῶνος ἀμηχανίη καταμάρψῃ,
Σὺν πενίῃ λεπτῇ δὲ παχὺν πόδα χειρὶ πιέζοις.

Quem locum dum interpretaretur Proclus, ita ſcriptum reliquit: ἕως τῷ πόδα χειρὶ πιέζοις, τῶν λιματτόντων τοὺς πόδας φησὶ παχύνεσθαι, τὸ δὲ ἄλλο σῶμα λεπτύνεσθαι; καὶ εἰς νόμος ἐφεσίῳ, μὴ ἐξεῖναι πατρὶ παῖδας ἀποθέσθαι ἕως ἂν διὰ λιμὸν παχυνθῇ τοὺς πόδας. ἴσως δὲ καὶ τὴν ἀπὸ καθίσεως καὶ ἀργίας πάχυνσιν δηλοῖ τῶν ποδῶν. γίνεται γὰρ τοῦτο τοῖς ἐπὶ πολὺ καθημένοις ἐὰν οὖν ἐν τοῖς ἀλεεινοῖς οἴκοις ἀργὸς καθιζάνοις, λεπτῇ χειρὶ διὰ λιμὸν τοὺς παχεῖς ὄντας πόδας πιέζοις ὡς ὁ Πλούταρχος: δεῖται γὰρ τὸ ἐν ἡμῖν θερμὸν ἵνα μένῃ τῆς ἔξωθεν τροφῆς, ἣν οὐ δεχόμενον δαπανᾷ τὸ σῶμα, καὶ αὐτοῦ τι ἀποσπᾷ. διὰ ἀσθένειαν δὲ ἀδυνατοῦν ἀλλοιῶσαι τὸ ἀποσπώμενον ἄπεπτον ἀφίησιν. καὶ αὐτὸ μὲν τὰ μέσα καὶ τὰ ἄνω λεπτύνει τοῦ σώματος ἐν οἷς ἐᾷ πλεῖον ἐκεῖνο δὲ ἄρα τὸ ἄπεπτον εἰς τὸ κάτω φέρεται, καὶ οὕτω δὴ παχύνει τοὺς πόδας. id eſt: *Quouſque pedem manu premens foueam facias, fame laborantium pedes ait craſſeſcere, reliquum verò corpus extenuari. & in epheſo lege cautum erat patri minime licere filios exponere donec ob famem ſibi pedes eſſent craſſefacti: forſan vero ſignificat craſſefactionem pedum quae à ſeſſione & inertia inducitur. Hoc enim ijs contingit qui plurimum ſedent, ſi igitur in tepidis domibus piger ſedeas, tenui manu ob famem craſſefactos pedes premens, foueam facies, vt Plutarchus ait. Nam vt calor noſter perduret externo alimento eget, quo vbi priuatur, corpus conſumit, ab eoque aliquid trahit, ſed cum attractum ob imbecillitatem alterare nequeat, crudum dimittit, & ipſe quidem medias ac ſuperiores corporis partes, in quibus plurimus eſt, extenuat: id verò quod crudum eſt ad infernas fertur, atque ſic pedes craſſos reddit.*

Hippocrates in primo de morbis cùm μύρου ἀνθίνου bis meminerit, doctiſſimus Barbarus in ſuis ad Dioſcoridem adnotationibus dubitauit, num id vnguentum & οἰνάνθινον idem eſſet. atqui ſi Galeni libellum de vocibus Hippocratis legiſſet, vtique ea de re nihil addubitaſſet, quandoquidem ibi clarè docet ἄνθινον μύρον idem eſſe Hippocrati, quod σούσινον, καὶ κρίνινον μύρον, à quibus differre oenanthinum, ſiue ex floribus labruſcae cōfectum, vt eſt apud Dioſcoridem, & Athenaeum, ſiue ex ejuſdem folijs, vt eſt apud Theophraſtum nemo ignorat. Illud forſan non ita certum eſt, qua ratione, ſi anthinum oleum calidū erat, eius loco Hippocrates roſaceum

vſurparit, niſi dicamus in capillorum defluuio conuenire reſiccantia & adſtringentia remedia, ob idque tam roſaceum, cuius vis modicè adſtrictoria eſt, quam ſuſynum vel liliaceum, quae exſiccandi facultate pollent, Hippocratem commendaſſe. οἶνος ἀνθοσμίας quis veteribus eſſet etiam controuerſum video. Hippocrates enim lib. de ſterilibus ita ſcribit: ὁ δὲ οἶνος ἔστω ἀνθοσμίας ὡς εὐωδέστατος καὶ ξηρότατος. Quae verba Caluus ita tranſtulit, vinum vetus odoratiſſimũ: Cornarius verò, vinum odorum fragrantiſſimum; ſed vterque, licet vocis vim explicuiſſe videatur, atque ille Erotianum imitatus ſit, qui in Hippocratico onomaſtico Ariſtophanis teſtimonio vſus, odoratum vinum, & ſuauę eſt interpretatus. neuter tamen rem ipſam planè eſt aſſecutus. nam Athenaeus primo dipnoſ. ex ſentẽtia phoeniae Ereſij ſcribit, anthoſmian ſolitum parari ex quinquaginta muſti partibus, & vna aquae marinae; atque generoſiorem fuiſſe factũ ex nouellis, quàm ex vetuſtis vitibus hunc in modũ ſcribẽs phaenias Ereſius de vino anthoſmia ſcribit, Muſti vigintiquinque partibus aquae marinae vna infunditur, atque ita fit anthoſmia, rurſum, fit validior anthoſmia ex vitibus nouellis, quàm ex vetuſtis, ſubinde ait, vuas acerbas cum ſimul coaceruantes ſepoſuerunt fit anthoſmia. Ex quibus colligitur non vnam rationẽ huiuſmodi vini factitandi extitiſſe Theophraſtus pariter laudans anthoſmian vinum, quod in Thaſi Prytanaeo dabatur tãquam iucundiſſimum, cum melle & maſſa triticea id fieri ſolitum prodidit. Ex quo loco Euſtathius in ſecundo odyſſ. colligit huiuſcemodi vinum facticium fuiſſe. Ego verò potiùs genus vini ex peculiari vitis genere factum, necnon marina paratũ, atque ita ab odore vocatum, quemadmodũ nos moſcatellum à muſcatula nunc vulgo, olim Apiana vocata vua dicimus, apud Hippocratẽ eſſe vt exiſtimem, illud me impellit, quòd is tribuit anthoſmiae duas conditiones, vt ſit odoratiſſimus, atque ſicciſſimus; quod quidem par non eſſet fieri, niſi certum genus vini deſignaret. Galenus in vocibus Hippocratis ἀνθινὸν οἶνον interpretatur ἀνθοσμίαν, quãquam loco ἀνθοσμίαν, malè olim legeretur τὸν ἀνθοσμένον. An porrò illud nomen ſortitum eſſet à loco, an à certo vitis genere ita vocato, vt videtur addubitaſſe Suidas, an à floribus, qui immiſcerentur, nec ego compertum habeo; etſi Plutarchum ſciam 4. Sym. prob. primo, ἀνθοσμίαν vinum illud iucundum, quod eo in conuiuio potabant, vocaſſe. Cum autem anthoſmia minimè inebriaret, vt ex Ariſtophanis Ranis comprobare videtur Suidas: fit vt putem, florem vini apud Latinos ſcriptores diuerſum quid deſignaſſe, nimirum quo potius generoſum, atque facilè inebrians vinũ ſignificaretur. Ob idque

ex Ennio apud Fulgentium ita ſcriptum eſt. *Haec anus admodum ſitit gutit, nimirum ſe ſauciauit flore Liberi*. & Plautus in Caſina: *Quid eſt, niſi haec meraco percuſſit ſe vſpiam flore Liberi?* Quibus locis explicandis illud forſan accommodatur, quod ſcribit Galenus iiij. de vſu partium cap. iij. dum vina feruent, partē ſubſidere, & vocari faecem, partem verò aeream & leuem ſupernatare, vocarique vini florē, qui plurimus in vinis ſubtilibus reperitur, quemque bibitum caput petere, & ebrietatem inducere, rationi eſt valde conſentaneum.

Ἰσχνόφωνοι *qui apud Hippocratem, loca ad id Ariſtotelis & Galeni conſiderata, Nonnulla de Demoſthene.* CAP. IIII.

Hippocrates in 2. Epidem. Sect. v. in initio, duo digna animaduerſione ſcripta reliquit. Vnum eſt, ἰσχνοφωνίαν ſolui à ſuperueniente varice. Alterum eſt, Τραυλοὺς ἰσχνοφώνους, & alios quoſdā νοσήματα ἔχειν ἰσχυρῶς μελαγχολικά. Propter quae hoc loco nobis cōſiderandum eſt, qui ſint ἰσχνόφωνοι apud Hippocratē: cur morbis melancholicis adeo ſubijciantur, demum quomodo à varice ἰσχνοφωνία ſoluatur. Heſychius de iſchnophonia ita ſcribit: ἰσχνόφωνος, λεπτόφωνος, ἀπεχόμενος τὴν φωνήν. Vnde colligi poteſt, eam & vocis tenuitatem, & impedimentum ſignificare. Sic complures inuenio interpretes, quorum alij vocis haeſitantiam, alij verò tenuem vocem interpretantur. Caeterum Galenus ſecundo in primum. Epid. tex. 78. ſcribit, ἰσχνοφώνους καὶ λεπτοφώνους, etſi vtriuſque nomen idem ſignificare videatur, inter ſe tamen differre, quòd λεπτόφωνοι fiant ob aſperae laryngis arteriae anguſtiam, ἰσχνόφωνοι ob naturalem muſculorum laryngem mouentium deprauationem, ambos tamen tales euadere propter natiuae caliditatis in prima formatione imbecillitatem, Addit, ſicuti ἰσχνόφωνοι fiunt ob muſculorum laryngis natiuum vitium, ita τραυλοὺς effici ob prauam linguae conformationem. Ex quo ſermone facilè colligi poteſt, Galenum eius fuiſſe ſententiae, vt exiſtimaret, eo in loco apud Hippocratem ἰσχνοφώνους eſſe, qui à natura voce tenui ſunt conformati. Porrò Ariſtot. xj. Prob. ſect. probl. xxx. cauſſam quaerens propter quam pueri ſunt μᾶλλον ἰσχνόφωνοι, quam viri, eam eſſe reſpondet, quod ſicut & pedes minus ſuſtentare, minusque ambulare, ſimiliter & linguam minus cōtinere

valent,

valent; & propterea quód infantiae proximiores ſunt, eò minus loquuntur, ſed belluarum more duntaxat vociferantur. Declarans deinde quomodo *ἰσχνοφωνία* oriatur, & à caeteris ſimilibus vitijs differat, hunc in modum ſcribit. *ἡ μὲν οὖν τραυλότης τοῦ γράμματος τινὸς μὴ κρατεῖν, καὶ τοῦτο οὐ τὸ τυχόν: ἡ δὲ ψελλότης τὸ ἐξαιρεῖν τὶ ἢ γράμμα ἢ συλλαβὴν, ἡ δὲ ἰσχνοφωνία ἀπὸ τοῦ μὴ δύνασθαι ταχὺ συνάψαι τὴν ἑτέραν συλλαβὴν πρὸς τὴν ἑτέραν, ἅπαντα καὶ διὰ ἀδυναμίαν: τῇ γὰρ διανοίᾳ οὐχ ὑπηρετεῖ ἡ γλῶσσα. ταὐτὸ δὲ τοῦτο, καὶ οἱ μεθύοντες πάσχουσι, καὶ οἱ πρεσβῦται.* Quibus ex verbis perſpectum eſſe vnicuique poteſt *ἰσχνοφωνίαν* Ariſt. eſſe linguae vitium, quo illa prae infirmitate aſſequi animi conceptus nequit. Nec contrariam ſententiam habuit Ariſtoteles probl. 35. vbi rationem indagans qua *ἰσχνόφωνοι* ſubmiſſa voce loqui non poſſint, ideo eſſe inquit, quòd fiat haeſitantia linguae propter impedimentum aliquod inſigne, quod omnino vocem auferret, niſi magna vi obſiſteretur, & ſubinde vox alta ederetur, ſiquidem illud etiam impotentiae cuidam atteſtari planè videtur. Itaque videtur apud Ariſtotelem alia omnino, & ab alijs cauſſis eſſe *ἰσχνοφωνία*, quàm apud Galenum, ambo tamen in eo conueniunt, huiuſcemodi vitium ob caloris natiui imbecillitatem oriri, ſed illud ſecundum Ariſtotelem non modò natiuum, verum etiam adſcititium eſſe poteſt. Vnde verò ea imbecillitas contingat, dubitans ille Probl. liiij. & lx. quaſi & à frigiditate loci in quo vox fit, & animi à efferueſcentia, vt in iratis gigni queat, ſimulque dubitationē ſoluens, a refrigeratione oriri, qualiſque apoplexiam quandam partis eſſe ſtatuit. Iam verò quae ſit penes Hippocratem *ἰσχνοφωνία*, nondum ex ante dictis certò cōſtituere licet. Ego autem exiſtimo nullam aliam eſſe, quàm linguae haeſitantiam ab Ariſtotele explicatam; atque illam quidem potiùs adſcititiam quàm natiuam. *ἰσχνοφώνους* porrò eos eſſe qui a generationis principio vocis haeſitantiam ſortiti fuerunt, cur ſic arbiter ea eſt cauſſa; quòd a varicibus ſuperuenientibus nequaquam vitia natiua, ſed accidētaria tantum, praeſertimque ab humore melancholico inſtrumenta vocis refrigerante, ſimulque imaginationem laedente orta ſoluuntur, ſcilicet humore eo a capite ad teſtes delapſo, ibique venas attollente: nam potiùs id varici teſtium, quàm crurum tribuit Hippocrates, quod magna inter teſtes, & vocis inſtrumenta (vt ibidem dicit) ſympathia ſit, merito cuius & tuſſis tumore teſtium, & teſtis tumidi a tuſſi ſoluantur. Atque *ἰσχνοφώνους* ſuſtinere morbos valde melancholicos, ſolummodò dici poteſt de ijs, qui a natura huiuſcemodi morbo obnoxij inueniuntur, cuiuſmodi fermè ſunt corpora, praecipueque capita naturali conſtitutione frigida

gida habentes. Nam & Hippocrates 7. Aphor. Aphor. 40. ſcribit, ἢν ἡ γλῶσσα ἐξαίφνης ἀκρατὴς γένηται μελαγχολικὸν τὸ τοιοῦτο γίνεται, quo in loco pro linguae incontinentia praedictam haeſitantiam ab Ariſtotele deſcriptam ideo interpretor, quod ferme philoſophus iiſdem verbis vtatur, dum ἰσχνοφώνους pueros nõ poſſe τῆς γλώττης κρατεῖν ſcribit. Vnde ſicuti ingenij Cardani vanitatem, qui pro huiuſcemodi incontinentia aduerſus Galenum & alios, petulantiam, ac turpem obſcaena loquẽdi licentiam vel dicacitatem interpretatur, non irridere non poſſum, ſic valde ipſum Galenũ miror, qui quaſi Hippocratem damnans, illius euentus nullã aliam cauſſam ſeſe inueniſſe profitetur, quam ſucci melancholici proprietatem. Certe Ariſtoteles multo melius ipſam & inuenit & nobis explicuit, qui ſect. probl. 11. probl. 38. quaerens propter quid οἱ ἰσχνόφωνοι μελαγχολικοί, reſpondet, melãcholici proprium eſſe imaginationem celeriter ſequi, quod quidem faciunt ἰσχνόφωνοι: quorum ad loquendum impetus ipſorum facultatem praecurrit, tanquam anima citius rem ſibi apparentem ſequatur, quam inſtrumenta obedire queant, quod item faciunt τραυλοί: etenim aeque Ariſtotelem atque Hippocratem τραυλοὺς & ἰσχνοφώνους ſimul conferre, eiſdem ferè verbis vtrumque vti ſatis efficax argumentum eſſe videtur ad probandum, amborum de haeſitantia, & incontinentia linguae vnam extitiſse ſententiam, & iccirco iure à ſapiẽtiſſimo ſene dici, haeſitantes lingua, vt pote a natura melancholicos, morbis valde melancholicis tentari. Iam verò Demoſthenem hoc ἰσχνοφωνίας vitio laboraſse locupletiſsimum teſtem habemus Plutarchum, qui cum ſeſe ab orationibus politicis abſtinuiſſe, quod ἰσχνόφωνος eſſet, alicubi ſcribit, tum & in initio eius vitae quomodo eſset ἰσχνόφωνος latius narrans, ἦν δὲ, inquit (ὡς ἔοικε) καὶ φωνῆς ἀσθένεια, καὶ γλώττης ἀσάφεια, καὶ πνεύματος κολοβότης ἐπιταράττουσα τὸν νοῦν τῶν λεγομένων τῷ διασπᾶσθαι τὰς περιόδους. Linguam vero inexplanatam atque haeſitantem coniectis in os calculis verſus ſimul recitans, vocemque currendo, & in adſcenſu difficili diſserendo exercens, necnon orationem, aut verſus intento ſpiritu pronuntians, expugnauit, prorſusque correxit. Cum enim ſpiritu arctiore eſſet, Neptolomo hiſtrioni, vt idem Plutarchus in decem oratoribus tradit, decem millia drachmarum dedit, quo integras verſuum periodos vno ſpiritu proferre ipſum faceret.

An

An veteres pane frigido, vel calido veſcerentur. Quid ſit imaginoſum apud Catullum. C A P. V.

Apud maiores noſtros res quaedam ita vulgares & apud omnes tritae erant; vt poſteris eas ſcriptas tradere quiſque negligeret. Quare nos forſan nimiũ curioſi, aut ſimplices videbimur; ſi res tẽpore noſtro nemini dubias cum vetuſtis moribus cõferentes in dubium reuocemus, vt eſt de pane, quo nulla pene hodie natio inuenitur, quae frigido nõ veſcatur: attamen ita incertum eſt, an ſic veteres ipſum ederent, vt nihil forſan magis, cùm nullum ſcriptorem habeamus, qui illud certo definierit. Nam vſus calidi panis non ignobiles teſtes habeo, in primis autem Hippocratem, qui lib. ij. de morbis dũ leucophlegmatiam doceret, de cibis ſermonem faciens, σιτίοισι, inquit, χρῆσθαι ἄρτῳ καθαρῷ ψυχρῷ. vanum, & puerile profectò fuiſſet praeceptum illud de pane frigido, ſi conſuetudo non fuiſſet calido veſcendi, quemadmodum hodie nemo eſt medicorum, qui aegris vt panem frigidum edant, praecipiat. Nec quidquam obeſt, quod idem Hippocrates in libro περὶ τῶν παθῶν dicat, panem calidum ſiccare, quemadmodum & in lib. de victus ratione morborum acutorum, quoniam idem etiam ait de carnibus calidis, quas plerique omnes comedunt, quanquam & illud addit, Si vel cum aliquo humido ſumantur, vel ipſis ſuperbibatur, minimè ſiccare. Sed praeter Hippocratem, eſt & Plutarchus qui in libro περὶ ἀοργησίας, inter errores ob quos ſeruis & vxoribus iraſcuntur homines, adnumerat, Si vel quid exuſtum, aut fumum redolens, vel ſine ſale, vel ſi panem frigidiorẽ apponant, quaſi ſicut ſalem ante omnes alios cibos ſic panem calidum menſae requirerent. Niſi forſan pro frigidis vetuſtos & exoletos intelligas, vt Ariſtoteles intellexiſſe videtur ſect. probl. xxj. lib. v. dũ ſcribit, panes pridie factos eſſe leuiores calidis, vt pote frigidiores, quod pariter aliquis colligere poſſet ex ijs Galeni verbis, quae apud Athenaeum libro tertio leguntur, cap. 15; vbi de panibus cùm ſermo habeatur, οἱ δὲ (ait) τελείως παλαιοὶ, καὶ κατεψυγμένοι ἀτροφώτεροι, στατικοί τε κοιλίας, καὶ κακόχυλοι: quaſi cum panes frigidi ita damnantur, haud rationi conſentaneum videatur, eos in vſu quotidiano habitos eſſe; niſi ſcriptoris nõ ignobilis Caelij Aureliani authoritas obſtaret, qui 5. lib. tardarum paſſionum cap. vltimo, ſermonem habens de ratione extenuandi corpora

pinguia, hunc in modum ſcribit; *Panem damus frigidum fermētatum autopyrum: eſt enim minus nutriens, & magis ſi fuerit veteratus.* Ex quo loco duo clariſſimè videntur colligi poſſe: nimirum & calentes panes in quotidiano vſu fuiſſe, & pro frigidis, minimè vetuſtos eſſe intelligendos. Quare in eam ſententiam potius inclino, panes conſueuiſſe edere nobiliores non quidem prorſus calentes, ſed qui nuper calorem depoſuiſſent, velutique tepidi eſſent: refrigeratos autem nimium atq. inueteratos vilibus ſolùm, atq. pauperibus eſſe ſeruatos. Ioſephus Scaliger ſummi ingenij & ſingularis eruditionis vir, in ſuis ad Catullū adnotationib. multis ſatagit, vt oſtēdat, Poetā vbi ſcribit,

Propinqui quibus eſt puella curae,
Amicos, medicoſque conuocate.
Non eſt ſana puella: nec rogate
Qualis ſit, ſolet haec imaginoſum,

ſub voce, imaginoſum, morbū aliquem intelligere, cui & ipſi aſſentior, quod medicos accerſiri iubeat. Sed de genere morbi ſi ab ipſo aliquantiſper diſſenſero, forſan ipſe, qui medicus nō eſt, medici in re medica iudiciū vſquequaque nō detrectabit. Corybantas inter inſaniae genera ab Aretaeo medico vetuſtiſſimo relatos eſſe iamdudū in libro iij. harum lectionum indicauimus, & quamquā ipſi cedamus eiuſmodi aegrotū imaginoſum à Poeta vocari, quòd qui eo teneantur, ſonitus atque cantus audire videantur, vt ex Platone comprobauit; attamen minimè aſſerendum ab ipſo fuit, medicos huiuſcemodi morbum aut ignoraſſe, aut tacuiſſe, cùm Galenus lib. περὶ διαφορᾶς συμπτωμάτων, cap. iij. referat, Theophilum quendam medicum imaginatione ita laboraſſe, vt putaret tibicinas quoſdam in angulo domus aſſiduò ſonare, & pulſare; & proptereà illos expelli poſtularet. Catullum autē potiùs tertiū inſaniae genus à Celſo propoſitū nobis deſignaſſe exiſtimo, de quo is libro iij. cap. xviij. loquens ita ſcribit. *Tertium inſaniae genus eſt ex his longiſſimum; adeo vt vitam ipſam nō impediat, quod robuſti corporis eſſe conſueuit. Huius ipſius ſpecies duae ſunt: nam quidam imaginibus, non mente falluntur, qualem inſanientē Aiacem vel Oreſtem poetarum fabulae ferunt: quidam animo deſipiunt.* Nam phrenitim non intelligi à Poeta ex eo puto, quòd ſemper cum febre ſit, quam eum in muliere alioqui ſana non finxiſſe par eſt. Fallitur in eo quoque Scaliger, quod Corybantiſmum putet eſſe morbum à Graecis vocatum ἄγρυπνον κῶμα, quoniam in hoc languentes oculis quidem apertis manent, à varijs imaginibus occupati; at quòd cantus, aut ſonitus ſentiant, à nemine medicorum ſcriptum, à nemine obſeruatum eſt, cùm huiuſcemodi aegri non loquantur.

Quapropter miror quoque Plinium, ſi tamen ita ſcripſit, lib. xj. cap. xxxvij. dixiſſe, oculis apertis dormire, Corybantiam Graecos dicere, cùm non ſit quemquam inuenire apud Graecos huiuſce ſententiae auctorem neque morbo vlli adaptari poſſit, quod Plinius aliquibus hominibus ſanis quaſi ex natura contingere narrat.

Locus Plinij examinatus. Quid ſit ſumere aquam. Cur mulieres nouiter nuptarum collum filo circumdarent. CAP. VI.

IOſephum Scaligerum acerrimi ingenij, atque reconditae eruditionis virū eſſe ſemper praedicaui. Sed vt ſolent foecunda arua ſaepe luxuriae ſegetes corrūpere, ſic feruida ingenia interdum vltra veros ſcopos ferri non eſt mirandum. Is enim in ſuis ad Propertium adnotationibus Plinij locum dū corrigere tentauit, quam deformauerit potiùs, atque eius auctoris praeclaram venuſtatem obſcurauerit, facilè vnuſquiſque intelliget. Nam Ariſtoteles iiij. de hiſt. animal. cap. x. piſces dormire ex eo videtur probare, quòd quietè permaneant, & quòd facilè manibus capiantur, *εἰ μὲν μὴ διὰ τοὺς φθεῖρας καὶ τοὺς λεγομένους ψύλλους*: *hoc eſt niſi à pediculis, & pulicibus infeſtentur*, quae animalia ait ita copioſa in profundo maris gigni, vt piſcatorum retia interdum edant. Iam verò hunc locum proponens ſibi Plinius, cap. 47. libri 9. hunc in modum ſcribit. *Adeoque nihil non gignitur in mari, vt cauponarum aeſtiua animalia pernici moleſta ſaltu, & quae capillus maxime caelat, exiſtant.* Vocat Plinius pulices appoſitiſſimè cauponarū aeſtiua animalia, quòd aeſtate potiſſimum, atque in cauponarum tabernis magna foecunditate appareant; moleſtiā quoque eas ſuis illis ſaltibus magis, quàm morſibus inferre, omnes, & praeſertim mulieres teſtari poſſunt. ob quod pulices maritimos ſaltarellos hac ratione pleriſq. nationibus vocari certū eſt: ſicut nemo eſt, qui neſciat pediculos maximè omniū in capite, atque ſub capillis ipſis eſſe. Itaque ſatis manifeſtum eſſe poteſt illud (conopeorum aeſtiua animalia) à Scaligero excogitatum, non modo verbis Plinij obliquè admodum accōmodari, verùm etiam falſum eſſe, culices pernici ſaltu infeſtare, cùm minimè ſaliant, ſed morſu potiùs & ſtrepitu iniucundo moleſti ſint.

Mali culices, ait Horatius, *ranaeque paluſtres*
Auertunt ſomnos.

Non minus etiam vir ille doctiſſimus à vero ſcopo aberrauit, cum apud Ouidium aquam ſumere, eſse vrinā capere, & neſcio quae alia docens, quaſi de nouo quodam inuēto magnopere gloriatur. Atqui pauci inueniuntur, qui ignorent, meretrices potiſsimū poſt initam venerem loculos aqua colluere, & veterum, & noſtra tempeſtate cōſueuiſſe. vt ferè vbicunque Ouidius ſumptionis aquae meminit, de hoc ipſo vſu locutum eſſe non ſit dubitandum. Imò verò ſcorta vas huic aquae deſtinatū inter caetera turpitudinis inſtrumēta habuiſse complures ſcriptores teſtantur. In primis autem Demetrius Phalereus non longè à fine ſui libri de elocutione, exēplum adferens, eorum, qui res turpes proprijs atque indecoris nominibus appellant, καθάπερ, inquit, ὁ τῆς τιμάνδρας κατηγορῶν ὡς πεπορνευκυίας τὴν λεκανίδα, καὶ τοὺς ὀβολοὺς, καὶ τὴν ψίαθον, καὶ πολλὴν τὴν τοιαύτην δυσφημίαν ἐπαίρων κατήρασε τοῦ δικαστηρίου; vbi λεκανίδα nō aliud fuiſse, quā vas huiuſcemodi aquae continendae accommodatum totius eruditionis peritiſsimus, ac Italiae phoenix Victorius iure ſignificauit, qui praeter alia id etiam monſtrauit à M. Cicerone Appium Caecum, qui Claudiam aquam Romam diduxerat, inductum eſse Clodiam exprobrantem, quaſi aqua illa inceſtè vteretur, cui etiam rei lepidiſſimè alluſiſse cenſet Epigrammatis antiqui auctorem, qui Priapum viam ad Fontem viatori his verſibus indicantem fecit:

Vade per has vites, quarum ſi carpſeris vuas,
Cur aliter ſumas, hoſpes habebis aquam.

Adnectam huic & aliam antiquarum mulierum conſuetudinem à pleriſque ignoratam, nec ſcitu indignam. Etenim dum virgo nupta prima nocte cum marito concubitura erat, colli menſuram filo circundato capiebant; poſtero mane eodem filo collum menſurabāt: quod ſi latius quàm vt filo comprehenderetur, inueniebant, defloratam eſse ea nocte pro certo habebant: ſin verò nihilo maius euaſerat, adhuc pro integra habebant, aut antea fuiſse deuirginatā cenſebant. Atque huius conſuetudinis prae caeteris meminiſse videtur Catullus in nuptijs Pelei & Thetidis ſub his verſibus,

Non illam nutrix orienti luce reuiſens,
Heſterno collum poterit circundare filo.

Neque id abſque ratione factum videtur: ſiquidem, vt memoriae proditū eſt ab Ariſtotele 7. de hiſt. animal. cap. 1. praecipue vox mutatur in aſperiorem & minus acutam, quo tēpore coitus inchoatur, vt qui vocem conſeruare velint, à coitu ipſis adſtinendum ſit: Vnde & facile conijci poteſt, inſtrumēta voci famulātia, quae intra collum poſita ſunt, primo coitu dilatari, & cōſequenter collū augeri, forſan

quòd

quòd ſemen dum ab vniuerſo corpore, & praeſertim à capite ſecundum Hippocratem, & alios veteres, per colli vaſa praecipitatur, vias illas vi quadam cogat, atque ampliores reddat, vel quod corpus in primo coitu magnopere agitatum, vbique, & maximè circa collum ſpiritibus, & humoribus diffuſis repleatur, atque in maiorem molem attollatur. Miror tamen medicos noſtros de huiuſcemodi ſigno ad corruptas mulieres dignoſcendas inter alia nihil poſteris reliquiſſe; quoniam ſi propoſuiſſent, forſan Sinagrius ille Veronenſis epiſcopus, quem hac in re damnauit D. Ambroſius lib. viij. Epiſt. lxiiij. ad virginem ſtupri accuſatam coarguendam minimè genitalia ſecreta inſpici iuſſiſſet, ſed hoc facili, atque alijs honeſtioribus argumentis veritatem conſequi potuiſſet, quibus vſum eſſe oculatiſſimum & diligentiſſimum Democritum veriſimile eſt, quando, vt refert apud Laertium Athenodorus, puellam Hippocratis comitem prima die cōſpicatus, ita ſalutauit, Salue virgo, poſtridie verò quòd cognouiſſet ex adſpectu ſolo eam fuiſſe illa nocte vitiatam, hunc in modum appellauit, Salue mulier.

Quid ſit papauer fici Tertulliano. Quid ſpica Ciliſſa Propertio. Nonnulla de nardino vnguento. CAP. VII.

TErtullianus auctor grauiſſimus lib. contra haereſes hunc in modum ſcribit. *Etiam de oliuae nucleo mitis, & opimae, & neceſſariae oleaſter exoritur, etiam de papauere fici gratiſsimae & ſuauiſsimae ventoſa & vana caprificus exſurgit*, vbi quid verbū illud inſolens fici papauer ſit, cum à nemine alio proditum habeatur, iure dubitari poſſet, quòd enim Ariſtoteles cap. x. lib. vij. de hiſt. animal. tradit, excrementum ab infantibus nuper in lucem exeuntibus primùm ſanguineum, mox lacteum eiectum à mulieribus μηκώνιον, ſeu vt vertit Gaza, papauerculū eſſe appellatum, ad praeſentis loci explanationem nihil planè attinet. Quare eius ſum ſententiae, vt etiam cap. iij. libri prioris obiter ſignificaui, granū fici, ob ſimilem ſemini papaueris paruitatem, à Tertulliano papauer eſſe vocatum, eò maximè quòd Theophraſtus iij. cap. ij. lib. de hiſt. & cap. I. lib. iiij. de cauſſis plantarum, ſermonem faciens de his arboribus, quae ex ſemine naſcentes plerumque degenerant, ex oliuae nucleo oleaſtrū, & ex fici ſemine caprificū naſci ſcribit; quaſi nobiliſſimū hūc philoſophū imitatus Tertullianus, ea ſcriptis prodiderit. In-

uenio dubitatũ de Spica Ciliſſa q̃ ſit apud Propertiũ, cũm ita ſcribit.

Terque lauet noſtras Spica Ciliſſa comas.

Nec deſunt qui crocum interpretẽtur. Ego verò haudquaquam de ipſo mero croco, ſed potiùs de crocino vnguento, quod in ſolis Ciliciae locis diu maximè laudatum ſcribit Plinius cap. 1. lib. xiij. eſſe interpretandum cenſerem. Vnguenta enim & in ignem, & in capita, & in pedes, vt pote interdum liquidiora profundi ſolita, praeter Theophraſtum, Plinium, & Athenaeum, vniuerſa ferè antiquitas teſtatur, atque omnium maximè Euangeliſta Marcus, apud quem legitur. Mariam in domo Simonis leproſi vnguẽtum ſpicatum fracto alabaſtro ſuper caput Chriſti effudiſſe: quo praetereà teſtimonio nardum Ciliciam ſpica carere, & propterea de ea Propertium loqui non potuiſſe probent, non ſatis video, cùm ſi ibi nata ſpicam habet, in Cilicia quoque eãdem habere, nulla ratio neget. Iam verò & Dioſcorides, & Plinius qui Indicum & Syriacum nardum caeteris quaſi pares praeferunt, certè nos feſelliſſent, ſi ſpicae inſignem differentiam tacuiſſent, eò maximè quòd Galenus 1. de antid. ca. 14. de indica loquens, apertè docet Spicam nardi dici, cùm ſit radix. quia Spicae formam aemuletur, non quòd ſit vere Spica. At forſan de nardo etiam non inconuenit Poetam interpretari, vt ſub nomine Spicae Ciliſſae nardum Syriacum intellexerit. Siquidem Galenus nardum ſimpliciter Spicam vocaſſe non ſemel inuenitur, nec me dehortatur ab hac ſentẽtia, quod Hermolaus Barbarus videatur ex huiuſcemodi Galeni appellatione colligere, nardum è Cilicia carere Spica, quoniam ipſius ſolum eſt coniectura, nulla auctoritate, aut ratione firmata; quòd ſi ita magis placet, ſic quoque nomine Spicae nihil prohibebit vnguentum nardinũ interpretari, cum & apud Horatium, & apud alios frequenter ſub nardo vnguentum id comprehendatur. Et quoniam nardini vnguenti mentio incidit, nonnulla adnotare placet circa vnguentum, quod memorat Marcus Euangeliſta, cap. 14. Mariam ſuper caput Chriſti effudiſſe, quodque alij piſticum, alij Spicatum pretioſum eſſe ſcribendum maluerunt, quaſi nardinum vnguentum modo ex folio, modo ex Spica fieret, & propterea interdum Spicatum, & interdum foliatum vocauerint. Ego verò foliatum appellatũ à nardino & Spicato diuerſum fuiſſe exiſtimo, tum quia id ex Galeno viij. lib. meth. cap. v. & vj. lib. de tuenda valet cap. x. & xij. ac 2. & 3. lib. de med. loc. cap. 1. ſatis probari poteſt, tum quia malabathrũ folium vocatum propriè foliato nomẽ dabat, vt ex Dioſcoride, cap. 66. lib. 1. probat Manardus, etſi Plinius cap. 2. lib. 13. in deſcriptione nardini foliũ reliquerit, neq; ſcio qua auctoritate

tate

tate Hermolaus Barbarus in cōm. ad Dioſcoridem ſcripſerit, Galenū prodidiſſe, nardinū Romae vocatū eſſe Spicatum, cum illud tantū in Galeni ſcriptis hactenus inuenerim, Spicatum, & foliatū fuiſſe inuenta opulẽtarum mulierum, & iccirco pretioſa, atque Romae in magna exiſtimatione habita. Iam vèro quid apud Euangeliſtam ſit vnguentum nardinū Spicatum (ſi Spicatum legi debeat) pretioſum, nondum conſtat certè: puto ab ipſo intelligi mixtionem quandam vnguentorum à Maria factam eſſe, quae vt odorem de ſe inſignem funderet, Spicatum, vt liquidior, atque aſperſioni idonea fieret, nardinū adpoſuit. Etenim conſueuiſſe vnguenta ſpargi, atque id in animo habuiſse mulierem ex ſuperius traditis, & ex ipſius facto ſatis patet. Porro ſpicatum craſſius fuiſse, quam vt poſſet fundi & conſequẽter ad fundendū nardino indiguiſse, Galenus clariſſimè videtur ſignificare lib. iij. med. local. cap. 1. vbi de aurium dolore inflammationes ſequente ſermonem faciens, monet, cum Spicatum, & foliatū vnguenta pretioſa craſsa, atque denſa ita ſint, vt fundi nequeant: ſi quando infundi debẽt, ijs nardinum commiſcere neceſse eſse. Illud hiſce addere placet Veteres medicos non modo extrinſecus nardino vnguento vti, verum etiam potandum praebere conſueuiſse. Idque manifeſtiſsime habetur ſcriptum apud Galenum lib. viij. de compoſ. med. S. l. cap. iij. ſub hiſce verbis, ἢ νάρδινον μύρον, ἢ τῶν λίαν πολυτελῶν τι δίδου μεθ' ὕδατος. quanquam Erotianus in explicatione vocis κάμμαρον, Lycum reprehendens dubitet, an in febribus intus vnguenta adminiſtrari queant. apud Plautum etiam vini nardini mentio habetur, etſi eius conditura adhuc mihi ſit ignota.

De cerebri membranis locus Macrobij correctus. Locus Eraſiſtrati de inedia. Loca Hippocratis, Ariſtotelis, & Plinij de dentibus expenſa. CAP. VIII.

MAcrobius lib. vij. cap. ix. cerebrum nequaquam ſentire, ſed in ipſo propter mẽbranas fieri dolorem monſtrans, haec verba habet. *Et cerebrum quod tactu ſui hominẽ vel torquet, vel frequenter interimit, non ſuo ſenſu, ſed veſtitus ſui, id eſt, omenti, hunc importat dolorem*. In quibus valde dubito particulam (id eſt omenti) merū gloſsema eſse ab indocto ſcriba interſertum. Nam praeterquàm quod dictio (omẽtum) à nemine ad aliud ſignificandū, quàm membranoſum rete ſtomacho, & inteſtinis ſupra poſi-

rum, quod ἐπίπλοον Graeci vocant, inuenitur vſurpata, etiam ratio ipſa docet non potuiſſe à Macrobio eo in loco ad μήνιγγας cerebri ſignificandas vſurpari, tum quia nec vnquam ip ſe alias, niſi in eodē capite paullò ſuprà, vbi etiam operimentum legendum ſuſpicor, neç alius vnquam illa ſic vſus eſt, tum quia particula explicatiua. id eſt, poſtulat ſubſequentem dictionem praecedente clariorē: quod quidem in ea ratione multum abeſt, cùm omentum in eiuſmodi ſignificatu longè inuſitatius, & obſcurius ſit pro cerebri mēbranis, quàm veſtitus. Quare, vt ego puto, prorſus delenda eſt ea particula (.i.omēti) quae in margine cùm hunc in modum (.i.operimenti) à ſciolo aliquo poſita fuiſset, atque tempore quatuor à primo elemētis obliteratis ſic legeretur, ò menti, a ſcriba demū facta eſt vox omenti, atque contextui, vt multa alia ineptè inſerta: quanquam etiam praeceps ſcriba debuit in interſerendo pro voce operimenti ſcribere omenti. Vnde non poſsum ſatis mirari Vertunianum illum, qui cum Hippocratis libellū de capitis vulneribus Latino, ſeu potius Romano, atq. ipſius Celſi ſermone interpretari profiteretur, μήνιγγας cerebri omenta potius, vno hoc Macrobij loco, quam membranas Celſi, & aliorum optimorum ſcriptorum auctoritate interpretari maluit, nā etſi vox illa bis vere a Macrobio eſset vſurpata, non video cur dum Hippocratem Romanè loquentem facere cupit, pro voce Romana peregrinam, & a nullo alio propoſitam ſubſtituere voluerit, ſi Scaligerum ſuum criticorum noſtri temporis principem conſuluiſset, non dubito quin pro ſingulari ſuo iudicio huiuſmodi Macrobianam vocem ex eius ore ſubtraxiſset, aut quomodo Macrobianus codex ſit emendandus, libere vt ſolet, indicaſset. Huic adnectere placet aliud memoria dignum, quod ab Agellio adnotatum inuenitur. is cap. iij. lib. xvj. Eraſiſtratum ſcribit in libro diuiſionum prodidiſse, eorum, qui triduum totum a cibo abſtinent, vſque adeo conſidere, & coarctari inteſtina, vt fames, quam dicebat ob vētris, atque inteſtinorum vacuas, & patentes fibras oriri, nulla fiat, ex eodem addit, Scythas, ſi quando inediam ſuſtinere cogebantur, faſcijs arctiſſimè inteſtinorū regionē, ne eſurirent, vincire conſueuiſse, vt non ſit admiratione ita dignū, quod alias ab Hippocrate in fine lib. περὶ σαρκῶν, ſiue potius ἀρχῶν proditū eſt, poſse hominē ſeptem totos dies ſine cibo viuere: quodq; & olim factitaſse, & nunc Graecorum monachos facere narrāt qui ſaepe & ſeptem, atq; pluribus diebus, abſq; vllo cibo viuant, neq. fame cruciētur, ob id ἀσκῆται appellati. Ab Eraſiſtrato ad Hippocratem tranſeo, cuius in ij. Epid. lib. ſect. vj. haec ſunt verba, οἱ μακρόβιοι πλείςους ὀδόντας ἔχουσι, quae deinceps mutuatus eſt Ariſtoteles ſe-

les ſecūdo de hiſt. animal. tertio. & ſect. prob. xxxiiij. prob. j. vbi quaerens cur qui raris dentibus ſunt, ij minus viuāt iccirco id fieri reſpōdet, quod animalia plures dētes habētia viuaciora ſunt: ratio quidē ieiuna ſatis, atq. tāto philoſopho indigna: cū aeque obſcura ſit cauſſa, propter quam animalia pluriū dentiū ſint viuaciora, atque illa, ob quam raros dentes habentes minus viuant. Quare forſan melior eſt alia ab eodem decima prob. ſect. prob. 41. aſſignata, vbi quaerēs, cur qui raris dentibus ſunt, vt plurimum viuant minus, id euenire ſcribit, quod huiuſmodi homines oſſa capitis compacta, & dēſa habeāt, quaſi vt brutis aliquibus ordo alter dentium deeſt ob cornua, ſic hominis rari fiant dentes ob materiam in compingendis capitis oſſibus cōſumptam. Iam vero quorum oſſa capitis denſa ſunt, cum cerebrū alioquin imbecillum ipſis non diſſletur, ac ſubinde putredinem cōtrahat, ob id celerius intereunt, vt hac etiam ratione dicat Philoſophus, mulieres viris breuioris eſſe vitae, quòd earum capita commiſſuris, & halitibus careant, licet de commiſſuris id falſum eſſe quotidiana experimenta doceant. Atq; illa forſan cauſſa accommodatior reddi poteſt, eos qui pauciores dentes habent, minus cibum mandere, ac propterea in ventriculo minus coqui, ſicq; fruſtratis aſſiduo, & in ſtomacho, & in iocinore coctionibus, fieri, vt radicale humidum, & natiuus calor puro & copioſo pabulo fruſtrētur, ſimulq; citius deficiant. Addam & illud, mirum eſſe, quod Plinius dicat aliquibus piſcibus dentes eſſe etiam in cauda, cum Ariſt. 3. de partibus animal. c. 1. a quo ea verba accepit, id minime ſcribat, neque ratio pati videatur: ſed forſan haec Plinij ſimplicitas efficit: quemadmodum etiam cùm dicit dentes nudatos inficere ſpecula: non enim à dentibus, ſed ab halitu dum nudantur dentes, maculari ipſa certum eſt. Illud vero ab ipſo recte adnotatum fuit, dentes qui à flammis non domantur, à pituitae tabe perforari, & conſumi, tantum poteſt aſſiduus humoris etiam in duriſſima illapſus.

Locus Hippocratis correctus. Qui fuerint βλητοὶ, ſeu icti apud veteres. Quod morbi genus, telum. CAP. IX.

HIppocrates ſiue Polybus ij. περὶ νουσῶν inſcripto libro inter alios pene incognitos, quos nominat morbos, vnum memorat ἄρθρα τοῦ σπονδύλου ἀπαχθέντα. cùm autem Galenus primo de articulis, atque ante ipſum Erotianus in Onomaſtico tradiderint ſic vocari ſolas oſſium cōiunctiones, aut vbi oſſa cōiunguntur, nō cauum, ſed alterū

capitu-

capitulatũ,atq.cauũ ſubiens,quomodo in pulmonibus oſſiũ penitus expertibus huiuſmodi cõiunctio adaptari queat, ignoro. neq. vero ſatisfacit mihi,quod Gal.8.de vſu partium c. 14.ἐπίφυσιν cerebri articulatam dixerit,quoniã illud quidẽ καταχρηστικῶς dici potuit,at articulos pulmonis dicere conuulſos, nullam praeſertim in Hippocrate veriſimilitudinem habet: quare multo ſatius eſt exiſtimare, loci illius deprauationem aut ab omnibus interpretibus ignoratam, vel ſaltem diſſimulatam fuiſſe,cùm non ἄρθρα,ſed ἄορθρα legi debeat.Galenus enim in vocum Hippocratis explanatione ita memoriae prodidit: Ἄορθροι τὸ ἀπηρτημένον τοῦ πνεύμονος μέρος ἑκατέρωθεν, ὡς ἐν τῷ περὶ νούσων τῷ μείζονι, ἔτι δὲ καὶ ἀορτέων τὸ αὐτὸ τοῦτο ἐνίοτε καλεῖ, ὡς Διοσκουρίδης οἴεται, οὐ πάνυ δὲ σαφές ἐστιν. ideſt: *Aορτροι eſt pars vtrinque à pulmone dependens, quemadmodum in maiori de morbis libro (hic enim eſt liber* περὶ τῶν ἐντὸς παθῶν, vt Galenus docet 3. de articulis, tex. 18.) *Appellat autem interdum etiam* ἀορτέων, *vt Dioſcorides putat, ſed non admodum manifeſtum eſt.* Quae vero ſint illae partes vtrinque à pulmone dependentes, & ſi clare explicatum non inueniam, eius tamen ſum ſententiae, Hippocrati pulmonis aſperas arterias bronchia vocatas ſignificare: nam in libro de locis in homine, vbi haec leguntur, φθίσις δὲ γίνεται, ὅταν ἐς τὸ αὐτὸ ὥσπερ τῷ ἐμπύῳ ὁ ῥόος γένηται διὰ τοῦ βρόγχου, καὶ τῶν ἀορτέων, αἳ ξυνέχουσι τὸν πνεύμονα καὶ τὸν βρόγχον, Vetus codex manuſcriptus habet ἀορτρέων. Sicut etiã paulò infrà, vbi in vulgaris legitur, ἐχούσας τὰς ἀόρτας, ſcriptum eſt ἀόρτρας. Pollux quoq; lib. 2. & Erotianus ex Epiclis, & Lyci Neapolitani ſententia ἀόρτρας Hippocrati ſignificare bronchia pulmonis, & aſperae arteriae clariſſimis verbis docuerunt. Adeo vt cum ἄορθρα ἀορταὶ & ἀορτραὶ idem ſint apud Hippocratem, ſi ita locus ille ſecundi de morbis corrigatur, quem morbum intelligat, non obſcurũ amplius futurum eſt; atque eò magis in hac ſententia confirmor, q in libro de internis affectionibus, de vlcerata pulmonis arteria prius tractat, mox de conuulſa, haud ſecus atque in ſecundo de morbis. Idem Hippocrates in primo de acutis libro de ijs pleuriticis ſermonem faciens, qui alioquin male habentes importuno ptiſanae integrae vſu moriũtur, eos ſcribit à veteribus putatos eſſe βλητοὺς id eſt, ictos, duas ob cauſſas, tum quòd mentis laeſione, atque ſpiritus difficultate tenerantur, tum quòd vbi interierunt, ea lateris parte, qua inflammatio & dolor fuit, macula veluti ſanguinis eo attracti, & ſubinde refrigerati atque congelati apparet, haud ſecus atque in ijs conſpici ſolet, qui aliqua parte percuſſi ſunt. In Coacis quoq; inſcriptis praenotionibus cùm loqueretur de peripneumonicis, hac ſententiã

protu-

protulit. *Si igitur vehementer inflammentur appendentes vtrinq. pulmonis partes, vt in latus incumbat, reſoluũtur ea parte corporis, quae morbo reſpondet, & liuores ſecundum latus fiunt. Hos autem veteres* βλητοὺς *id eſt: ictos appellabant.* Ex quibus verbis conijcio Latinos quaſi Graecorum imitatores, lateris dolorem telum nuncupaſſe, & proptereà à Sereno medico ſic ſcriptum inueniri.

Eſt & vis morbi, quod telum commemoratur,
Cùm ſubitò dolor inſanus furit incitus ictu.

Quanquam Iſidorus lib. quarto Originum cap. 6. ſcribat, lateris dolorem eſſe vocatum telum, quòd dolore corpus tranſuerberet quaſi gladius. Quare, vt alias ſcripſi, mirari ſatis non poſſum, quomodo Stephanus Athenienſis in primo com. in Hippocratis prognoſt. tex. v. prodiderit, etiam eos, qui peſte interempti maculas in corpore habent, βλητοὺς, quaſi à Deo percuſſos, & caſtigatos eſſe vocatos, niſi placet quoſcunque ſimilibus cum maculis mortuos ſic eſſe vocatos, quemadmodum Hippocrates ſeu Polybus in iij. de morbis libri initio βλητοὺς pariter vocatos docens, qui ob cerebri morbos mente capti cito pereant, in eam ſententiam dicit varijs morbis iugulatos eſſe βλητοὺς appellatos, modò mente laeſi, atque citò interirent. Sic enim apoplexia mortuos gutta, & percuſſione occidi vulgus quotidie dicit.

Gazae errores in Ariſtotele detecti de ſtrumis. Ariſtoteles correctus. Varronis locus de Faſcino interpretatus. CAP. X.

IN ijs qui a natura excarnes & graciles ſunt, venas maiores eſſe, ac propterea magis conſpici apud medicos omnes compertiſſimum eſt, ſecus autem fit in ijs, qui vel morbo, vel alia aliqua ratione emaciantur: quippe quibus & venae, & nerui cùm ſimul extenuentur, eas minus ob exilitatem apparere rationi conſentaneum eſt, idq; cum ſignificare nobis voluiſſet Ariſtoteles 3. de hiſt. animal. cap. 16. his verbis vſus eſt. ἔστι δὲ διαιρετὴ σὰρξ πάντη, καὶ οὐχ ὥσπερ τὰ νεῦρα καὶ αἱ φλέβες ἐπὶ μῆκος μόνον: λεπτυνομένων οὖν τῶν ζώων ἀφανίζονται, καὶ γίγνονται φλέβια, καὶ ἶνες, εὐβοσίᾳ δὲ πλείονι χρωμένων πιμελὴ ἀντὶ σαρκῶν. Quae neſcio quo ſpiritu doctiſſimus Gaza ita peruertit, vt quod nunquam Ariſtoteles ſomniauit, nec vlla ratio patitur, cum traducat, quaſi in animalibus graciIeſcentibus

tibus carnem aboleri, atque in venas, & fibras tranſire dixerit. Non minus videtur Gaza caecutiſse in alijs duobus locis; lib. 8. de hiſt. animal. cap. 21. & 23. in primo enim cum Ariſtoteles de morbis ſuũ verba faceret; prae caeteris duo genera eos malè habere ſcribit, & vtraque κραύγαν dici, quorum alterum eſt capitis dolor, alterum vero alui pro fluuium: vbi quomodo vocem illam κραύγαν Gaza verterit ſtrumã, ſane diuinare non poſſum: id quidem ſcio dolorem capitis, & alui profluuium paulò minus a ſtrumis differre, quàm ſcabiem a podagra, cum illae nihil aliud ſint, quam tumores duri in ceruice potiſſimum, & collo orti, χοιράδες a Graecis vocati, vt notat Aetius lib. 15. cap. 5. quod in porcorum gutture huiuſmodi tumores adenoſi ſtrumis ſimiles reperiantur. Iam verò in xxiij. cap. eiuſdem libri Ariſtoteles cum de morbis boum gregalium tractaret, duobus eos ſollicitari tradit, podagra, & altero, quod κραῦρος λέγεται: quem cur ſtrumam interpretatus ſit Gaza plane ignoro, eò magis quod & ſtrumam & febrem in bobus idem eſse dicentem Ariſtotelem facere clare videtur. quod porro in Ariſtotelis codicibus Graecis legitur de ſuibus κραύγαν, emendandum eſse κραυρὰν ſeu potius κραῦρα, & antiquus interpres, & Trapezuntij translatio, & eadem vox alibi praeſertim cap. 23. octaui de hiſtorijs animal. vſurpata teſtatum faciunt. eam verò ſicut in bobus febrem ſignificare prodit Ariſtoteles, quòd forſan bubulcorum vocabulum eſset, ſic in ſuibus & capitis dolorem, & alui profluuium, non autem, ſtrumam, quae aliud genus morbi eſt, tam in hominibus, quam in belluis, apud ruſticos ſignificaſse, atque ſecundum eos eſse Ariſtotelem locutum veriſimile eſt. Cur autem Gaza in hunc ſcopulum turpiter impegerit, Plinij, quem in omnibus ſequi conſueuit, auctoritatem effeciſse exiſtimo. hic enim cum lib. 8. cap. 51. ſues duobus potiſſimum morbis obnoxios eſse, nimirum anginae, & ſtrumis ſcribat, ipſum idem putauit Gaza docere, quod Ariſtoteles. Qui eoſdem broncho tentari, & alio genere, quod κραῦρα dicitur, ſcribit, vnde & bronchum, anginam & κραῦραν ſtrumam vertit: qua voce cum etiam vtatur Ariſtoteles cap. 23. eiuſdem libri, ſimiliter quoque transferendam iudicauit; ſed ſi hac in re Plinium ſequi voluit Gaza, dupliciter lapſus eſt, tum quia bronchos Ariſtoteli, & angina Plinio minime eadem eſt, cum eum morbum dicat Philoſophus fieri in qualibet corporis parte, angina vero circa fauces tantummodo oriatur, tum quia ſtruma Plinio, vt & Columellae lib. 7. cap. 10. & Vegetio lib. 2. cap. 23. & omnibus Latinis mulomedicis longe aliud morbi genus eſt, ac τὸ κραυρὰν. Nec ipſi quidquam fauet, quòd Ariſtoteles nullo alio in loco

ſtruma-

ſtrumarum mentionem faciat; minimeque veriſimile videatur, morbum ita in ſuibus praecipuum ab ipſo fuiſſe praeteritum, quoniam hic morbus minime eſt inter lethales, de quibus tantum ſibi erat ſermo inſtitutus. ad haec ſi huiuſmodi aegritudinem nominare ſibi placuiſſet, aequum erat vt proprio vocabulo χοιράδος, non alieno & inuſitato vteretur. Quare Albertus Magnus malè hoc in loco à Sueſſano reprehenditur; cum ſatius ſit, vt & ipſe, & interpres antiquus, atque Trapezuntius egerunt, nomen Graecum eo in loco retinuiſſe, quàm vt Gaza, Latinum inepte & indecenter adpoſuiſſe. ab equis ad aſinos, vt eſt in prouerbio. M. Varro 6. libro de lingua latina cuiuſdam antiquae conſuetudinis mentionem facit, qua pueris ad auuerruncandas faſcinationes, collo res turpiculas appendebant. Huiuſmodi vero res turpes fuiſſe veretri imaginem ex aliqua materia conflatã multi exiſtimarunt. Ego vero potius omnem rem turpem a Varrone ſignificatam eſſe, atque inter alias illius herbae radicem, quae Satyrion orchis vocata eſt, ex eo puto, quod Plinius lib. 26. cap. 10. eam faſcinis vtilem prodit. Quod ſi ab Horatio, & in luſibus Virgilianis Inguen appellatum faſcinum inuenitur, alia ratione, quam hoc loco explicare vetant boni mores, factum eſſe pro certo habeo. Cur autem veteres huiuſcemodi remedio ad faſcinantium vitandas noxas tantum tribuerint, non alia potior apud me ratio eſt, quàm quod pueros oculis attente intuentium, & ſermonibus nimis laudantium male affici credebant; vt ex Plutarcho v. Sympoſ. vij. & ex Alexandro ij. probl. quinquageſimo probl. alijſque plurimis clariſſime comprobatur. Iam verò turpes res collo appenſas, ac ſubinde ſtatim oculis occurentes poſſe eos ab aſpectu & intenta puerorum intuitione repellere, ſimulq; animos à laudibus, & ab admiratione, ac proinde a faſcino deflectere, nemo dubitare debet; Vt forſan hac ratione moti ſerui illi, cum Aeſopum (quemadmodum in eius vita legitur) vidiſſent omnium hominum turpiſſimum, dixerint, ab hero pro domus faſcino emptum fuiſſe.

Quid fuerit per circulos Methodicorum curare. Quae apud Hippocratem pituita antiqua, recens, & epidemia. Quod ſalſamentum Graditanum. CAP. XI.

INter caetera quae legimus apud methodicos medicinae ſectatores obſcura dogmata, illud non poſtremum eſt, quod apud Caelium Aurelianum, atque alios inuenitur, nimirum circulis fieri ſolita curatio. Vt enim Syneſiũ in Graecis ſcriptoribus non ignobilem omittam, qui in Caluitij encomio hunc in modum ſcribit, οὗτοι μὲν σοῦ εἰσὶν οἱ ταῦτα δυστυχεῖς, οἱ τοὺς καλουμένους κύκλους ὑπὸ τῶν ἰατρῶν ὑπομένειν ἀναγκαζόμενοι. Eſt quoque Vegetius apud quem lib. veterinariae artis 2. cap. 6. ſaepius huiuſcemodi cycli etiam in curandis brutis habetur mentio. Vt autem conijcere licet ex Caelio Aureliano cap. 1. lib. 1. de tardis paſſionibus, cyclus erat quidam rerum ad victus rationem, aliamq. curationem pertinentium ſtato dierum tridui potiſſimum ordine conſtitutus vſus, quem propter duos fines adhibebãt vel ad reſumendas vires, & ἀναληπτικὸν κύκλον, ſiue reſumptiuum circulum vocabant: atque hic potiſſimum in ciborum, & exercitationum recto vſu verſabatur, vt ex Galeno quoq; περὶ τῆς ἀναληπτικῆς ſic loquente intelligere licet: vel ad corpuſculorum in ſua loca reductionem, & hũc μετασυγκριτικὸν, id eſt recorporatiuum appellabant, quem & victus ratione, & medicamentorum adminiſtratione perfici ſolitum ex Paulli Aeginetae c. 63. lib. 3. colligitur: quanquam Galenus ſecundo de med. localib. c. 2. doceat, metaſyncriticam curationem eam fuiſſe, ad quam alijs remedijs fruſtra tentatis, tanquam ad ſacram anchoram recurrebãt, nam Methodici Aſclepiadem, Soranum & Themiſonem eius ſectae principes ſectati, in ea fuere opinione, ſanitatem in corpuſculorum apta commixtione, & meatuum ſymmetria poſitam eſſe: aegritudinem verò in eorundem à proprijs meatibus receſſu, & ad praeter naturalem ſtatum tranſitu, vnde medicamenta id praeſtantia μετασυγκριτικὰ nuncupata inueniuntur, quãquam hoc nomen etiam alij medici, Galenus ſcilicet, Oribaſius, Paullus, Aetius, tranſtulerint ad ea remedia, quae ſua vi humores ab altioribus partibus ad extimas trahunt,

bunt, quaſi hoc quoq; ſit corpuſcula in proprias ſedes atq; meatus quodam pacto reducere, in quo ſanitatis amiſſae recuperationem eſſe poſitam ijdem methodici profitebantur, vt prae caeteris hac de re copioſe ſcribit Galenus cap. 4. lib. 3. methodi medendi.

Inter res aliquo pacto obſcuras collocari quoq. poteſt pituita epidemia, antiqua, & recens, quarum mentio habetur apud Hippocratem in lib. περὶ τῶν ἐντὸς παθῶν. Caluus enim cum videret voci ἐπιδήμιον, vocē, νεώτατον, eſſe ab Hippoc. oppoſitam, eam pro vetuſta interpretatus eſt, cuius ſententiam eò minus cogor probare, quod eodem in lib. paullò infrà etiam antiquae pituitae quam albam vocat, mentio habetur. Pituitam neſcio quam à Platone in Timaeo eſſe nūcupatam recentem, ſeu nouam, cuius etiam meminit Hipp. non ignoro, cum albam pituitam ex recente carne eliquata, & in ampullas cōuerſa fieri docens ita ſubiungit. φλέγματος δὲ νέου συνισαμένου ὀρρὸς ὕδρωψ καὶ δάκρυον. Non me pariter latet ibidem ex vetuſtiſſima carne eliquata bilem atram, ex noua autem flauam fieri ſcriptum eſſe. Verum quis auctor ἐπιδημείου φλέγματος meminerit, nunquam obſeruare mihi licuit. Itaque ſuſpicor pituitam nouam humorem crudum eſſe à Galeno vocatum: antiquam verò quam & albam medici vocant, eam eſſe, quae alicubi firmata ſit in corpore, ſicuti epidemiā, quae huc atq. illuc perlata nullibi firmam ſedem habet, ſed vagatur in corpore. in qua ſententia tum maximè confirmor, dum conſidero ab Hippocr. poſt curationem ἐπιδημίου φλέγματος, eius quae in ventre ſit firmata, pituitae curationem proponi. Eodem in lib. Hippocr. curationem inſtituens illius hydropis, quae vitio lienis contingit; Gaditanum ſalſamentum commendat, cuius quoq. mentio habetur apud Athenaeum 3. lib. Dipnoſoph. quid autem ſit Gaditanum ſalſamentum explicatiſſimè docuit Oribaſius c. j. lib. 4. collect. vbi ſcribit, laudatiſſima omnium ſalſamenta fuiſse Gaditana; quae Sardae ſuo tempore vocabantur. ſic etiam Galenus 3. de alim. fac. Sardas inter ſalſamenta cunctis alijs praetulit. Vnde qui dubitant, an Sardae in Oceano gignantur, hanc rem ignoraſſe planè comprehenduntur. Apud Gades narrat Strabo paſcua eius bonitatis fuiſse, vt pecora caſeum abſque ſero faciant, ac propterea cogantur opiliones prae pinguedine lacti aquam adfundere, ſi coagulari caſeus debet.

De

De Arquato morbo. Eraſiſtrati locus de Scythis. Quomodo homo poſſit diu ſine cibo viuere, Plinij locus explicatus. CAP. XII.

Veterum complurium eam reperio fuiſſe ſententiam, illis, qui arquato morbo laborant, omnia crocea, ſeu lutea videri. Varro in Eumenidibus. *Nam vt arquatis & veternoſis lutea quae non ſunt, atque vt quae ſunt lutea videntur.* Lucretius in 4.

Lurida praeterea fiunt quaecunque tuentur
Arquati.

Sextus Empiricus ſimiliter primo Pyrrhonicarum hypot. bis aſſerit ictericis omnia videri pallida. & Caſſius Medicus Prob. 26. ita ſcribit. *Sic auriginoſi externos imaginantur colores, pro affectus in oculis conſiſtentis ratione.* Poſt quos etiam Galenus noſter lib. primo de cauſſis ſympt. cap. 2. & lib. de oculis Part. 4. cap. 6. ictericis omnia tũ apparere flaua, cum tunica oculorum cornea, bile rubea cum ſanguine infecta eſt. Caeterum neque Hippocrates neque Celſus, neque Caelius Aurelianus, neq; alij multi, immo verò neque Aetius, neque Auic. qui diligentiſſimi in ſignis huiuſce morbi proponendis fuerũt, quidquam hac de re meminerunt, niſi quòd Auicennas li. 3. fen. 31. tract. 4. cap. primo, & Auerroes 3. col. 38. neſcio quid huiuſmodi inſinuaſſe videntur. Vt, cum nec ipſe (qui innumeros ictericos, quorũ oculi maximè flaui erant, curaui) obſeruauerim vnquam ipſis quae videbant, crocea, aut pallida apparuiſſe, nec quenquam alium medicum intellexerim, qui illud obſeruauerit: de veterum fide (quos forſan ſine experientia ſecutus eſt Galenus) parum dubitare cogor. Niſi dicere placeat hoc interdum contingere, ſed rariſsimè, atque tum ſolum, quando tunica cornea bile tota eſt ſaturata. Hippocrates in calce libri de principijs, ſeu vt eruditiſsimus Zuiggerus eum librum diuiſit, in lib. περὶ αἰῶνος haec ſcripta reliquit, εἰ τις ἐθέλει ἑπτὰ ἡμέρας φαγέειν ἢ πίνειν μηδὲν, οἱ μὲν, πολλοὶ ἀποθνήσκουσιν ἐν αὐτῇσιν: εἰσὶ δὲ τινες, καὶ οἱ ὑπερβάλλουσιν, ἀποθνήσκουσι δ᾽ ὅμως. Quam ſentẽtiã quaſi digito indicãs Plinius in poſtremo c. 11. libri, dixit inediam ſeptimo die nõ eſſe lethalem, cũ aliqui etiam vndecimã ſine cibo & potu attigerint. Hoc enim videtur etiam Hippocrates voluiſſe, homines quidem poſſe abſque potu & cibo vltra ſeptimanam durare, ſed paullò poſt occumbere:

cumbere: quod etſi cibum capiant, venter tamen tamen eũ recipiat, cum ieiunum inteſtinum prae inanitate ſimul coaluerit: inteſtina autem exinanita in ſeipſa contrahi, ac propterea nec cibum capere, nec deſiderare ex Eraſiſtrati lib. primo διαιρέσεων (cuius loci etiã alibi eſt mentio a me facta) confirmauit Gellius c. 3. lib. 16. cuius verba, quoniam alibi non leguntur, atq; eruditionem antiquam prae ſe ferunt, hic libenter ſubiungam, ἐλογιζόμεθα οὖν παρὰ τὴν ἰσχυρὰν σύμπτωσιν τῆς κοιλίας εἶναι τὴν σφόδρα ἀσιτίαν. καὶ γὰρ τοῖς ἐπὶ πλεῖον ἀσιτοῦσι κατὰ προαίρεσιν ἐν τοῖς πρώτοις χρόνοις, ἡ πεῖνα παρακολουθεῖ, ὕστερον δ᾽ οὐκ ἔστι. deinde paullum infrà: εἰθισμένοι δὲ εἰσι καὶ οἱ Σκύθαι, ὅταν διά τινα καιρὸν ἀναγκάζονται ἀσιτεῖν, ζώναις πλατείαις τὴν κοιλίαν διασφίγγειν, ὡς τῆς πείνης αὐτοὺς ἧττον ἐνοχλούσης. σχεδὸν δὲ καὶ ὅταν πλήρης ἡ κοιλία ᾖ, διὰ τὸ κένωμα ἐν αὐτῇ μηδὲν εἶναι, διὰ τοῦτο οὐ πεινῶσιν: ὅταν δὲ σφόδρα συμπεπτωκυῖα ᾖ, κένωμα οὐκ ἔχει. Qui verò Scythae ad tolerandã inediam latis cingulis ſibi ventrem arctè ligarent non ſatis compertum habeo: cum Hipp. in lib. de Aere, aquis, & locis, memoriae mandarit Scythas corpora fluida ac lata habuiſſe, quod corpora faſcijs nõ ligarent, vt Aegyptij. Niſi dicamus id ab Hipp. de quotidiano Scytharum vſu proditum, vt veriſimile ſit, cùm ipſi alioquin non praecincti incederent, tempore famis ſuſtinendae cinctos incedere cõſueuiſſe. Et quanquam Hieronymus Cardanus de infantibus, quòd faſcijs nõ ſtringerentur apud Scythas, locutum Hipp. velit, ego tamen id ſentire non poſſum cur potius Aegyptijs comparet, quam alijs nationibus, quarum pleraeq; infantes faſcijs ligare in more habuerunt. Vtcunq; ſit, à pleriſq; veteribus teſtatum inuenio, non defuiſſe qui ſine vllo cibo pluribus diebus vitam traduxerint. Id enim in primis ex Ariſtotelis ſententia affirmauit Olympiodorus in comm. ad Phaed. Pla. Plutarchus quoq; 8. Symp. 9. Tymonis auiam memorat cõſueuiſſe ſingulis annis per plures menſes in Ciliciae cauernis abſq; vllo cibo latere. Albertus magnus lib. 7. de anima, & ipſe refert ſe vidiſſe melancholicum quendam, & mulierem, qui pluribus ſeptimanis ſine cibo vixerunt: ne in medium adferam quod tempeſtate noſtra de puella Germana, quae duobus annis ſine cibo vixit, à compluribus literis conſignatum, & diſputatum eſt. multa quoq; huiuſmodi naturalia exempla recenſuit Gregorius Lilius Geraldus in lib. dialogiſmorum. Neq; verò hoc prorſus à ratione alienũ mihi videtur quoniam vt animalia hieme latentia nihil edunt, & tamen ſuperuiuunt, tum quia extrinſecus occluſo corpore nulla fit euaporatio, nulla penè inteſtini humoris conſumptio, tum quia magna ipſis anteacto tẽpore accumulata eſt crudorum ſuccorum copia, quae ad ſuſtentan-

dam pluribus diebus vitam ſola ſufficere queat, ſic non inconuenit reperiri poſſe homines, qui hiſce de cauſſis & viuere diu valeant, & carere cibo externo cùm internum habeant. vt verè miraculum fuerit Chriſti ſeruatoris noſtri, & Moyſis ieiunium, quorum corpora cùm eſſent ſana & quam temperatiſſima, naturali ratione quadraginta totos dies ſine cibo minimè ſuperuiuere potuiſſent. Quod autem Plinius ibidem ſcribit, vnum hominem perire inexplebili ſemper eſuriendi (malim eſuriendo) auiditate, non admodum intelligo: niſi appetitum caninum à medicis appellatũ ſoli homini lethalem eſſe velit. nam etſi canes, aliaq; complura animalia eo famis genere tentẽtur: haudquaquam tamẽ ab eo vt homines iugulantur. Nam Gal. 3. ca. 6. de locis affect. ſeleucidas aues in Aſia eſſe ſcribit, quae locuſtas iugiter edant, caſq. celeriter excernant. Quod vitij genus alijs quoque animalibus eſſe naturale perhibet, vt hac ratione inter brutorum morbos à veterinarijs minimè hic recenſeatur.

Locus Hippocratis & Galeni examinatus. Qui brocci. Loca Plinij expenſa. CAP. XIII.

HIppocrates 3. ſect. 6. Epidem. Tex. 28. hoc oraculum ſcriptũ reliquit ὀλιγοσιτία, ἄκοπον, ἄδιψον: quo antiqui interpretes ſapientiſſimum ſenem nihil aliud docuiſſe arbitrati ſunt, quam eos qui modice cibos capiunt, neq. ſiti neque laſſitudine admodum tentari. Horum aũt ſententiam ea ratione in commentario refutare conatus eſt Galenus, quòd etſi cibi parcitas pituitoſis naturis, atque ſanguine optimo praeditis conferre poſſit: minimè tamen eam omnibus vtilem eſſe, praeſertim verò bilioſis & indigentibus, ab ipſomet Hipp. in lib. de ratione vict. acut. proditum eſt. Atqui ſi magnam Aphoriſmorum Hipp. partem expendamus, paucos omnino inueniemus, in quibus ſententia ex toto vera comperiatur: vt aliqui etiam ſint, qui vix in vno vel altero veritatem habeant, quemadmodum ipſemet Galenus longo ſermone teſtatum fecit 2. Aphor. 21. 6. aph. 31. atque alibi ſaepe. Quare veterum interpretatio mihi multò magis probatur, quàm Galeni dicentis, in ea ſentẽtia Hippocratem nos monere voluiſſe, vt in omnibus quae agimus, cibi parcitatem, ſitis atq; laſſitudinis carẽtiam propoſita habeamus. Etenim gladio quo in alios vſus eſt, feriri poteſt: nimirum haudquaquam cunctis commodum eſſe, vt cibo parco vtantur, cum multo

calore

calore natiuo praediti, multum quoq. cibum (vt ait Hippoc.) requirant. Accedit & illud, huiuſmodi ſententiam atq. phraſim illi comparem eſſe 6. epid. com. 4. tex. 28. Ἀγρυπνίᾳ ϐορρὸν, τὸ ὕδωρ βορρόν, quam non alio modo interpretandam eſſe voluit Galenus, quàm hanc veteres exponebant. Id itaq. ſtatuatur, cibo parcè vtentes neq. ſiti neque laſſitudine vexari, quod facta modici cibi recta coctione atq. diſtributione, totius corporis partes irrigentur, alanturque: ſicuti, qui nimio cibo vtuntur, in coquendo laborantes, ſimul ſitiunt & veluti onere grauantur. Vnde malè Lucretius in 4.

Nec refert quidquam, quo victu corpus alatur,
Dum modo quod capias concoctum didere poſsis
Artubus, & stomachi humectum ſeruare tenorem.

Malè etiam Celſus in ſuae medicinae initio, ſemper multum eſſe edēdum, dum modò cōcoquatur, conſulebat. A ſiti ad labia in potus vſum & ipſa à natura excogitata tranſeo. Nam labeones inuenio veteribus appellatos, qui vtraq. labia tumida & prominentia haberēt: Broccos verò, qui ſuperius tantum. In gloſſario vetere Brochus ὁ τὸ ἄνω χεῖλος ὠδηκώς. Quare Plinium lib. 11. ca. 37. ita puto intelligendum, labra à quibus Brocci labeones dicti. Iam verò Broncos alios eſſe perſpectum eſt, tum ex Nonio in voce Bronci, tùm ex Varrone 2. de re ruſtica, qui ambo tam dentes prominentes & inflexos, quam eos, qui huiuſmodi dentibus ſunt, Broncos vocant: ob quod paullò infrà apud Plinium vbi de equorum aetate ex dentibus cognoſcēda loquitur broncitatem, non bronchitatem legendum puto. Simplicitatem Plinij in eodem capite quin detegam facere non poſſum, qui dentibus ex eo virus quoddam ineſse probat, quod ex aduerſo nudati, nitorem ſpeculi hebetent. Etenim id minimè vlla virulentia faciūt ſed quia vbi nudantur, halituoſus ſpiritus ore, per dentium interſtitia manans atq. ſpeculo denſo allidens, concreſcit, humorq. factus ſuperficiei obducitur: vnde imagines minime purae amplius reddi poſsunt, donec humor ille detergatur. Illud verò ibidem obſcurè ab ipſo ſcriptum eſt, cùm ita ait. *Sed in felle nigro inſaniae cauſſa homini, morſúq. toto reddito.* Nam bilem flauam incendio viſcerum combuſtā atq. nigram redditam ſcio, & maniam & necem inferre: ſed vt ſola eius portio haec omnia facere apta eſt, ſic minime tota vnquam cōburatur & atra euadat, ſed forſan pro, toto reddito, voluit Plinius id intelligere, quod medicorum filij docent, nempe vomitus, & egeſtiones nigras eſse exitiales, quanto ſunt copioſiores.

Locus Ariſtotelis explicatus de pinguibus corporibus. Tertulliani locus declaratus de fungo aurium, & emendatus. De fungo lucernarum Cornarij error. CAP. XIIII.

ARiſtoteles quinto cap. eius libri quem de breuitate, & diuturnitate vitae inſcripſit, cùm conditiones humidi illius quo vita viuentibus prorogatur, proponeret, primo loco conſtituit eius firmitatem, vt nimirum difficilè exſiccetur, atque ea propter τὰ λιπαρὰ ἄσηπτα. id eſt pinguia putredini minus ſubiecta eſſe, cùm aere q minimè putreſcit, plena ſint, explicatiſſimè ſubiunxit. Quoniam verò vſu quotidiano compertum eſt, carnes quò ſunt pinguiores, eò celerius putreſcere, ac ipſemet Ariſtoteles 2. de part. animal. cap. 5. animalia quae pingueſcunt, citius ſeneſcere, atq; ſubinde (quod Hippocrates quoque in Aphoriſmis memoriae prodidit) interire teſtatus eſt, interpretes magnoperè laborarunt, vt ſummũ philoſophũ à falſi crimine vindicarent: ſed neminem adhuc qui ſit eius accuratè mentem aſſecutus, mihi legere contigit, itaq; ſtatuendum eſt ante alia vocem hanc λιπαρὰ, qua vſus eſt Ariſtoteles apud omnes probatos ſcriptores non quaeuis pinguia ſignificare, ſed ea tantummodò quae oleóſam pinguedinem habent. id & ipſemet manifeſte ſignificauit, cap. 10. lib. 4. meteorolog. vbi cùm fuligines ἐκ τῶν πιόνων, nidorem verò ἐκ τῶν λιπαρῶν manare dixiſſet, in fine tandem capitis ait, olei & oleoſorum omnium eſſe nidorem, vt manifeſtum ſit nomine λιπαρῶν, ab ipſo oleum oleoſaq. corpora cõprehendi: iam verò oleum nempe aere plenum à putredine liberum eſſe omnes illi ſciunt quos ſimul etiam non latet, oleum vltra centum & plures annos durare, aliaq. corpora ſibi immerſa imputria conſeruare. Quòd ſi etiam arbores, quas oleoſas Plutarchus 6. probl. 2. Sympo. & alij complures ſcriptores nominant, expendamus, vt eſt Larix, pinus, cupreſſus, cedrus, quis neſcit omnium viuaciſſimas, perpetuò frondentes, minuſq. alijs putredini obnoxias eſſe, quinimmo & oleã ipſam viuaciſſimam eſſe, vltraq. ducentos annos durare Plinius exẽplis propoſitis narrat in extremo ca. lib. 16. Cedriam quoque, quae eſt cedri arboris oleum, vt tradit Galenus 4. de ſimpl. med. à putredine corpora tueri omnes ſciũt: vt facile à contradictione Ariſtotelem

lem vindicare liceat, ſi vbi pinguibus viuacitatem attribuit, de oleoſis eum loqui ſtatuamus: de alijs autem, quando pinguia facilè putreſcere atque mori ſcribit. Oleoſorum mentione inuitor, vt hoc in loco aliqua proferam de fungo aurium, cuius meminit Tertullianus, cap. x. lib. de ſpectaculis, hunc in modum. *Tales enim cicatrices caeſtuum, & callos pugnorum, & aurium fungos à Deo cum ſuo plaſmate accepit.* Eſt itaque eo in loco fungus (vt ego puto) genus id tumoris laxi, qui à Graecis vocatur ἧλος, ſiue clauus, ſeu abſceſſus, quique ſicuti fit ab humoribus craſſis in parte carnoſa collectis, ita quoq; fit ex contuſa carne in ichorem pituitoſum reſoluta: huiuſmodi namq. tumorem in olea arbore, fungum vocari perhibet Plinius lib. 17. c. 24. quem puto imitatum Tertullianum vocaſſe fungum eum tumorem, qui dum loci circa aures vehementer percutiuntur, ex contuſa carne, vel pituita eò attracta producitur, eò quòd mollitie tumida fungi laxitatem & figuram aemulatur, quo pacto forſan ibidem vocauit ſpongias Retiariorum. Nam & ob eiuſmodi ſimilitudinem homines bardos & ſtupidos vocari à Plauto fungos, ab alijs pulmones ſcimus: quemadmodum etiam Virgilius vocauit fungos recrementa circa accenſam lucernam, ad fungi formam concreta, vt irridere liceat Cornarium, qui in fine lib. 3. comm. med. turpiter exiſtimauit Plinium lib. 18. cap. vltimo, & lib. 28. cap. 2. de huiuſmodi fungis loquentem, de terreſtribus fungis locutum eſſe, quaſi illis veteres pro lucernarum ellychnijs vterentur, & de ijs ſermonem faciat Plinius, quem etiam lippis notum eſſe poteſt, de recrementis circa lucernas concreſcentibus verba facere. ſed etſi haec de fungo aurium ad Tertulliani locum probari queant, illud tamen dubium eſſe poteſt, an aurium legendum ſit, quòd antecedentibus verbis inſtrumenta malo iungentibus minimè ea vox videatur commoda; vnde forſan loco, aurium, praeſtaret, rudium, legere: etenim conſtat ex Suetonio in Caligula cap. 32. & Lampridio in Commodo: gladiatores rudibus id eſt ligneis virgis depugnare conſueuiſſe, quarum percuſſionibus fungos ſeu tumores inducere ſolitos fuiſſe, rationi conſentaneũ eſt. Nam Gal. quoq; lib. 1. de loc. affect. cap. 1. & Auic. p. 3. trac. 4. cap. 14. in fracturis capitis naſci fungos tradunt, quando membrana cerebrum cingens affecta eſt. Vt autem Athletae inter luctandum huiuſmodi fungos vitarent, auribus tegmenta adhibebant, quae Pauſanias & Plutarchus Amphotidas eſſe vocata perhibent.

De herba ad venerem faciente. De quibuſdam venenis. Error Galeni de plumbi natura. Plumbum oculi vitium apud Plinium. Quid ſit paralyſis, & phthiſis Tertulliano. CAP. XV.

QVi rerum Indicarum, & earũ praeſertim, quae orbe veteribus etiam non ignorato, ſed à recentioribus ſaltem indicato, obſeruantur, hiſtorias memoriae prodiderunt, inter alia referunt eas gentes herbae cuiuſdam Amfiam appellatae vſu mirificè ad Venerem exercendã potentes fieri: quam qui exiſtimarũt opij ſuccum eſſe, eos longe à veritate recedere arbitror, quod Venus calore conſtet, opium autem frigidum ſit. Sed cum animaduertam Theophraſtum ſcriptorem naturae rerum inſignem, cap. 20. lib. 9. de plantis feciſſe mentionem cuiuſdam Indi, à quo herba adlata tam eſu, quam ſolo genitaliũ tactu alios duodecies in die, ipſum verò etiam ſeptuageſies venere vti praeſtabat, & indicam hiſtoriam eſſe veram, & Theophraſti aetate, & ab Indis nouiter detectis huiuſmodi herbam mitti conſueuiſſe puto. quod verò herbae genus eſſet, vt eo tempore minimè cognitum fuit, ita quoq; nũc ignorari non eſt admiratione dignum. Narrat idem Theophraſtus propoſiti lib. cap. 15. & 16. tanquam rem nouam & ferè miram, inuentã eſſe venenoſam radicẽ, quae diei ſpatio homines interimeret. Aliã verò eſſe apud Scythas, quae ſtatim guſtata interimat. At multò admirabilius eſt, quod Ioannes Len in calce ſeptimae partis deſcriptionis Africae retulit nempe in Nubia venenum naſci, cuius ſi granum decem viris praebeatur, quarta horae parte omnes interire, ſi verò vni tantum tradatur, ſtatim mori, atq; illud vendi aureis centum pro qualibet vncia, vetitum autem eſſe illud extra regionem proferre. Neq; illud ſilendum eſt, cuius meminit Nicolaus Florentinus tract. 4. ſerm. 4. cap. 6. & trac. 3. eiuſdem ſerm. ſumma 2. cap. 9. Franciſcũ Ordelaſum Foroliuij patriae meae capitaneum habuiſſe veneni genus, quod ſolo odore mortem inferret, & quo ſupra cadentes prunas iniecto, omnes circumiacentes ſtatim necarentur. Vtrum id metallum, vel quidpiam aliud eſſet, non eſt facile diuinare. Certè de metallis adijcere Iubet, ipſorum naturã, atq; generationẽ ab Ariſto-

tele

tele 3.& 4.meteorol.traditam, Galenum ignoraſſe, qui praeterquã quod apertè illud de hydrargyro ingenuè fateatur,9. de ſimpl.in plũbi tractatione ſatis apertè indicat,vbi cùm in plumbo multam aqueã ſubſtantiam,& aeriam,cum pauca terrea ponat, quis non videt, ipſum & philoſophi rationibus, qui metalla omnia ex vaporibus humidis & ſiccis,ac propterea ex aqua & terra optime percoctis & cõmixtis conſtare oſtendit, nec non ſenſui grauiſsimum eſse plumbũ non ob aliud, quam ob aquae & terrae copiam ſine aere atteſtanti contradicere? Neque vero argumenta, quibus nititur Galenus vllo pacto abſurdam huiuſmodi ſententiam confirmant, quod vel nugae ſint plumbum augeri,& mole, & pondere ſub dio poſitum, vel id ſi verum ſit,ex eo proficiſci,quod ſuperficies plumbi ab aeris ambientis diuturna actione corrumpatur: cuius corruptionis merito pars terreſtris, quae magis ab humida caſtigabatur, veluti valentior effecta maius de ſe pondus prodit, vt pari ratione etiam eos vehementer errare conſpiciatur, qui argentum quod motu illo inteſtino agatur, aereum eſse autumant, cã nihil aliud ſit,quàm ſuccus aqueus, & terreus optime percocti atq; commixti, quibus incluſus arctiſſime aer, cum exire nequeat, perennem illum motum agit, etſi ob aquae,& terrae copiam grauiſſimum eſſe manifeſtè appareat. Caeterũ quid ſit illud oculi vitium, quod plumbum vocari, atq; molybdaenae herbae facultate curari memoriae prodidit Plinius cap. 13. lib. 25. nondum mihi ſatis compertum eſt,etſi in lib. illo Galeni nomine Iſagoge inſcripto, plus centum viginti oculorum morbos legerim: poſset tamen aliquis ſuſpicari,niſi vel locus mendoſus ſit, vel aeque morbus,atque herba ignota ſint,forſan plumbum Plinio ſignificare id genus ſuffuſionum, quod coloris plumbei eſt,quodq. medici ſanabile faciunt. Si enim molybdaena,vt nonnulli ſuſpicantur, perſicaria ſit,ea ſane diſcutiendi poteſtate mirifice valet, qua in curandis ſine manu ſuffuſionibus opus eſt. Oculi vitia mihi ad memoriam reuocarunt gloſsatorum Tertulliani lapſum,qui vbi 15.cap. 10.lib.de anima ſcribit, Paralyſis mentem prodigit,phthiſis ſeruat,exiſtimarũt nomine phthiſis oculorum aegritudinem ita vocatam intelligere. Nam paralyſis, quae paſsim apud medicos partis alicuius corporis reſolutionem ſignificat,& in qua rariſsimè mens offenſa eſt, Tertulliano nulla alia eſt,quàm apoplexia nuncupata,quae cum totius corporis paralyſis,ſeu(vt Hippocratẽ,& alios appellaſſe monet Caelius Aurelianus,ac ipſemet Galenus ſecundo de ſymp.cauſis cap. ſecundo,appellauit)reſolutio ſit,proculdubio vt ſenſum,& motum ex toto auſert ſic mentem prorſus perdit:paralyſis verò nomen id quoq;

antiquitus deſignaſſe, locupletiſsimum teſtem & Tertulliano paullò vetuſtiorem habemus Cornelium Celſum, qui c. 17. li. 3. monet ſui ipſius aetate etiam tum paralyſim ſignificaſſe apoplexiam. Phthiſis autem vocabulū ita ſimpliciter prolatum nihil aliud quidpiam inuenio vnquam ſignificaſſe, quàm ex pulmonis vlcere, febre, aliave occaſione totius corporis cōſumptionem, in quo exitiali morbo corpus paullatim deficere, mentemq. inconcuſſam ſeruari quotidiana experientia vberrimè docet. Adijciam & alium Tertulliani locum, a doctiſsimis correctoribus, & interpretibus minime animaduerſum: is. n. lib. de anima cap. 51. haec habet, vngues autem cum neruorū exordia ſint &c. vbi legendum eſſe exodia, ratio, & authoris ſcopus docent, ſi quidem nullus eſt, vel mediocriter in rerum natura verſatus, qui ignoret neruos non ab vnguibus oriri, ſed in eos deſinere: vocem autem (exodium) pro fine antiquis vſitatam fuiſſe certum eſt. Nec minus miror eoſdem interpretes dubitare quis fuerit Arius eiuſdem lib. cap. 54. commemoratus, quum non videatur dubium, quin ſit celeberrimus illae philoſophiae Auguſto adeo charus, & familiaris.

De Melancholia Cicero notatus. De Veterno Plauti notata quaedam. Quid fuerit ſuſpirium quo laborauit Seneca *CAP. XVI.*

M. Cicero 3. Tuſculanarū quaeſt. libro haec memoriae prodidit, *Graeci autem maniam vnde appellent, non facilè dixerim: eam tamen ipſam diſtinguimus nos melius quàm illi. hanc enim inſaniam, quae iuncta ſtultitiae patet latius, à furore diſiungimus. Graeci volunt illi quidem, ſed parum valent verbo: quem nos furorem, melacholiam ipſi vocant: quaſi verò atra bili ſolum mens, ac non ſaepe vel iracundia grauiore, vel timore, vel dolore moueatur.* In quibus primum licet mirari, quomodo tātus ſcriptor de maniae nomine illud ignoret, quod neque neſciant grammaticorū pueri, deinde cur, dicat Graecos melancholiam vocare, quem Latini furorem appellant. Hippocrates enim & reliqui Cicerone priores medici, tantum abeſt, vt melancholiae nomine intellexerint furorem à Latinis

appella-

appellatum, vt potius apud ipſos *μανία* nihil aliud ſit, quàm ipſiſſimus furor quod etiam gloſſae veteres ſatis apertè ſignificarunt. Iam verò melancholia & mania, tametſi vtraque delirium definiatur abſque febre, id tamen intereſt, quòd melancholia à frigidis humoribus fiat, remiſſumque delirium ſit: mania verò & vehemens mentis commotio & à calidis & acribus humoribus efficiatur: quae omnia furori latinorum conuenire nemo nõ intelligit, quamquam non inficior ſemel Hippocratem xxj. lib. ſexti Aphor. maniam pro melancholia vſurpaſſe. Plautus in Menechmo introducit medicum vocatum, vt Menechmum curaret, qui priuſquam eum adeat, ſenem interrogat, quo morbo is teneatur, num laruatus ſit, an territus, num eum veternus, an aqua intercus teneat: Vbi nemo fere eſt, qui pro veterno lethargum non intelligat. Ego vero cũ videam Cornelium Celſum vbi de lethargo agit potius Graeco vocabulo delectari quã veternum nominare, ſit vt putem minimè à latinis ſic eum morbum fuiſſe vocatũ; & ideo pro veterno eam poſſe intelligi hydropis ſpeciem. quae *ἀσκίτης* à Graecis vocatur, quaeque ab aqua intercute in eo diſtingui poteſt, quod licet à Celſo omnia hydropis genera aquae intercutis nomine vocentur, tamen ſic propriè videtur appellanda eſſe ea ſpecies, quae hypoſarca dicitur, eo quòd inter carnem & cutem ſit aqua collecta. Vel id ſi non placet, phtiſim interpretari quoque licebit. Nam in gloſſis antiquis ſic ſcriptũ inuenitur. *ὕδρωψ*. Intercus, aqualis, veternũ, & rurſus veternoſus, *Φθισικὸς ὑδερωπικός*. Feſtus etiam teſtatur Catonem veternoſum appellaſſe hydropicum, vbi dixit: *Veternoſus quam plurimum bibit, tam maxime ſitit.* Apuleius pro phthiſi accepit li. x. hiſce verbis: *Totumque corium veterno, atque ſcabioſa macie exaſperanti*, & lib. x. vbi ſcribit. *Furcifer iſte venenum praeſentarium comparare ſollicitus, centúmque aureos ſolidos offerens pretium me non olim conuenerat, quod aegroto cuidam dicebat neceſſarium, qui morbi inextricabilis veterno vehementer implicitus, vitae ſe cruciatu ſubtrahere geſtiret*, niſi poſtremo hoc loco pro veterno potius torporem quendam interpretari lubeat, quemadmodum etiam pleroſque optimos latinitatis auctores inuenio, eos veternoſos appellaſſe, qui in agendis rebus ſegnes, quaſique ſomnolenti ſunt. Sic enim Cice. veternũ reipub. dixit, & Tertull. lib. de pallio: veternum ſegnitiem vocat hiſce verbis: *At qui nullis vitijs adulor, nullis veternis parco*, & lib. de animal. cap. 18. *veternoſum Platonis ſermonẽ dixit*. In Eunucho Terentius ſenem torpidum & ſegnem veternoſum appellat. Plinius quoq. in initio cap. 17. lib. 28. clarè lethargicos à veternoſis diſtinguit. Anhelitus difficultatẽ grauiſſimam, quam graeci

ὀρθοπνοίαν vocant, primus Seneca latino nomine donaſſe, eamque ſuſpirium appellaſſe videtur 57. epiſt. quo deinde etiam in brutis vſi ſunt veterinarij medici. ſed cum is malum ſuum quod ſic vocauit, intra horam deſinere conſueuiſſe tradat, certumque ſit, orthopnaeam multò diutius protrahi, valde ſum anceps, quae propriè illa fuerit aegritudo, niſi tamen dicere placeat fuiſſe quidem ipſiſſimã ſpirandi difficultatem, ſed in ea ſuffocationis periculum haudquaquam plus hora duraſſe, quanquam & cordis palpitationem fortaſſe quiſpiam fuiſſe exiſtimauerit quòd in ea non modo grauiſſima anhelandi difficultas, quaſique ſuſpiratio adſit, verumetiam ſuffocationis periculum vſque adeo praeſentaneum, vt niſi intra ſpatium horae prorſus finiatur, omnino exitium adferat, *quis enim ait ipſe diu expirat?* Cur autem medici morbum hunc mortis meditationem vocauerint, non ſatis aſſequor, nam qui id de philoſophia ſcripſit, apte quidem locutus eſt, at de anhelitus difficultate, aut ſi mauis palpitatione cordis, in quibus vix cuiquam mens ſupereſt, idem aſſerere, praeter rationem & vſum eſſe videtur, vnde forſan melius dixiſſent exercitationem, cùm (vt in antecedentibus verbis ait Seneca) huiuſmodi aegritudo nihil aliud ſit quàm animam agere.

Quis ſit panis lotus Galeno. Et aquaticus Plinio. Quid Scribonio lorum vomitorium. CAP. XVII.

QVis ſit ἄρτος πλυτὸς ſeu panis lotus, cuius meminit Galenus v. c. lib. 1. de ali. fac. & alibi cum nuſpiam ab ipſo clarè indicatum habeatur, iure & de eo, & de ipſius apparatu à rectè faciẽdae medicinae ſtudioſis nonnullis quaeri video. Nam eiuſmodi panum haud fuiſſe certum quoddam genus, ſed potius quãdam communis iam conflati praeparationẽ, phraſis & verba ipſiuſmet Gal. abunde docere poſſunt. Siquidem τὸ πλυτὸν ἄρτον κατασκευάζειν, minime de eo qui conficiatur nouiter, ſed qui iam pridem factus, quoquo pacto praeparetur accommodatè dicitur. Adhaec reddere panem minus nutrientem, minus obſtruentem, ex terreſtri aereum, leuem, & aquae inſtar ſuberis ſupernatãtem, cuiuſmodi loquitur Gal. nequaquam ei congruit, qui nouum componat genus panis, ſed qui iam factum mutet, & paret, vt hinc perſuaſum habeam panem lotum fuiſſe certe eum, qui in communi habebatur

vſu,

vſu, at lotione permutatum, ob eamque nouis & diuerſis conditionibus donatum. Verum qua ratione lauaretur, puto Orib. cap. vlti. lib. 4. collect. ex Antilli ſentia docere voluiſſe, vbi monſtrat, fieri cōſueuiſſe ex medulla triticei panis fermentati, atque heſterni, trita, deinde aſſata, atque tamdiu in calente ſaepiusque mutata aqua immacerata, donec in tumorem eleuetur, ac totum fermentum euaneſcat. Hoc quoq. Auic. Gal. ſeu potius Oribaſ. interpres lib. 2. tract. 2. c. 572. vbi de abluto pane loquitur, indicare voluiſſe videtur, etſi illud minus exactè praeſtiterit, ac vel ab illius interprete non leuiter ſit peccatum, cùm Gale. aquae eiuſmodi panem ſupernatare dicentem interpretatus ſit, perinde ac dixerit in ſtomacho eum ſupernatare. Hunc eundem eſſe panem aqua madentem apud Celſum c. xix. lib. ij. & apud Plinium lib. xxij. cap. xxv. vt exiſtimem eo potiſſimum impellor, quòd imbecillimis edulijs, hoc eſt minimum nutrientibus, quemadmodum Galenus, adnumerat, nec non leuiſſimum cibum faciunt. Itaque non obſcurum cuiuis eſse poteſt multum intereſsè inter panem lotum, & Parthicum, ſeu aquaticum à Plinio lib. xviij. cap. xj. commemoratum, cui ſi noſtrū quodpiam panis genus aequiparari poteſt, illud ſanè erit, quod hodie pleraeque nationes, praeſertim Germaniae maximè ſpōgioſum, & leuiſſimum parant, ac buffettum populari vocabulo cōplures Italici vocant: hic etenim inaniſſimus, & propterea leuiſsimus eſt, ſimulque ab ipſo aqua trahitur. Horum duorum generum cur Athenaeus, lib. 3. dipnoſ. in prolixa illa panum propè omnium enarratione nihil meminerit. puto cauſſam fuiſſe partim quia ignorauit vt noua, partim quia potius ad medicum, quam ad ipſum pertinebant. Scribonius Largus auctor antiquiſsimus, & à Galeno interdum citatus in ſuo de med. lib. veneni opij curationem tradens, vomitum faciendum eſſe mandat pinna, vel loro vomitorio: Quid autem fuerit lorum vomitorium, à nemine vſpiam traditum mihi licuit hactenus inuenire: quae verò mea ſit ſuſpicio paucis docebo. Nonius Marcellus exponens quae fuerit nautea veteribus, cuius non ſemel facta eſt mentio Plauto, inquit eā fuiſſe aquam de corijs, vel quod eſt verius, aquam de ſentina. Atque Feſtus eandem eſſe ait herbam granis nigris, qua vtuntur coriarij, ſic vtramque vocatam vt vero ſimile eſt, à nauſea, quae ab ipſis excitatur. Modo ex ambobus hiſce ſcriptoribus colligo coria huiſumodi aqua, & herba tractata, non minus atque herbam ipſam & aquam prae odoris, & guſtus grauitate nauſeam, & vomitum concitare potuiſse, proptereaque lora ex ijs facta vomitoria eſſe nuncupata, quòd inſtar corrigiae, & pinnae in os demiſſa,

tetro

tetro illius herbae, & aquae odore ac ſapore infecta vomitum facilè cierent.

De ructu nonnulla notata. De vomitu Plinij error. De ſingultu Ariſtoteles notatus. CAP. XVIII.

ARiſtoteles xxxxiiij. probl. ſect.x. ſolum hominem eructare, iumenta verò crepitum ventris edere, cornigera, & aues neutrum facere cauſſis cuiuſque additis apertiſſimè docuit, quod ſi verum eſt, mirari poſſumus, cur Columella cap.vj. lib.vj. & Vegetius lib. veterinariae iij. cap. iij. omnia ferè à Columella verbotenus mutuatus, dixerint inter alia ſigna bouis cruditate ventriculi laborantis eſse crebros, quos emittit, ructus: niſi dicere placeat vel ſonitus, quos faciunt crudi boues, nequaquam veros eſſe ructus, ſed ſimiles, vel Ariſtotelem intellexiſse de ijs, quos alioqui ſana corpora edũt, Columellam vero & Vegetium de morboſis eſse locutos, quaſi belluae dum ſanae ſunt, nunquam ob rationes ab Ariſtotele adlatas ructent, ſed vnus homo. Illud & hoc loco notare placet, quod ſcriptum eſt à Galeno in com. ad iiij. lib. Hippocratis περὶ διαίτης ὀξέων nimirum ad prouocandos in flatuoſa ventriculi aegritudine ructus, Sabinum Hippocratis interpretem mandaſse, vt ex vaſe oris anguſti potetur, quod qua ratione moueat ructus, non eſt facile intelligere, niſi ſit, quia qui ex vaſe huiuſmodi potant, frequenter oeſophagum & laryngem moueant, vnde ventriculus quoque aliquo pacto motus flatum expellat: vel quia ſic bibentes diu inhauriendo ſpiritum contineant, ob quod calor & expultrix facultas excitata flatuoſos halitus vehemẽtius extra propellant. Quoniam verò ructui non prorſus diſſimilis vomitus eſt, licet hoc in loco Plinij erratum indicare, qui lib.xj. cap.xxxvij. de inteſtinis ſermonem faciens, canes ſcripſit ea habere ſuperna parte latiora, inferna autem anguſtiora, & propterea ſolos inter bruta vomere, quia repleto propter anguſtias ſupprimitur cibus, quod accidere non poteſt ijs, quorum ſpatioſa laxitas in inferiora tranſmittit. Nam praeterquam quod Columella, Vegetius, alijque veterinarii, & ſues, & iumenta vomere docuerunt, quotidiana etiam experientia mõſtrat, feles domeſticos frequẽtiſſimè vomere ne Ariſtotelis à quo Plinius diſcere poterat, teſtimonium producam, qui non ſolum libro de hiſt. animal. viij. cap.v. hyaenam ſcripſit canes aliaque animalia venari

hominis

hominis vomitionem imitando, verumetiam in fine lib. ix. de hiſto. animal. ſcripſit, ea animalia eſſe fluentioris alui, quibus crura longiora ſunt, ad vomitum autem propenſiora, quae latum pectus habent, idque tum in quadrupedum genere, tum in auium, tum etiam in hominum ita eſſe magna ex parte compertum haberi. Vomitui non prorſus abſimilis motus eſt ſingultus, quem eſſe oris ventriculi peculiarem paſſionem nemo medicorum ignorat, vt valde deceptus ſit Galeni interpres quidã, cum lib. ij. de Sympt. cauſſis vocem κατὰ ϛομαχὸν interpretatus eſt, ſecundum gulam, non autem ſecundum os ventriculi, quemadmodum antiquus interpres tranſtulit, quare niſi dicamus Ariſtotelem pro ſingultu non hunc affectum, ſed alterum & pueris, & mulieribus plorantibus familiarem intellexiſſe, de quo latini ſcriptores creberrimè loquuntur, vt Catullus.

Frigidulos vdo ſingultus ore cientem

Sanè pueriliter erraſſet, cum xxiij. partic. prob. id eſt dixerit, in partibus ſpiritui trahendo dicatis ſingultum oriri, quã de alibi etiam vberius ſum locutus.

An veteres habuerint ocularia. Quid Galenus tractauerit in libro: an grammaticus poſsit eſſe criticus? Loca Plinij & Senecæ dubia: CAP. XVIIII.

LA eſt omnium artium conditio, vt quod olim dixerit Ariſtoteles in Rhetoricis, fore vt in dies veterum artificum inuentis noua adijcerẽtur, id quotidie & in medicina, & pleriſque alijs conſpiciamus. Nam ocularia vitrea vulgo nuncupata, quibus hebetes viſiones mirificè homines adiuuant, certum eſt veteribus omnibus ignota fuiſſe, quãdo non ſolũ priſci medici, aut perſpectiui, ad quos maxime eorum facultatem cognoſcere pertinebat, nihil de ipſis memoriae prodiderũt, verum etiam nullus alius ſcriptor reperitur apud antiquos, qui huiuſcemodi inſtrumenti debilem viſum habentibus vſque adeo neceſſarij, vtilis, ac tempeſtate noſtra vulgatiſſimi, vllam fecerit mẽtionem. quo vno argumento vti ſoleo aduerſus Theſaurorum latinorum confarcinatores, qui conſpicilium, ſiue conſpicillum apud Plautum idem eſſe quod ocularia noſtra perſuadere conati ſũt; praeterquã enim quòd minimè rationi conſentaneum eſt, id inſtrumentum, ſi antiquitus

inno-

innotuiſſet, medicos in primis in curandis viſionum debilium affectibus debuiſſe tantum remedium alto ſilentio praeterire, neque etiam perſpectiuos ſimilium affectuum rationes ſilere; eſt & Nonij teſtimonium, qui conſpicillium appellatum docet locum, vnde aliquid clanculum conſpici poſſet, quem fieri conſueuiſſe vitro obductum, per quod videre, & non videri liceret, vt nunc in feneſtris frequenter vſurpamus, mihi veri ſimile fit, atque hunc in modum forſan intelligendus eſt Plautinus locus, vbi haec verba ſcripta erant; Cedo vitrum, neceſſe eſt cōſpicilio vti. Quanquam autē inſtrumentum vitreum oculis infirmis accōmodatum antiquis medicis ignoratum fuiſſe tutò aſſeram, haudquaquam tamē ita nouum inuentum eſt; vt prorſus auorum noſtrorum parentes illo caruiſſe exiſtimem, cum & Gordonius, qui paulò minus abhinc tercentis annis claruit in cap. de viſus debilitate, necnon Guido Gaulliacus ipſo quinquaginta annis junior eodem in cap. ocularioru͞m, quae ſenes ad conſpiciendas minutas litteras adhibent manifeſtè meminerint. Galenus eo in libro vbi de proprijs commentarijs tractationem habet, inter alios adnumerat vnum hoc titulo *Εἰ δύναταί τις κριτικὸς εἶναι καὶ γραμματικός.* Curioſi verò nimis, quam par ſit rerum Galeni dubitare ſolent, quidnam ab ipſo in eo librò diſputaretur, iccirco vt his quoque aliqua ex parte ſatisfiat, ſciri òpus eſt, Galeni tēpeſtate Pyrrhoniam ſectā magnopere viguiſſe, atque ob id eū multa ex eiuſce generis doctrina deprompſiſſe, quemadmodum inſpicere licet, ſi quis in ipſius monumentis diligenter ſit verſatus: Iam verò, vt eſt apud Sextum Empiricum lib. j. aduerſus Mathematicos cap. 7. grammaticum à critico differre putatum eſt, haud ſecus atque miniſtrum ab architecto, cùm criticus omnis logicae peritus haberetur, grammaticus vero linguarum interpres; quoniam autem complures (vt idem Sex. docet cap. viij.) tribuebant etiam grammatico poſſe conſiderare; quae ſunt in poetis, & alijs ſcriptoribus, dum interpretantur obſcura eorum dicta, ſimulque iudicare quae ſunt bona, & mala, quae germana & ſincera, quaeque adulterina, ea propter veriſimile videtur Galenum ibi diſputaſſe, verū hoc ſit verum poſſe grāmaticum hoc agere, an potius ad criticum pertineat. Multa ſunt à ſcriptoribus memoriae mandata, quae cū ratione euidenti careant, firmaque experientia ijs minime atteſtetur, mihi ſemper ſuſpecta fuerunt; Ex quibus duo hoc in locò commemorabo, vt lectores cogitent, an ipſi vel rationem, vel experimentum pro ipſis inuenire queant. Vnum eſt, quod ſcribit Plinius, ſerpentes vbi hominem percuſſerint minimè amplius à terra recipi: alterum eſt à Seneca proditum

tum lib.nat.quaeſt.ij. cap.xxxi. & liij. nempe animalia venenoſa, vbi â fulmine tacta ſunt, verminare, cum prius nunquam vermes faciãt, & vinum à fulmine congelari, cumque ad priſtinum ſtatum redit, ſi potetur ab homine, eum dementare, & exanimare. Scio enim mira eſſe quae faciunt fulmina, ſed cùm maxime calidũ & ſiccum ſit, quo modo congelare vinum poſſit, facile probari non poteſt.

Homines lupos, et ex foeminis mares fieri quo modo verum ſit. Quid ſit mori per ſapientiã apud Plinium. alius Plinij locus indicatus. CAP. XX.

ETſi Herodotus in Melpomene Neuros populos quotannis lupos fieri, ac deinceps homines redire ſeſe credere neget. Platoque vij. de Repub. fabulam eſſe fateatur, qua confictum eſt Lycaonem & Parrhaſium Arcadas in lupos degeneraſſe, id tamen cum pleriſque auctoritatis magnae ſcriptoribus Põponio Mela, Solino, Euſtathio, Varrone, Pauſania, Plinio, Ouidio, Agellio, Auſonio, Auguſtino, tum de Neruorum gente, tum de alijs inueniam proditum, vt in hanc ſententiam veniam, huic adeo decantatae narrationi, aliquid vero ſimile eſſe coniunctũ, nimirum eiuſmodi homines & gentes ea melancholiae ſpecie laboraſse, quam medici graeci lycantropiam, barbari & latini inſaniam lupinam appellãt, quave, ſi interdum aliqui tententur, ita ſeſe lupos eſse imaginantur, vt ſyluas oberrent, nocte vagentur, clament, percutiant, aliaque luporũ opera edant, quibus vulgares inducti, poſtmodum eos eſse lupos factos verè exiſtimarint. Nam populum vniuerſum potuiſse, nedum priuatos homines aliquo vel vitio aeris, vel victus prauitate, humores es tetros melancholicos ſtatis tẽporibus colligere, atque ijs demum in corpore efferueſcentibus huiuſcemodi ſymptomata incurrere, minimè rationi atque experiẽtiae diſsentaneum eſt, cum alioquin proditum ſit, in quadã Galliae prouincia virgines pene omnes quodam melancholico furore raptas ſeſe in aquas praecipites dediſse, ac extinctas eſse. hunc quoque morbum fuiſse illum, quo Nabucdonoſor rex fuit ſeptem annis vexatus, forſan abſonum non videbitur; ſi cuncta illius ſymptomata cum hoc conferantur. Neque minus credere licet, quod a multis, & praeſertim a Plinio lib.ij. ca.iiij. ſcriptũ eſt, qui ſeſe in Africa quandam inter

nuptias

nuptias ex femina ſtatim marem effectum vidiſſe teſtatur. Mulieres enim inſtrumentum quoddam virili mentula paulo minus, at certè non diſſimile a natura ſortitas eſse. quod latens foemineo ſexui nihil immutet, nimium vero excreſcens foras extuberet, atque magnam in omnibus actionibus mutationem pariat, anatomicorum filij & ſciunt, & aperte affirmant. Verum Hippocratem huiuſcemodi ſexus mutationem (quod aliqui male conſcij putarunt) voluiſse ſignificare, cum in fine lib. vj. epid. Phaetuſae Pythei vxoris, nec non Namyſiae Gorgyppi coniugis corpora virilia effecta eſse, piloſque ac barbam emiſiſse ſcribit, tantum à vero abeſt quantum veriſsimum eſt huiuſcemodi conuerſionem ſolis virginibus contingere, atque tum dumtaxat, cum menſes profluere, & libidinis aeſtus incedere (cuiuſmodi commemoratae ab Hippocrate iam vetuſtiores & diu nuptae haud quaquam erant) incipiunt. Voce enim ἀνδρωθῆ, non ſolùm 6. Epid. verum etiam in lib. de articulis, atque alibi vſus inuenitur Hippocrates, non cum mutationem ſexus, ſed corporis ad robur & virilitatis profectum indicare intendit. Quod verò putant ad huiuſcemodi ſexus commutationem confirmandam valde conferre quarundam plantarum inter ſeſe cõmutationes, a Theophraſto in primis, atque alijs rei ruſticae peritis propoſitas, in eo quoque mirificè hallucinantur, quia etſi demus (quod tamen Theophraſtus apertè nuſpiam docet) lolium in triticum mutari quemadmodum contra in lolium mutatur triticum, attamen longe diuerſa ratio eſt, cùm plantis id contingat ob ſemen, quod vel nutrimento, vel loco, vel aere mutatum vim generandi minime amittit, ſed infirmiorem acquirit perinde ac ſemen virile in vtero feminae alteratum, loco maris feminam, vel etiam diſsimilius aliud atque mõſtruoſum genus producit, neque enim videre eſt vnquam triticum natum in lolium, aut ſyſimbrium in mẽtam degeneraſse: vt multo minus id de animalibus, atque adeo ipſo de homine huiuſcemodi fabulas confingere liceat. Inſaniae mentio mihi ad memoriam reuocat Plinij locum non admodum intellectu facilem ijs, qui medici non ſunt, nam lib. 5. ca. 51. ſcribit eſſe aliquem morbum per ſapientiam mori: quod an ludens, vt ſaepe ſolet, an ſerio dixerit, interdum dubitaui, cum phreneſis, de qua locutum eum puto, minime ſapientia, ſed potius deſip ientia, atque inſania mortem adferat: dictam vero ſic docuerit Plato in Timaeo, quod a ſepto tranſuerſo nomine φρενῶν antiquitus vocato originem ducere crediderint veteres, atque iccirco eo affecto, vbi mẽtis ſedem ponebant, ſapientiam tolli. Porro de phreneſi verba facere Plinium ſatis clare indicant ſubſequentis capitis initio adſcripta

verba,

verba, vbi ſapientiae aegritudinis ſigna referens, fimbriarum curã, & ſtragulae veſtis plicaturas, quae omnia medici phrenitidis ſigna faciunt, praecipue cõmemorat. At quid exiſtimandũ eſt de eo, quod idem auctor ex Ariſtotele prodidit memoriae cap. xviij. lib. ij. nimirum nullum animal niſi aeſtu maris recedente exſpirare, obſeruatumque id multum in Gallico oceano, & dumtaxat in homine compertum, vix enim, imo ne vix quidem induci poſſum, vt exiſtimem Ariſtotelem philoſophum maximũ rem vſqueadeo a ratione, & vſu alienã propoſuiſſe. Ecquis ignorat qualibet hora, vel potius quolibet diei & noctis momẽto animalia bruta, atque homines interire?

Nicander emendatus & explicatus, De Tumoribus Pedum prae fame. Heſiodus, Ariſtoteles, Plutarchus notati, Lex Epheſiorũ de exponẽdis filijs. CAP. XXI.

Athenaeus in ijs de coronis fragmentis, quae Cantheri ſtudio graecè edita habemus, ex Nicandro nonnulla proponit, quae cùm apud ipſum poetam legere nõ liceat, quibuſdã dubitandi occaſionem praebent. Inter caetera autem eſt carmen hoc: σὺν δὲ καὶ ὑψήεντα Πανὸς μένος &c. quo non eſt manifeſtũ ſatis quid docere voluerit. eruditiſſimus enim Dalechãpius in ſuis laudatiſſimis ad Athenaeum adnotationibus, pinũ ijs verbis à Nicandro ſignificari arbitratus videtur. ſed vt ab eius ſententia diſcedã, ea ratio me hortatur, quòd ibi Nicandrum non de arboribus, ſed de coronarijs tantum herbis ſermonem inſtituiſſe apparet. Itaq; primum ſic ſcribendum literula mutata puto: σὺν δὲ καὶ ὑψήεντε Πανὸς μένος id eſt ſimul autem & altus Pani ſtimulus. Pro ſtimulo autem panis ſatyrium herbam Nicandrum intellexiſſe pro certo iurarem. Primùm quia haec inter coronarias non ignobilem locum ſemper habuit: Deinde quòd Satyri, quorum veluti princeps Pan fuit, libidinoſiſſimi cùm ab omnibus definiantur, atque ſatyrium id nomẽ ſit adeptum, quòd ad libidinem excitandam magnopere valeat, ipſum panis ſtimulus appoſite & venuſtè à Poeta videtur appellatum. Heſiodus in libro ἔργα καὶ ἡμέραι, praeceptum dat agricolis vt diligentes ſint, ne hiemis ocium eos egenos & pauperes inueniat, neuè ob famem craſſum pedem comprimãt digito, nam ijs (de quo etiam cap. iij. nonnulla diximus) qui diutina fame ſunt detenti, pedes intumeſcere etiam Ariſt. docuit y. probl. ſec. in cuius euentus reddenda

cauſa, cùm philoſophus totum illud conſumptioni & colliquationi corporis tribuendum eſſe ſimpliciter dixerit, Plutarchus, vt perhibent Moſcopulus atque Proclus in comm. ad Heſiodum, multò explicatius cauſam eandem propoſuit, dicens calorẽ noſtrum vt perdurare queat externo egere alimento, quod vbi non fruitur, corpus conſumere, atque ipſius aliquid attrahere, cumque prae imbecillitate attractam materiam conficere totam nequeat, partem crudiorem in pedes delabi, ſicque eos tumidos & reliquũ corpus tenue reddi. Addit Proclus quiddam apud neminem forte hactenus obſeruatũ; legem fuiſſe in Epheſo, quam cap. iij. ad verbum propoſui, vt nunquam patri liceret filios exponere, niſi prae fame ipſis pedes craſſe fierent. Nam olim apud varias gentes in more erat cùm alendis filijs non ſufficerent, vt aliquot ex ijs in vijs cuilibet capiendos exponerent: quemadmodum etiam nunc Barbarae gentes non deſunt, quae omnem penè humanitatem exutae, filios haud ſecus atque agnos veterum more vendunt. eſt quoque lex in Cod. de patr. qui fil. diſtr. vbi propter egeſtatem, & victus gratia patribus filios vendere permittitur.

Cur Hecticarum febrium non meminerint Veteres, error Gazae detectus. Aeſtates quid Plinio ſint, & de vlceribus rotundis. CAP. XXII.

CVr Veteres ſiue Graeci, ſiue Latini vſque pene ad Galeni tempora hecticarum febrium non meminerint, pleriſque mirum videri poſſet, eo maxime quod Hippoc. quẽ nullus morbus latuit, & tanto minus vulgati ac frequẽtiſſimi, cuiuſmodi eſt hectica, nullibi mentionẽ feciſſe reperitur. ego verò ſemper exiſtimaui, cum febres hecticae à putridis plerumque originẽ ducant, ac dum inchoant, ipſarum naturam ita ſapiant, vt Athenaeus in hoc à Galeno, ſi diariae excipiãtur, probatus, voluerit febres omnes eſſe putridas, ab ipſis ea minimè diſcretas fuiſſe: vbi verò iam conſumatae ſunt, ſub φθίσεως ſiue tabis nomine comprehendiſſe. licet enim propriè φθίσις, ſiue φθοὴ corporis conſumptionem, pulmonis vlcera conſequentẽ Hippocrati ſignificare ſoleat, cõmuniter tamen quaelibet inſignis corporis emaciatio ac conſumptio, hic quoque apud graecos vt apud latinos Tabes nuncupatur. Idque tum ex

libro de nat. hum. & ex libris de morbis cuiq. compertũ eſſe poteſt, tum etiã ex Feſto, qui Tabem dicit eſſe vocatam aegritudinem omnẽ, quae corpus tabeſcere faciat. Hoc autem ſi perſpectum habuiſſet eruditiſſimus Gaza, haudquaquam tentaſſet apud Ariſtotelem ſect. 19. problem. 37. loco vocis, εὐεκτικοὶ, ſubſtituere vocem, ἑκτικοὶ, ſed potius iudicaſſet omnia haec verba διὸ ἢ οἱ ἑκτικοὶ ſiue εὐεκτικοὶ, eſſe purum gloſſema textui ab ignaro ſcriptore inſertum, aut certe aliam aptiorem corrigendi eum locum rationem inueniſſet. Et quoniã Ariſtotelis problematum incidit mentio, aliam in ijs Gazae oſcitantiam adijcere placet. Ariſt. enim 33. prob. ſec. 15. haec verba habet: ἀποψοφοῦσι δὲ μᾶλλον ἢ πτάρνυνται, καὶ ἐρεύγονται καθεύδοντες ἢ ἐγρηγορότες, quae verba Gaza tranſtulit perinde, ac Ariſtoteles dicat, dormientes magis eructare quàm vigilantes, quòd nõ modo experientiae planè contrariũ eſt, verũ etiã Ariſtoteles in ſubſequentibus verbis ea de re nihil dixit. Vnde puto, vt ſententia vera ſit, ita interpretãdum eſſe, emittunt magis crepitus, quàm ſternutant, & eructent dormientes quàm vigilantes, Quod antiquus etiam interpres, qui cũcta ad verbũ transfert, optimè intellexiſſe videtur, vt ob hoc, quod Ariſtoteli in lectionibus de puerorum morbis cap. de nauſea & vomitu, vitium tribuebam, nunc ſoli Gazae adſcribendum eſſe compererim. Plinius lib. 28. cap. 12. cum docet fimum vituli cum oleo & gummi manu ſubactum, emendare aeſtates quãtum ipſe puto, eas cutis deſquamationes, aut cocturas à populo alicubi vocatas intelligit, quae aeſtate pueris potiſſimum oboriuntur, quaeque ab Hippoc. 3. aphor. 21. ὑδρῶα, à latinis ſudamina, & à Polluce ἐξανθήματα θερινά, id eſt papulae aeſtiuae nuncupantur. Nam Plinium, qui circa rerum appellationes ſaepenumero laſciuire ſolet, minime mirandum eſt huiuſmodi vocibus vſum, aut potius abuſum eſſe, alioquin latinitatis non malum authorem, ſed illud magis inquiſitione dignũ eſt, Vtrum Vlcera rotunda difficilia ſanatu ſint, quemadmodũ Hipp. lib. de vlceribus, Alexander 1. probl. 91. & Caſſius probl. 1. docuerunt, dubitari poſſet. ſiquidem ſecus experientia docet, neque valet quod haud quaquam ſponte curentur, ſed excidere ea oporteat, vt ſanitatem conſequantur, ſiquidem inter alia id exploratiſſimum eſt, vlcera cauteriorũ rotunda quantunuis lata atque profunda, non multo negocio, ſed ſponte, & ſine vlla noua exciſione coaleſcere, ſimulque ad conſumatam cicatricem perduci.

Locus Caeſaris de Impubertate cognoſcenda examinatus. Alter Moſis de Virginitatis ſigno notatus.
CAP. XXIII.

C. Iulius Caeſar vj. de bello Gallico lib. vbi Germanorū narrat mores, inter alia ſcribit, apud eos, qui diutius impuberes māſiſſent, maximā tuliſſe laudem, quòd ſic ſtatura, vires, neruiq. alantur, & confirmentur. Addit ſubinde haec verba. *Intra annū verò vigeſimum foeminae notitiā habuiſſe in turpiſsimis habent rebus, cui rei nulla eſt occultatio, quòd promiſcuè in fluminibus perluuntur, & pellibus, aut paruis rhenonum tegumētis vtuntur, magna corporis parte nuda.* In quibus verbis nonnulla ſunt quae tanquā obſcura diſcuſſione digna ſunt. Primū enim facile cognitu nō eſt, quomodo in pubertate, ſeu pilorū circa genitalia priuatione, ſtatura alatur, viresque & nerui confirmentur, vt propterea impuberes ſint cōmēdandi, ſiquidem illud naturae opus eſt, nec homines à rebus naturalibus vllam merentur laudem, ſed ab ijs, quae in ipſorū ſita ſunt poteſtate. Adhaec pilorum generatio vti nec ſtaturam nec vires minuit, ſic ipſorū nuditas, minime ad augendum robur valere quidquā poteſt: Praeterea quomodo qui ante vigeſimum aetatis annum foeminarum conſuetudinem habuerint, cognoſci valeant, aut ob quotidiana & communia balnea, aut ob corporis integumētorum breuitatem decernere non eſt adeo tutum; Niſi de primo dicamus quemadmodū nonnulli, apud Caeſarem eos appellari impuberes, qui nulla adhuc venere ſint vſi, quod tamē à ſermonis vſitata Caeſari proprietate longe recedit. Putaui quandoque ita eſse legēdum. Qui diutiſſimè impuberes permanſerunt, maximam inter ſuos ferunt laudē (hoc alij ſtaturam, alij vires, neruoſq. confirmari putant.) Intra annū vero vigeſimum faeminae notitiam habuiſse in turpiſſimis habent rebus: cui rei nulla eſt occultatio &c. quaſi impubertas cognoſceretur dū promiſcuè lauarētur. Sed ſi pro impubertate pectinis glabritiē intelligamus, poterit quidem quadrare, quod ſic cognoſcatur, at minimè ipſi conuenit, vt alat ſtaturā & vires. Quod ſi à venere abſtinentiā ſignificet Caeſar ſub impubertatis nomine, illud certe ad alēdam ſtaturam & vires efficaciſſimum eſt, cum venere corpora eneruari cōpertiſſimum ſit, verumtamen haudquaquam clarum eſt quomodo cognoſci poſſit inter lauandū. Itaque ſcire oportet, maximam

partem eorum, qui primùm cum foeminis concumbunt, id ligamentum quo glandi praeputium cõiungitur frangere, ac ob id ſummum glandis aliquantiſper detectum ſemper manere, ita vt conſpicientibus quibuſuis non admodum attente, etiã appareat, quod minimè in veneris expertibus videtur, quippe qui glandẽ ſemper obtectam praeputio gerant. Hoc tamen nõ in omnibus perpetuum, ſed in pleriſque eſt, cum aliqui etiam inueniantur, qui nunquam ligamentum illud fretum vocatum vſu veneris rumpant, ſemper autem verum ſit eos qui glandem detectam habẽt; (niſi ſint more Iudaeorum recutiti) venerem eſſe expertos. Ergo impuberes, hoc eſt nullam venerem expertos, hac ratione, vt ego puto, veteres Germani à foeminarum notitiam habentibus dignoſcebant, atque ſeram in iuuenibus venerẽ (quod ait quoque Tacitus in lib. de moribus Germanorũ) magnoperè commendabant. Huic rei non diſſimilis altera occurrit, ſatis & ipſa lubrica. Nam ſapientiſſimus Moyſes, quod 22. Deuteron. literis cõſignatum habetur, vt nonnullorum audaciam retardaret, qui virginitatis antea violatae vxores falſo accuſantes, eas repudiare iniuſte tentarent, ſanxit, ſi quis hoc apud Iudices ageret, parẽtes accuſatae mulieris ſigna primi concubitus obſeruata proferrẽt, quae ſi vera inuenirẽtur, mulier innocẽs liberaretur, maritusque plecteretur, contrà verò ſi ſigna falſa eſſent, mulier lapidibus à proximis caederetur. Caeterum hac in re illud quaerendum eſt, quaenam ſint ea ſigna, quibus virgo probari poſſit. Nam ſcio pleroſque ſentire, membranam illam hymenẽ vocatam primo concubitu effractam, ſanguinem profundere, quo deinde tincta linteamina atque indumẽta, virginitatem tunc tantum violatam teſtari poſſunt. Atqui hoc minime firmũ videtur, quemadmodũ in lege vſqueadeo graui neceſſe eſſet, quoniam ſaepe vſuuenit, vt vel propter aetatem flaccida reddita hymen abſque ſanguinis effuſione prima venere rumpatur, vel paulatim longo placidi coitus vſu, lõge lateque ſine vlla effractione dilatata conſumatur. quemadmodum ex anatome ipſa conſpicitur, alas vteri vocatas in virginibus ſaepenumero abſque vlla intermedia membrana cohaerere, ac ob id primo cõgreſſu arctas illas vias eſſe, quae paulatim deductae nullum ſanguinem profundunt. Imo vero etiam defloratae mulieres huiuſmodi ficta ſanguinis profuſione, ſeſe non raro tanquam virgines imprudentibus iuuenibus venditare conſueuerunt, vt vndique appareat, ſignum a linteaminibus ſanguine maculatis ſumptum valde infirmum eſſe. Quare cum nullum virginitatis certum & irrefutabile ſignum haberi queat, dicendum eſt omnibus aliis minus incertum haberi, quod a cruentatis

indumentis capitur, ac propterea iſtud licet non ita firmum Moyſen recipere voluiſſe, ne penitus hominum prauitati licentia in innocentes peccandi concederetur.

Quae ſit ſmyrna medicorũ apud Ariſt. Alter ipſius locus notatus de auribus & vlceribus. CAP. XXIII.

ARiſt. 12. problem. ſect. 1. rationem quaerens ob quam ſuffituum odor melius quodam debito interuallo, quàm propè ſentiatur, totam odoris ipſius vim temperamento, quòd ab aere ſuſcipitur tribuẽs, in exemplum adducit medicorum myrrham; Quam ſentẽtiam Petrus Aponenſis exponens, myrrham huiuſmodi locum aliquẽ fuiſſe videtur exiſtimaſſe, vbi res odoratae, cuiuſmodi muſcus eſt reponerentur, quaſi vbi huiuſmodi locus aperitur, proximè non percipiantur odores, quippe qui in aere nondum extenuati ac depurari ſint. forſan autem in eiuſmodi opiniõe lapſus eſt Aponenſis, quòd ignoraret σμύρνην apud graecos nihil eſſe aliud, quam myrrham à latinis vocatam, eſſe enim locum vllum aut vas ita antiquis vocatum, hactenus reperire mihi non licuit. Sed huiuſmodi peccata atque etiam maiora committere ſolet barbarus ſcriptor. Itaque perſuaſum habeo, Ariſtotelem de nulla alia re fuiſſe loquutum, quàm de ipſa myrrha, quae apud veteres inter odoramenta & praeſertim quae ſuffiuntur, ſemper primatum tenuit, adeo vt Athenaeus. 15. dipnoſop. teſtetur nomine myrrhae cuncta vnguenta Aegyptijs eſſe appellata. Plutarchus etiã in fine lib. de Iſide & oſiri, ſcribit Aegyptios conſueuiſſe meridie myrrhae odore vti, quod tunc aer grauibus vaporibus à ſolis attractione imbutus inſigni myrrhae odore emendetur. Caeterum cur Ariſt. dixerit ἡ σμύρνη τῶν ἰατρῶν, id eſt quod quaeritur, nam ita ſentio, ſic vocatam eſſe ab Ariſt. eam quae ſtacte dicitur, quamque medicis contra morbos pleroſque vſitatam fuiſſe nemo ignorat, Quoniam vero, vt narrat Theophraſtus in libello de odore, duplex erat, alia pura, alia balanino oleo confecta, priorem ſiue ſponte fluentem, ſiue ex myrrha tuſa expreſſam intellexiſſe non dubito, nempe quae ſui craſſitie minime propè ita olet, quemadmodum vbi extenuata aere remotius odoratur, vt ob id ſcribat quoq. Theophraſtus, myrrham ad ſundendum odorem gratum, moderato igne tractandam eſſe.

eſſe. Idem Ariſt. 32. part. probl. 7. quaerens cauſam, cur ſiniſtra auris pertuſa citius vt plurimum, quàm dextera coaleſcat, ſiue vt vertit Gaza compaginetur, inquit ideo fieri, quia humidior & calidior eſt, humidiora verò & calidiora corpora vulnerata citius curari oſtendit exemplo plantarum tenellarum, atque aetarum, in quibus iuuenes citius ad curationem perducuntur, quam ſenes. In qua ſententia duo ſunt quae offendunt, alterum eſt partes ſiniſtras eſſe calidiores & humidiores, nam ſi rem ipſam expendamus, aequè ambae partes ſunt conſtitutae, vt nullum huiuſmodi diſcrimē eſſe poſſe videatur. Si etiam quid Hippoc. hac de re ſentiat cogitemus, is initio lib. de ſacro morbo, videtur potius dexteras partes calidiores conſtituere, quod vaſa ampliora habeant. Alterum eſt, an verum ſit corpora ſenum aegrius a vulneribus curari: ſiquidem quae ſicca ſunt corpora multo citius ab vlceribus liberari conſpiciuntur, imo hac ratione dicebat ipſemet Ariſto. vlcera eorum, qui in mari verſantur cito ſaneſcere, niſi pro Ariſtotele dicere placeat. ſanari vulnera interdum per generationem carnis, interdum per ſimplicem vnionem, atque ad illam curationem corpora calida & humida valere magis, ad hanc vero ſicca, ſed ſaepius in hoc peccauit Ariſtot. vt dixerit vlceribus humida conuenire: quemadmodum p. problem. 49. etſi ibi pro, ὑγροῖς, legendum eſſe ξηροῖς dictionis ipſius ratio poſtulare videatur.

Pulcherrimus Plutarchi de Purpura locus, nunquam antea à quoquam examinatus, & diligenter explicatus. C A P. XXV.

PLutarchus in Alexandro cum Suſis captis, eum regem ingentes theſauros comperiſſe dixiſſet eosque connumerare pergeret, haec, ſcripta reliquit. ἦπου, φησὶν, καὶ πορφύρας ἑρμιονικῆς εὑρεθῆναι τάλαντα πεντακισχίλια, συγκειμένης μὲν ἐξ ἐτῶν δέκα δεόντων διακοσίων, πρόσφατον δὲ τὸ ἄνθος ἔτι, καὶ νεαρὸν φυλαττούσης, αἴτιον δὲ τούτου φασὶν εἶναι τὸ τὴν βαφὴν διὰ μέλιτος γίνεσθαι τῶν ἁλουργῶν, δι᾽ ἐλαίου δὲ λευκοῦ λευκῶν, καὶ γὰρ τούτων τι ἴσον χρόνον ἐχόντων τὴν λαμπρότητα καθαρὰν, καὶ στίλβουσαν ὁρᾶσθαι. id eſt, *vbi narrat etiam Purpurae Hermionicae inuenta eſſe quinque millia talentum, compoſitae quidem iam annos ante centum nonaginta, ſed recentem adhuc florem & nouum ſeruantis. Cauſam autē huius ferunt eſſe, quod tinctura melle fiat*

puniceарum, oleo vero albo candidarum, quippe quarũ aetate pari ſplendor purus & fulgens conſpiciatur. Ex quo loco a nemine fere animaduerſo dubitari video, quaenam eſſet illa purpura; quo pacto melle facta eſſet, cùm huius apud nullum alium auctoré mentio habeatur; demum quae fuerint candidae purpurae oleo albo integrae conſeruatae. Fuiſſe non pannos, lanam, aut ſericum purpura tincta, ſed ipſammet purpurae ſubſtantiam, adducor vt credam, tum quia tanto tempore fuiſſe conſeruatam eiuſmodi materiam non adeo veriſimile eſt, tum quia in conficienda purpurae tinctura; neque Seneca, neque Plinius, neque Pollux, neque Caſſiodorus, qui eius cõficiendae rationem diligenter perſequuti ſunt, nec alius auctor, mel vſpiam commemorarunt. Praeterea ex Caſſiodoro colligere licet primo lib. var. epiſt. 11. conſueuiſse contuſa & ſimul coaceruata conchylia ſex menſes abſque alio mangonio integra ſeruari: Neque quomodo lanae aut ſerico tinctis verba de flore à Plutarcho prolata accõmodari queant, facile video, cum propriè id nomen ſucco illi purpurarum ab omnibus ſcriptoribus tributum inueniatur, vt iure quoque idem βαφὴ, ſiue tinctura ab ipſomet nuncupatus ſit, quod illo ſolo tingerentur cuncta, quibus ſiue ſponte ſiue artificio inhaerebat; ſic enim Apollodorus apud Athenaeum. lib. 3. βάμμα eundem ſuccum appellaſſe inuenitur. Itaque res quantum ipſe iudico, hunc in modũ ſeſe habet. Conchylia ſiue purpurae, aliae erant puniceis, aliae candidis corticibus tectae, nam ſeſe candidas habuiſse Geſnerus teſtatur, vtraeque tamen eundem ſuccum ab Ariſtot. lib. 5. de hiſt. anima. cap. 15. Plinio lib. 9. cap. 36. & Plutarcho florem nuncupatum emittebant: captae igitur purpurae diligenter contundebantur cõtuſae, ſi erant paruae, vt Ariſt. docet loc. citato ſimul cum teſtis tundebantur, ob faciliorem ſucci expreſsionem, ac in maſsam vna cum ſucco redactae, ſi ante ſex mẽſes in vſum ad infecturã trahẽdae erãt, abſque alio conſeruabantur, ſin autem multo tempore durare debebãt, punicearum maſſae in melle, candidarum in oleo ex oliuis immatũris, albis a Galeno atque ab alijs ſaepenumero nominatis, facto, immerſae conſeruabatur, adeo vt ſuccus veluti recenter mactatarum purpurarum integer & floridus longo tempore maneret. Sed ſi purpurae magnae erant, quemadmodum Vitruuius. lib. 7. cap. 13. & Pollux lib. 1. cap. 4. tradunt, ijs conchas auferebant, atque ita modo integras carnes totas ſale cõditas: modo ſuccũ illum in candida vena ab Ariſtot. & Plinio commemorata contentum, & à carne ſeparatũ, ſimiliter melle & oleo à corruptione tuebantur. Atque hoc eſt quod in fine illius capitis voluit nobis ſignificare Vitruuius hiſce verbis.

Id autem

Id autem propter ſalſugniem cito ſit ſiticuloſum, niſi mel habeat circumfuſum. Quaſi vero ſuccus ille, quem Vitruuius vocat oſtium cito corrumperetur, niſi ita melle fuiſſet merſum vt vnde quaque circunfuſum id habuiſſet. Vt enim oleum ad tuendas à putredine res magnā vim habere omnes ſciunt, ſic melle non modo alia corpora, quemadmodum etiam li. 11. diximus, verum etiam humana cadauera per annos plurimos conſeruari ſolita fuiſſe prae caeteris teſtatum habemus apud xenophontem v. rerum graecarum, & Columellam li. 12. Plinius quoque narrat ſeſe principatu Claudij vidiſſe Hippocētaurum in melle allatū. Et Varro in ſciomachia ſcribit, Heraclidem Pō ticum plus ſapientiae habuiſſe, ꝙ praeceperit vt comburerentur corpora, quām Democritum, qui voluit vt in melle ſeruarentur, quaſi ſi id factum eſſet à vulgo ingens mellis caritas extitiſſet. Vt ex ijs omnibus liceat conijcere, cadauera purpurarum vna cum flore, vel florē ipſum vna cum ſuo folliculo tot annos melle ac oleo cādido immerſa, fuiſſe integra ſeruata, ac propterea Plutarchum qui ſciebat vix ſex menſes conchylia contuſa manere, nec ſuccum florem vocatum vltra conſeruari poſſe recentem, addidiſſe rationem tot annorum durationis, ac ſub voce *βαφὴν* intellexiſſe vel totum eum rudem contuſarum purpurarum aceruum, ob idq. talenta illa potius fuiſſe ponderis, quam precij, vel (quod magis credo) ipſummet florem cum vaginula ſola, aut etiam cum carnibus extractum, atq; hinc etiam colligi poteſt Grammaticos inutiliter diſputare quo modo Horatius dixerit Olores purpureos, cum purpura quoq. alba reperiretur: nam & Albinouanus ſic dixit niuem purpuream: & Val. Flaccus lib. 4. dixit ſalem purpureum. i. candidiſſimum. His illud quoq. addi poteſt, qđ apud Plutarchum legitur in lib. de defec. oracul. & a nullo alio quem ego viderim notatum eſt, nempe purpurae colori, vt illuſtrior & ſpecioſior redderetur, addi fabam conſueuiſſe, quemadmodum oſtro ſiue grano infectorio nitrum, & byſſo crocum.

De Byſſo & ſerico Nonnulla. CAP. XXVI.

DE Byſſo etſi plura ſcripſimus id adnotationibus ad librum Hippocr. de fiſtulis, antecedens tamen purpurae diſputatio, vt hic quoque de Byſſo aliqua proferam, magnopere me inuitat: erunt autē quatuor, quae à nobis hac de re breuiter explicabuntur. Quot genera eius eſſent: Quis modus faciendi: Quis color, & in quem potiſſimū vſum a veteribus traheretur. etenim duo ipſius genera extitiſſe, Marinam ſcilicet, & terreſtrem intelligere facile poſſunt ij, qui in legen-

dis ſcriptoribus non oſcitanter verſati ſunt. Marinam Byſſum Ariſt. 5. de hiſt. animal. cap. 10. feciſſe videtur lanae rudimentum quoddã, vel potius lanoſa filamenta, quibus Pinae conchae perinde ſaxis adhaerent, atq; ex ipſis oriantur. Nec me latet Athenaeum loco βύσσȣ falſo βύθȣ legiſſe, atque hac de re Geſnerum nonnihil diſputaſſe. Iam vero terreſtrem lini tenuiſſimi & precioſiſſimi genus quoddam fuiſſe Plinius in primis lib. 19. cap. 1. necnon Pauſanias in Aeliacis atq; Achaicis diſertè indicarunt. Vtrum autem hoc genus hodie alicubi reperiatur, non admodum facile eſt diſcernere. ſcio Lypſium acerrimi iudicij atque calidi ingenij virum, mihiq. Romae iamdudum ob ſuam ſingularem doctrinam notum, in ſuis ad Tacitum notis putaſſe, Byſsum à nobis deſiderari, verùm vt vſque adeo precioſa res omnibus ſeculis maxime aeſtimata penitus ſit extincta, vix credere poſſum, quemadmodum neque ijs plane aſsentior, qui Goſsypium noſtrum ſiue Bonbacem appellatum, quoq. plebs Chinenſis hodie induitur, Byſsum antiquorum eſse exiſtimant, quod in eo albedo commendetur, nec alium colorem magis commendabilem facile recipiat, vt ob hoc valde ſuſpicer potius idem linũ hodie apud Hebreos, & in Aeliaca, aliiſque regionibus reperiri, licet ad nos non perferatur, vel quod carius ſit, quàm vt expediat per ferre, vel quia in regionibus quoq. noſtris, neq. minus bonum nec minus ſubtile naſcitur. Olim exiſtimabam telas Muſsollos vocatas ex huiuſmodi lino factitari ſolere, ſed certior factus ex Goſsypio ſiue cotone eas fieri, ſententiam mutare volui. Byſsum ex arboribus depecti cõſueuiſsè Strabo lib. 15. & Philoſtratus in Iconibus ſenſiſse videntur, ſed cũ ij Byſſum & ſericum confundant, ipſorum ſententia, quae nullos alios auctores habuit, mihi minime probatur. Immo verò & ſeri & parari eo modo, quo nunc, aut non admodum diſſimili ſemper exiſtimabo, donec viri eruditi grauioribus rationibus in aliam ſententiam me auocabunt. Porrò qui Byſſi proprius color eſset non exactè à quoquam definitum inuenio. Pauſanias certè flaui & aurei coloris fuiſse memorat, át ſi ea, quae ſcribit Plutarchus lib. de defectu oraculorũ aduertantur, huiuſcemodi colorem ſibi a croco, quo eius tinctura parabatur, acquiſiuiſse facile eſt iudicatu: vt ob id in eam ſententiã veniam, eius purum colorem non admodum fuiſse venuſtum, quẽadmodum nec noſtratis lini, ſed vt hodie ſumma arte, ipſius candor quaeritur, ſic antiquitus flauitiem in eo & deſideratam & quaeſitam eſse. Ex Byſso marina maiores veſtimenta parare conſueuiſse inter recentiores putarunt Rondeletius, atq. Maſsarius, pro quibus forte videtur eſse nobiliſſimus auctor Tertullianus, in lib. de pallio, vbi ita

ſcribit. *Nec fuit ſatis tunicam pangere & ſerere, ni etiam piſcari veſtitũ contigiſſet, nam & de mari vellera, quae muſcoſae lanoſitatis lautiores conchae comant.* Quinimmo ad latũ quoddam anguſtae telae genus Bononia vidi, quod ex marina Byſso compoſitum eſse a viro fide digno ſcriptum eſt, at ex terreſtri veteres diuerſa veſtimenta, nec non ex eadem, retorta, redimicula, Tentoria, & cingula texiſse non ſolũ graeci & latini ſcriptores prophani, verum etiam ſacra Biblia pleriſque in locis apertè monſtrant. Putauit idem Lipſius, ſericũ Iulij Caeſaris aetate primùm veniſse in vſum, neque idem fuiſse quod hodie paſſim habetur. Ego verò vt aliter ſentiam me hortatur crebra illa mentio, quae in ſacris libris de ſerico habetur, etſi illius faciendi & in vſum parandi ratio forſan non ante Iuſtiniani tempora in Europa innotuerit, ſi vera ſunt quae Procopius etiam apud Volaterranum, & Zonaras narrant, nec non Galenus ſignificat, qui rariſſimum ſua aetate ſericum fuiſse pleriſq; in locis ſcribit. Quinimmo Chinenſes qui ipſimet ſeres ſunt, & quibus publicè in vſu ſunt ſericeae veſtes, vſque adeo antiquum & noſtro ſerico ſimillimum habent, vt qui ex ea regione in Luſitaniam illud deuehunt, nullum penè diſcrimen cognoſcat. Nec deflector ab hac opinione, quod Virgilius, Diodorus, Strabo, Plinius, Marcellinus & alij ſcripſerint ſericum depecti conſueuiſſe ex arboribus, aut quod Pauſanias vermiculum qui facit ſericum a noſtro diuerſum deſcribat, eumq; quintum annum viuere aſserat, cũ noſter vix annum attingat: ſiquidem & genera diuerſa, & coeli ac aeris varietas id efficere potuit, quemadmodum hodie apud Chinenſes certum eſt vermiculos ſua ſponte in arboribus ſericum texere, ac propterea vſque adeo copioſum & pene vilem eius vſum eſse.

An lien ſit aquae ſedes, Hippocratis locus explicatus.
CAPVT XXVII.

EA ſunt hominum ingenia, vt ſaepe vno impetu aliquam veritatem inueniant, quã antea multis curis & ſtudijs reperire non potuerunt, quemadmodum nuper mihi contigit, qui in adnotationibus ad quartum Hipp. librum de morbis, cum dubitauerim quid ibi auctor ſignificare voluerit, dum lienem aquae locum appellauit quẽ omnes medici melancholici humoris craſſi nimirum ac terrei, non aquei ſedem fecerunt, nunc tandem quid vetuſtiſ-

vetuſtiſſimus auctor ſignificare voluerit me cõſequutum eſse ſpero; Itaque dico melancholiam eſse quidem humorem craſsum, ſed copioſo ſero permixtum: perinde ac nonnullorum animalium lac multum ſerum pauco caſeo commixtum habet. Vnde hac ratione huiuſmodi humor ab Hippocrate aqua nuncupatur, qui etiam 6. epid. ſec. 1. ſcripſit pauidorum, ideſt melancholicorum ſanguinem eſse ichoroſum, quemadmodum & Ariſt. 5. probl. ſecti. nonae a lienoſis sãguinem ὑδατώδη, id eſt aquoſum prodire ſcripſit. Porrò cauſa quamobrem melancholico ſucco coniungatur copioſus humor aquoſus, eſt frigiditas & cruditatum frequentatio, quae in melancholicis corporibus committuntur, vt ob hoc in lib. de affect. ad lienoſos curandos inter cetera iure commendauerit diureticorum vſum. Nam & Bionem quendam narrat 11. epid. ſect. 11. à lienis morbo copioſa vrinarum excretione euaſiſse. Neque obſtat quod Gal. 13. meth. cap. 17. ſcripſerit lienem nullam habere conſpicuam viam, per quam poſſit vrinae beneficio exinaniri, quoniã vt 6. epid. ſect. 5. perhibet Hipp. natura abſq. vllo doctore vias ſibi ad euacuandos humores parat, quae nobis incognitae ſunt: praeterquam quod medicamenta vrinam prouocantia craſsos ſuccos colliquant, ſicq. colliquatos ad veſicam deducunt, alioquin imprudẽter Gal. in curanda quartana diureticorum vſum probaſset. Ex quibus omnibus intelligi quoq. poteſt ratio, ob quam melancholici & maerentes adeo frequenter & copiosè lachrymas fundunt, nempè quod ipſorum ſanguis ſeroſus redditur, ab eoq. per contractionem cordis in oculis, cum quibus ipſi eſt ſympathia, potiſsimum exprimatur ſerum, quẽadmodum etiam, & currentibus, & nimio riſu diffluentibus lachrymas fundi dicebat Ariſt. 5. probl. 35. Igitur vbicunq. Hipp. vocauit ſuccum melancholicum aquam, vt in lib. de nat. pu. & 4. de morbis hoc pacto ſi interpretemur melius erit, quàm ſi dicamus ipſum φλέγμα vocaſse bilẽ ἀπό τῦ φλέγειν, vt Prodicus dicebat aquam ſerum, ſeu pituitam dilutam & bilem tam atram, quàm flauam.

Locus

Locus D. Auguſtini de vxoris Loth in Salis ſtatuam conuerſione explicatus, & ex Hippoc. comprobatus. C A P. XXVIII.

D. Auguſtinus primo de mirabilibus Sacrae ſcripturae locis ita ſcribit. *Sed dum haec aſſumpſimus, quod nihil in Dei creatura contra naturam ſit, ſed inſita natura ſemper in omnibus gubernetur; qualiter vxor Loth in Salis ſtatuam vertitur contra humanam corporis naturam, in hac mutatione gubernationem ſalis natura in humano corpore eſſe nullus ambigit, qui lachrymarum ſalſitudinem comprobauit quae à turbato felle, vt dicunt medici, egredientes ſalis naturam, quem in recondito naturae ſinu recipiunt, de oculis fluentes, & ſaporis comprobationem oſtendunt. & non ſolum in lachrymis ſedet in phlegmate & tuſſi expreſſo ſputo pectoris ſapitur, quod ſalis natura per humanum corpus inſeratur. Potens ergo rerum gubernator, cum totum in partem vertere cupit, quod in modica parte latebat per totam infundit. Atque hac ex cauſa cum vxorem Loth ſtatuā Salis vertere voluit, pars illa tenuiſſima Salis, quae carni inerat totum corpus infecit.* Ex quibus verbis nonnulla certe mihi colligi videntur non ſine conſideratione praetereunda; quorum primum eſt illud conuerſionis vxoris Loth in ſalis ſtatuam fuiſſe quidem ex parte rei miraculum, at aliqua ex parte ſecundum naturam extitiſſe: quaſi ſalis ſuccus naturaliter humano corpori, ſit inſitus. Aliud eſt haud ingentem, ſed exiguam aliquam ſalis portionem in corpore humano omni tempore inueniri. Tertium eſt huiuſmodi ſalis portionem Dei voluntate vxori Loth ex intimis corporis penetralibus in vniuerſum corporis ambitum fuiſſe effuſam, ibiq; pro ipſius ſiccitate, & ambientis potentia induratum totum corpus ſaxeam velutique ſtatuam euaſiſſe. Iam vero quod attinet ad primum minime dubitandum eſſe puto, quin etiam reliquorum ſaporum generibus in conſtituendo humano corpore ſalſus quoque conueniat. Idque à magno Hippocrate clarè ſignificari, & in libro de priſca medicina, & in libro de natura humana. Hoc enim medicis veteribus concedere videtur, quod corruptis ideis, & potentijs elementorum in conſtituenda hominis fabrica, dulce, amarum, album, nigrumque conueniunt, vbi etiam certum eſt, ſub extremorum tam ſaporum,

quam

quam colorum nomine cunctos etiam alios medios, inter quos ſapor ſalſus connumeratur, complecti. Neque ab huiuſmodi ſententia adducor quod Ariſt. Theophraſtus, Plutarchus, Plinius aliique complures ſcriptum reliquerint id interpretari oportet de conſumata tum generatione, tum nutritione, alioquin vſu atque ratione comprobatum eſt, quod idem ſcripſit Plutarchus tertia quaeſt. naturalium nimirum ex ſale generari in nauibus mures, atque ad alenda & pinguefacienda corpora inſignem operam ſalis vſum conferre, quod Apollonium Herophili diſcipulum ſalitis carnibus homines pinguefacientem factitaſſe idem Plutarchus ibi commemorat. De ſecundo vero, quemadmodum dixi minime ambigere debemus ex principiorum corporis miſcella, & in ipſo generationis ortu, & poſt in noſtris corporibus ſapores omnis generis ſuboriri atque id a lachrymis, quae in infantibus etiam ſalſae effluunt, manifeſtè ſignificari, atque hac in re vehementer illum vaniſſimi ingenij Paracelſum erraſſe, quod ſalem ipſum atque eum copioſum inter vera, & praecipua corporis principia collocauit. Neque diffiteor lachrymas aliter quandoque oriri, ſed vt ipſa ſalſedo apud medicos modo ex putrefactione, modo ex bilioſi ſeri cum pituita admixtione modo ab exhalationibus ſiccis humido commixtis efficitur. Sic ratione alienum non eſt ex eodem ſero naturali ipſas lachrymas, aut originem, aut ſaltem occaſionem ſalſedinis nanciſci. Quod porrò tertio loco dicebat Auguſtinus exiguam illam naturalis ſalis portiotionem in ambitum corporis tractam concreuiſſe, vniuerſumq. corpus eximie violatum in ſaxeam ſalis maſſam fuiſſe transformatum, id perinde contigiſſe putandum eſt, atq. id quod fieri quotidie ſpectamus in Ictericis, ſeu Arquaticis, quorum intima bilis pars in extimam corporis ſuperficiem reſtagnans id totum lucidum, amarum atque aridum, & inſtar flauarum ſtatuarum penitus deformatum reddit; idque euidentiſſime expreſſit Hippoc. loco de priſca medicina citato, cum dixit: *In homine ineſt & amarum, & ſalſum, & dulce, & aridum, & acerbum, & inſipidum aliaque ſexcenta quae pro copia, & viribus varias habent facultates, & haec quidem mixtione & mutua inter ſe contemperatione neque cernuntur, neque quenquam moleſtia afficiunt. At vbi horum quidpiam ſecretum fuerit, & per ſe extiterit, tunc, & conſpicuum fit, & hominem moleſtia afficit:* Vt his omnibus defendi poſſe tanti ſcriptoris authoritas videatur, dum dixit eam cōuerſionem non prorſus miraculum, neq. contra naturam eſſe factam.

Quid

Quid ſit apud D.Gregorium Colatum, Iuritheum, & Cognidium. CAP. XXIX.

QVid D. Gregorius lib.6.regiſt.epiſt.37.ind.15. voluerit intelligere pro colato, Iuritheo, atque Cognidio quaeſitum eſt ab illuſtriſſimis,& doctiſſimis viris. Ego autem quam de ijs ſententiam habeam, breuibus explicabo. In primis autem eſt conſiderandum,quas proponit ſanctiſsimus, atque eruditiſsimus vir, potiones extitiſſe & licet (vt narrat Herodotus lib. ſecundo tempore ſuo in Aegypto non eſſent vites: quemadmodũ tempore Anacharſis nõ fuiſſe in Scythia perhibet Ariſtoteles, apud quem legitur eum ita dicere ſolitum in Scythia non ſunt Tibicines, quia ibi non ſunt vites, nihilominus, ſi quae ſcribunt Galenus, & Alexander intueamur, vtrobique vina naſci, & fieri conſueuiſſe apertum erit. Is enim tertio comm. ad lib. Hippocratis de vict. acut. text. 8. narrat ſe ſe in Aegypto (quod tamen mirum, neſcio quo ſpiritu, putat) vina tenuia, & imbecilla reperiſſe. Hic vero libro primo. Probl. 55. & ſecundo lib. Probl. 6. quaerens cur in Aegypto, quae eſt calidiſsima regio, vinum frigidum gignatur contra autem in ſcythia, quae eſt frigida, fiant vina calida, reſpondet iccirco fieri, quoniam vbi coelum feruidum eſt, terra aperitur, per quam expirans natiuus calor minime poteſt hebetatus ſuccum coquere vitis, & eum potentẽ reddere, ex aduerſo in Scythia cum ob frigus externum calor intra terram cogatur, ibi auctus potenter coquit,& conſequenter ſuccos calidos,& generoſos efficit; niſi quoque dicere libeat Aegypti ſolum ob Nili inundationem paludoſum eſſe, & propterea ferre vina aquoſa, & tenuia, qualia Rauennae produci dixit Martialis, & ante ipſum Plinius: immo Theophraſtus ob eandem cauſſam memoriae mandauit in Aegypto flores, & fructus pene eſſe inodoros. Quae omnia praefari mihi placuit, vt ante cetera conſtitueretur, nonmodo in Aegypto fuiſſe vina, ſed illa imbecilla & tenuia, quae ſanè à D. Gregorio non expectebantur, cum ex eius ſcriptis conſtet ipſum (forſan ob ſtudia, curas atq. aſsiduas vigilias) aduerſa ſtomachi valetudine vſum fuiſse. Iam vero quid eſset, colatum (ſic enim ſcribendum puto) non arduum eſt apud ſcriptores reperire, quando nulla pene natio erat, apud quam non

eſsent

eſsent in vſu muſta, ſeu vina craſsiora, atque potentia, vt dulcia, tenuia, & debilia euaderent, calori; quod quia ſuccis fiebat quemadmodum author eſt Plinius lib. 19. capit. 4. hinc Scribonius largus cap. 122. meminit falerni non ſaccati, quod Plinius dixiſset non caſtrati ſuccis. Theophraſtus etiam author antiquiſsimus lib. 6. de cauſ. Plant. cap. 24. mentionem facit ἠθηκῶν οἴνων. i. colatorum quod tamen vini genus Theodorus ſimpliciter nimis vertit Morale, cum debuerit transferre colatum ἀπὸ τοῦ ἠθεῖν quod ſignificat graecis colare. Erat itaque colatum nil aliud quam vinum debile, dulce, ita ſuccis vel quallo, vt eſt apud Virgilium vel quopiam alio ſimili inſtrumento redditum, & caſtratum, cuius creberrima mentio penes Graecos, & Latinos ſcriptores habetur; Et Plutarchus lib. 6. Sympoſ. quaeſt. 7. diſputans diſerte, vtrum ſit vinum percolandū, illud ex varijs argumentis docet ſummatim, apud antiquos vſum percolandi, & caſtrandi vinum inoleuiſse, vt illud defoecatum, atq; purum, & debile redditum ebrietati inducendae minimè aptum eſſet. Nec dicendum eſt Aegyptia vina non eguiſse colatura ob natiuam eorum tenuitatem, quoniam quaelibet vina initio dum adhuc muſti naturam referunt, craſsa ſunt, vt propterea, qui vellent ea cito fieri clara, & tenuia, ſaccis percolarent, veluti etiam nunc in aliquibus regionibus fieri animaduertitur; praeter quam quod Sanctus de eo loquitur colato, quod paſsim Romae habebatur, & quo ipſe ob paruitatem quandoque vtebatur. Venio ad Iuritheum, quod iuris excellentis alicuius genus fuiſse audacter ſuſpicarer ſic appellatum, quia eſset veluti ius diuinum, niſi me coniunctio graecae vocis cum latina aliquantiſper retardaret, quamquam apud Gregorium doctum potius quam latinum, ſeu Romanum ſcriptorem haudquaquam ſimile vocabulum indecens habendum eſt, ſic etiam Alexander Medicus tradit ſanguinem Hircinum pro medicamento vſurpatum χεῖρα θεοῦ. i. manum Dei fuiſse vocatum, haud aliter atque hodie quoddam aliud medicamenti genus à populo, & pharmacopolarum plebe manus Chriſti nuncupatus, quod autem genus iuris eſset, quomodoque componeretur minime hactenus diuinare potui, niſi quod vel peculiaris aliqua eſset compoſitio Romae parari ſolita perinde ac apud ſpartanos erat ius Album & apud Euripidem Iouis lac, vel forſan ipſis à Medicis praeſcripta, quam tamen ſtomachus repudiaret. nam & Cicero Tironi ſi recte memini ius damnabat tanquam κακοςόμαχον. De cognidio diligenter, quatenus licuit; ſed hactenus nihil inuenire conceſsum eſt, quod ambigendi occaſionem penitus adimat. Dicam tamen duo, quae

mihi

mihi attente cogitanti occurrerunt. Vnum eſt contextum eſſe mendoſum, & forſan legi debere (praeſumens coum, Gnidium requiro) quaſi vir beatiſſimus inſtar Timothei illius quem D. Paullus vinum potare hortabatur, ob ſtomachi debilitatem, vina debilia, & iuſcula non ſuſtineret, ſed validioribus indigeret, ob idque primum ſumeret Coum, deinde Gnidium, quae non admodum erant diſſimilia ſicuti Gnidus, quae vrbs ſuper quoddam Aſiae minoris promontorium ſita parum ab Inſula Co Hippocr. patria diſtabat. Etenim vinum Coum aqua marina moderate temperabatur, vt notum eſt ex Athenaeo lib. 1. Rhodiū vero plus accipiebat aquae marinae, vnde ſicuti hoc inutile erat, ita illud iuuabat, & cum caput nulla crapula grauaret; aluum ſoluebat. Gnidium porro ipſum abunde nutriebat, atque aluum ſollicitabat, quamquam pro vino Coo nil prohibet, quin Chium vinum intelligamus, cum apud Stephanum vtroq. nomine eadem Inſula vocetur, Chium autem vinum celebratiſſimum fuiſſe in Aſia Hipp. & Gal. pleriſq. in locis, necnon Plinius & Athenaeus citato loco ſunt teſtati quippe quod ad coctionem mirum inmodum valeret, copioſè nutriret, ſanguinem optimum generaret, blandiſſimumq. exiſtens corporis molem augeret. Huiuſmodi vero vina, atq. alia cuncta optima ex Graecia, alijſq. regionibus in Alexādriam ſicuti etiam Romam olim tranſuehi conſueuiſſe quando nōdum illarū vrbium imperia corruerant, omnes pene hiſtorici fatentur. Aliud quod ad hanc rem melius forſan decernendum dici poſſe arbitror eſt Cognidium fuiſſe vinū ex Coo, ſiue Chio, & Gnidio mixtis confectum, quod veluti priuatam Alexandrinorum vini mixturam iucundam, atq. ſtomacho firmādo accommodatam Gregorio miſſerat anno ante acto Alexandrinus Epiſcopus, & quod cum Romae non ſincerum, ſed aqua vitiatum, & proinde nomine tantū non ſubſtātia Cognidium ſtomachiſq. infirmis inutile venderetur, vt à Cauponibus Italis Falernum adulterari ſolitum meminit Plutarchus 2. ſympoſ. 10. voluit, quaſi modeſtia quadam ſingulari iterū ſtomacho ſuo eiuſmodi vino ſuccurri poſtularet. vt enim hodie ex varijs vinis ſimul mixtis quaedam non ingrata apud pleroſque conficiuntur, ſic non eſt abſurdum exiſtimare, vel apud Alexandrinorum primates, vel etiam apud Mercatores eos ex Chio ſeu Coo, & Gnidio vinum confici in more poſitum quod, & iuuaret, & guſtum oblectaret.

FINIS.

INDEX RERVM ET VERBORVM.

ABdomen à Publio mimog. ſumen appellatum 32
Abſynthium crudũ bibendum cum apio in regio morbo 35
Abſynthium Ponticum bilem arcet 24
Abſtemij Græci mulſum libant 45
Abſyrtus de ὠμηλύσει 51
Acetum aut vinum, ignem citius, quam aqua reſtinguit 68
Aceto ficus macerati 15
Acetaria Latinis idem quod Menſæ frigidæ Plutarcho 90
Achilles cur Phœnici & Vlyſſi vinum pauco aquæ miſcuerit 19
Acinaticium quid 100
Acinaticum vinũ veronenſe vnde 100
Aconiti nomen vnde 60
Aconitum θυλήφονον 60
Aconitum vbi naſcatur ibid.
Aconitum & cicuta apud veteres indifferenter vſurpata 61
Aconitum nonnullis Pardalianches 60
